1



Aloysius Mocenico
Dux Venetiarum

P. PAULI MARIÆ ASTENSIS

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS CAPUCCINI

ARCANUM IMPENETRABILE

DE MUTUA NECESSITUDINE ANIMÆ ET CORPORIS

QUOD INSCRIBITUR

PSYCHOLOGIA

Sive Motuum Animalium & Reciprocorum Machinæ Animalis

THEORIA MEDICA

Omnes Humanos Actus autoptica & facili, quamvis hactenus inaudita methodo

EXPLANANS

Nonnullis Observationibus expositis in fine.

Quam in perpetuum grati Animi, debitique obsequii monimentum

SERENISSIMO PRINCIPI VENETORUM DUCI

D. D. ALOYSIO MOCENICO

UNA CUM

OMNIBUS EXCELLENTISS. VENETÆ REIPUBLICÆ
P. P.us CONSCRIPTIS

D. D. D.

VENETIIS, MDCCLXIV.
EXCUDEBAT MODESTUS FENTIUS,
SUPERIORUM PERMISSU.

SERENISSIME PRINCEPS

EXCELLENTISS. D. MARCI PROCURATORES ET CÆTERI PATRES CONSCRIPTI.

GRandes materias (ajebat Sanctus Hieronymus) ingenia parva non ſufferunt, & in ipſo conatu ultra vires auſa ſuccumbunt : quantoque magis fuerit quod ſcribendum vel dicendum eſt, tanto magis obruitur

5

qui magnitudinem rerum explicare non poteſt. (*a*) Cui ergo meum ſudabit ingenium. Cui oratio placere geſtiet, ubi cuncta menti meæ objecta non orationem tantum, ſed ſingilatim orationum libros expetunt: ubi omnes in ſui amorem ſimul & admirationem rapiunt, ubi unuſquiſque ſe meritum proprium latere geſtiens, declamationis refugit pompam. Stupet animus, manus tremit, littera ſiſtit: quidquid dicturus ſcripſero, quia Ipsi in demiſſione gloriantes legere recuſabunt, mutum videbitur. Uno verbo: Stylus ipſe quaſi ſentiens obducitur. Nam quoties nitor inter verba prorumpere, & ſuper tantarum mentium fœcundas ſegetes honoris flores ſpargere, toties implentur oculi, & renovato ſtupore tota mens rapitur. Quid igitur faciam? Jungam mirabili Ipſorum ſilentio ſilentium? At meritum prohibet. Sed Donatarius Donatores appetit. Sed invito & repugnanti per calamum voculæ fluunt. O! vera itaque dicendi ſimul & tacendi neceſſitudo Xpi. glutino copulata, quam non rei familiaris utilitas, non præſentia tantum Corporum, non ſubdola & palpans adulatio; ſed virtutis amor ex una parte, & Sacræ obſervantiæ ſtudia ex altera conciliant. Religioſa, inquam, & vera neceſſitas, quæ me in cogitatu de ſeligendo Sydere ſub cujus benigno aſpectu mea in lucem prodiret Pſychologia ita me detinebat occupatum, ut per illud lucubrationes meas illuſtrandi daretur facultas, ac in unum quin locum haberet Præpoſitorum humilitas officeret. Volvebam ſiquidem in animo quam impenſe Venetam Rempublicam colere debebat mea Religio; Quanto amore ipſam dum titulo Reipublicæ potiretur ſecum confœderata Mea Patria proſequebatur. Quantoque ſtudio ab ipſis Emeritis Viris, queis me & librum dicare ſtatueram, laudes & præconia etiam ab aliis juremerito prolata deſpiciebantur, utpote de ſe-

mi-

(*a*) Epiſtola 22. ad Heliodorum Epitaph. Nepotiani.

mine Virorum illorum (*a*) per quos salus facta est in terra sancta, (*b*) qui & Imperatoris nomen & Regis & Orientis Imperii & Siculi Regni jura neglexerunt. Ecquis, dixi, Ecquis non videt quod talibus præclarissimis Viris librum hunc consecrare sinceræ mentis officium est & amoris erga me Ipsorum non digna certe, sed quæ facultatem meam æquat compensatio: Quod sicuti Jonathæ Machabæo (*c*) electam Rempublicam Regenti consilium bene visum fuit mittere Romam & ad alia loca Viros, qui cum eis amicitiam statuerent, & renovarent, sic Omnipotenti Deo omnia perfecte disponenti placuit per obedientiam suorum in terris vices gerentium mittere Venetias Astenses Viros amicitiam cum eis pristinam renovare: Quod virtus ipsa quæ in ipsis Potentatibus residet, & Optimatibus, explanatum tacendi, quæ supra meas vires sunt, (etsi vera, digna, & justa,) simulque pronuntiandi, quæ modestiam Eorum non offendunt, non minus ac illud Jonathæ scriptum, exhibet exemplum. Quid igitur ago fracta navi de mercibus disputando? Ah non! Gaudeat animus, exultent viscera, gestet affectus, modo prospiciens conspicuum, quod me ac Librum in robur maximum promovebit. Eja ergo quoniam frustra hucusque enavigavit oratio: Pandantur vela ventis, & ambagum scopulis transvadatis, SERENISSIME PRINCEPS, imprimis ad TE conversi Lætantium more nautarum Epilogi celeuma cantemus, ut quem semper in hac vita Superstitem habere non possumus, fælici recordatione teneamus, & cum quo perpetuo loqui non valemus, de Eo loqui nunquam desinamus. Novum siquidem munificentiæ TUÆ Argumentum olim Romæ inveni, cum per Nuncium Tuum apud Clementem XIII. Pontificem M. Venetorum Decus, gloria, & Gloriatio; scilicet per Hyeronimum Ascanium Clarissimam Justinianorum Familiam, Pie-

(*a*) Lib. I. Machab. c. 5.

(*b*) Henricus Dandolus Dux 2. Venetorum declamatus Imperator Orientis ex quo prodiit Familia Reinier: Dominicus Michiel proclamatus Rex Siciliarum electus in Venetorum Ducem anno 1118.

(*c*) Lib. I. Machab. c. 12.

ta-

tate, Ingenio, Doctrina, Probitate, ac dificilimis maximisque in Reipublicæ negotiis expediendis clarificantem, Litteras commendatitias accepi ad Excellentissimum Paulum Ranierium elevatæ Mentis Virum, utique de Republica optime benemeritum. Quod munificentiæ munus novatum hodie probabo. Discent siquidem ex me, ni didicerint: Qualis inter Venetorum Duces Septimus ex Mocenigis extiteris, quamve sublime nomen TUUM sit suspiciendum, quod quale jubar ubique fulgidum mihi, ac omnibus non poterat non esse conspicuum. Stupebunt nihilominus adhuc magis, ubi me non quemadmodum assolent alii, verum ex nutu, ex invitatione Tua, Tuarum præclara virtutum fama præcipue percrebescente ad TE nunc accessisse comperient, cum nimirum noverint a TE ex merito, SERENISSIME PRINCEPS, ita me in proposito, & instituto meo decoratum, & confirmatum; ut non tam ad nova studia, quam ad hujusce novi Operis Medicei nuncupationem (quo nihil unquam fuit in amore ardentius) impulieris. Quas scientiæ meæ tenuitates quin lubenti animo sis excepturus, utpote TUI muneris judicare actiones populi TUI, quarum naturalem moralemque proficiscentiam ad TUI oblectamentum inibi conspicies, dubitare nec possum, nec debeo. Non quod eæ TIBI nunc sint usui, quem scio studiis longe gravioribus; & si quando per otium licet vacare sedulo; Sed unde Venetæ Ditionis Privilegium & Gloria Dei, in cujus manu Potestas terræ sistit, Teque utilem Rectorem (*a*) suscitavit in tempus super illam, melius perspici queat. Grande, inquam, Venetorum Privilegium, ut Secundum Judicem Populi, (*b*) sic & sint Ministri ejus: & qualis est Rector Dominantis, tales & Patres Conscripti sedentes in Ea. Dicent itaque nunc me delegisse Mecenates omnium Maximos ad dirigendas prævaricationes ho-

(*a*) Eccli. c. 10.

(*b*) Idem ibid.

hominum veluti natos, Legibus condendis Pares dignissimos, & quos Consultissimi ipsi suscipiant, & Potentates difficillimis in negotiis adhibeant, & totus demum Orbis veneretur. Etenim plane eo dignitatis virtute evecti estis, SERENISSIME DUX, EXCELLENTISSIMI PATRES, unde totus illustratur Orbis, nec quisquam est tam novus istius incola, qui radios Sapientiæ Vestræ non sentiat, aut non demiretur. Testis hujus rei fidissimus est ipsa Ortodoxa Fides, in qua vera, atque præcellentissima Vestrum Omnium Laus, Prudentia, Doctrina, nec non Probitate constat, Vobis potius ipsam, quam Vos ipsi Florescere, ac Floruisse. Testis ipsa Ditio Vestra, ubi (ne illa memorem quæ sive Majestatem, sive Regimen Vestrum concernunt, ut pote quæ incomprehensibilia) ea tum nosce potui, & Subditi, & Extranei, vel Cæteri talia fuere experti, quæ nil aliud, quam Magnificentiam, Liberalitatem, Providentiam, Pietatemque sapere videntur. Testis denique totus Orbis, qui in Exaltatione Vestra, quasi aureo melle satiatus fere nil aliud in medium efferre novit, quam Vestra, si qua pro parte adhuc potest præseferre præscripta : cum libeat dicere de Vobis pronuntiasse Prophetam quando sic est affatus : SEDEBIT POPULUS (a) MEUS IN PULCHRITUDINE PACIS, IN TABERNACULIS FIDUCIÆ, ET IN REQUIE OPULENTA. Inter hæc autem Majori de Vestra Gloria, & Magnificentia meus ultimus Capuccinorum Ordo lætatur, pro quo grates Vobis debitas, quas agerem, & quæ in Vos dicerem conscium mutuæ Charitatis pectus agnoscit. At brevis Oratio, quam aliunde quam ab his locis enavigantem expeterem, diserte non valet explanare quæ velim, & in arctum multa concludens, stringere verbis, quod sensibus dilatatum est. Propter quod, cum non

[a] Isaiæ cap. 32. v. 18.

queam,

queam, quæ mente concepi, scripto exarare sermonem, missis propriis Vestri Generis Vestrorumque Laudibus, a quibus abstinere Vestrum etiam pars consilii est: dicam tantum futurum rursus hinc, ut & grates quandoque plurimas nostrum Vobis sit habitura Posteritas, ubi nempe intelliget hujus mei obsequii munus Vobis & quoad esse, & quoad posse debere. Hinc meæ Psychologiæ honoris, & laudis accessio, hinc Vobis argumentum uberrimum ad omnibus Vestram Erga virtutes omnes propensam voluntatem, erga litterarum, scientiarumque lucubrationes studium ardentissimum declarandum. Auspice igitur TE imprimis, AMPLISSIME DUX, qui omnes Justitia, Liberalitate, Sapientia, Consilio juvare consuevisti. Auspicite & Vos etiam EXCELLENTISSIMI PATRES Conscripti, per quos insimul concludere juvat cum Divino Oraculo, JUDEX SAPIENS JUDICABIT POPULUM SUUM, ET PRINCIPATUS SENSATI STABILIS ERIT. (a)

(a) Eccli. ibid. ut sup.

Humil.[us] *Obseq.*[us] *Ser.*[us]
F. Paulus M.[s] Astensis Med.[nae] Doctor Cap.[us]

L E-

LECTORI AVIDO VERITATIS

S. P. A.

PRaeclare Tullius Tuscul. qu. l. 1. Plotinus l. 4. Ennead. 3. c. 1. aliique post Platonem in Alcibiad. 1. censuerunt celebrem illam sive Chilonis, sive Phæmonos, aut Thaletis, vel quicunque ejus author fuerit sententiam foribus templi Delphici ab Amphyctionibus inscriptam non aliunde monuisse, quam ut Animæ naturam cognosceremus. Quippe juxta reputando videntur hinc effluere universæ rerum intellectiones, ut quod sit materia, elementum, mixtum, corpus creatum, generatum, animatum, inanimatum, a se mobile, a se immobile, liberum, non liberum, unde hæc libertas; quodnam ejus principium; quid substantia spiritualis, imo & ipsemet Deus? ex quibus aliisque cognitionibus Medicus, Ethicus, Physiologus, Physicus, Methaphisicus, Theologus, cæterique aliarum facultatum cultores sua axiomata, principia, theoremata, theses, conclusionesve eruere, ac solide stabilire queunt. I.

Non ambigis: proindeque solemne est, inquis, Philósophis præsertim hodiernis commentationes suas a definitionibus utriusque Substantiæ materialis & immaterialis auspicari. Recte; sed putasne (interrogo ego) ejusmodi definitiones esse veras, seu cum natura humana conformes? Controversiæ certe atque in diem crebrescentes lites de arbitrii libertate, causis motuum liberorum, & coactorum, intellectu, voluntate &c. longe aliud suadent. Ne ultra crepidam, ut ajunt, exempla quæram, testis hujus rei fidissimus est II.

Medicina noſtra ; cujus ſupellex exopatis Metaphyſicorum, & Mathematicorum placitis, tanquam exoticarum mercium contagione quadam adeo infecta, adeo corrupta eſt, ut nihil ſolidi inveniri in ea ſit; & quo tempore ſperandum erat, hoc præſertim ævo inventis Anatomicis, Chymicis, Practicis feliciſſimo colophonem Medicinæ injectum iri, jam jam iſtius fundamenta in ipſamet Medicina quærantur. Libeat duntaxat prima Phyſiologiæ Medicæ fercula delibare: hodie communiter apponuntur iſta; I. Homo conſtat duabus partibus eſſentialibus, altera immateriali, altera materiali, Anima & corpore. II. Ex his Anima ſoli rerum ſempiternarum contemplationi vacat. III. Corpus tribus conſtat partibus integrantibus, ſolidis, fluidis, & impetum facientibus. IV. Ex his ſolida duntaxat agunt inſtrumentaliter. V. His organis utuntur ſpiritus unica cauſa efficiens functionum omnium animalium &c. Poſita igitur prima propoſitione falſa eſt ſecunda. Nam de ratione partis eſſentialis eſt, ut neutra ſtare poſſit ſine altera; & ita non anima contemplatur, ſed homo; non anima cogitat, ſed homo; non anima intelligit, ſed homo: & homo per animam contemplatur, cogitat, intelligit &c. (verba ſunt Burcardi l. de An. p.3. th.3.) Item falſa eſt tertia. Quippe integrantes partes ſunt ſenſibiles, ut ſolida & fluida; impetum vero facientes quis vidit, aut palpavit unquam? Dices ab effectibus, Senſu & Motu E. G. eſſe dignoſcibiles. Sed quid? Si hic ſenſus, hic motus aliunde proficiſcantur. An propterea admittenda erit Spirituum animalium exiſtentia? Repugnat quarto, quod ſolida pure ſe habeant inſtrumentaliter, quatenus robur & incrementum capiunt a fluidis; adeoque fluida inſtrumenta ſunt potiora. Denique contradictoria eſt quinta Theſis. Spiritus animales ſunt meræ partes corporis integrantes (*ex* 3.) Quomodo igitur una ex partibus corporis integrantibus hu-

humana omnia negotia expediat, cæteris etiam essentialibus, ut Anima, in perpetuo otio versantibus? Mitto dictum de nullitate spirituum animalium, quæ fuse apparebit *Par.* 1. *Disq.* 2. & interim ex hoc præliminari conjice fallacias, commenta, contradictiones exinde in totam Medicinam longe lateque diffusas, puta partium usus translatos, ineptos, structurationes imaginarias, additiones inutiles, absurdos mæchanismos, potentias impotentes, & similia plura solo contemptu atque silentio digna.

Tantum itaque mulctæ pro alienis hypothesibus adscitis credulitati medicæ irrogatum: nec immerito. Quomodo nanque sibi persuadere poterant Medici veras animæ humanæ definitiones expectandas esse ab iis, qui naturam humanam nunquam calluissent? quod vero non callerent, liquet ex eo, quod methaphysice, in abstracto materiam & formam conceperunt, non physice, in concreto. Unde infertur nostra potius, interesse debuisse tales definitiones tradere, quam ab aliis acceptare, cum enim oporteat Medicum (Galeni edicto l. quod Medicus idem sit ac Philosophus) nosse naturam corporis, & partium instrumentalium, quemnam usum præbeant animanti, & quid operentur, cui patentior adytus dari poterat ad investigandas essentiales Animæ proprietates. Novit hujus scientiæ necessitatem maxime omnium Cartesius principiorum suorum instabilitatis fortasse conscius palam idcirco protestatus in fin. Metod. quod superfuisset vitæ tempus nulla alia in re, quam in studiis Medicis collocaturum sese, plane quia perviderat Vir acutissimus, in iis, quæ ad Hominem pertinerent (pertinent vero omnia cum illius gratia cuncta creata sint) explorandis non aliunde, quam ex Medicina, qui volunt Medicis tanquam profanis Animæ sacrario interdictum esse, perinde scilicet ac si Medicinæ subjectum non sit Homo, sed cadaver. Nugæ. III.

IV. Sed quousque nos, qui veri sumus naturæ mistæ in credulitate, ut ii socordia ista versabimur, munerisque nostri obliti patiemur leges nobis imponi ab iis, qui debent accipere? Vindicemus nos labes cum in alias facultates tum præcipue in Medicum culpa nostra diffusas: & propter quas in periculo fuimus, ne hinc saniora quæque dogmata partium studio principiis falsissimis innixo infirmarentur, aut obruerentur; inde vero, ne ipsimet in judicium incideremus infimæ etiam plebis eruditorum. Ego certe quamvis ingenio & doctrina minime valeo, omnium tamen, quæ Artis progressum morarentur impatiens conatus sum pro mea virili cumspartam excolere, quam sciebam dubio procul conducturam memet in cognitionem affectionum materiæ & formæ, quæ utrique substantiæ omni soli; semper primo convenirent. Vagatus idcirco sum per omnes materiæ, per omnes corporum qualitates considerando superiora, inferiora, simplicia, mixta, secundum totum, & secundum partes organicas inorganicas junctim, seorsim, an agant, quamobrem, & quomodo operentur, mutentur, alterentur, defficiant, pereant; Quod ubi haudquaquam oscitanter exploravi, sed juxta Galeni monitum loc. citat. per demonstrationem plusquam 12. annorum (vide ingenii tenuitatem) certum persuasumque habui, cognovi tandem naturam Animæ, invenique definitiones illas quæsitas.

V. Jamque cum definitio sit tanquam principium, ex quo cætera deducuntur atque explicantur, placuit experiri an idem ex compositis definitionibus successurum esset respectu actuum omnium humanorum: proindeque orsus ab ovo, ut dicitur, h. e. a conceptione muliebre in utero (quæ methodus Cartesio placet) illarum ductu solo deprehendere cœpi novam atque antehac inauditam conceptionis mechanice, locum & tempus animationis i. e. unionis animæ cum corpore, pri-

marios istius animationis effectus in sanguine, puncto saliente, aortula, & reliquis successive partibus, nec non tandem secundarios, qui sunt sanguificatio, ejusdem sanguinis uterque motus, humorum generatio, secretio, nutritio, accretio, & fœtus adhuc in utero matris existentis maturatio. Rursus in eodem extra uterum, compertis causis mutationum partibus vitalibus organicis supervenientium, detexi novam mechanice motuum pulmonum & totius pectoris, diaphragmatis, intestinorum, & musculorum abdominis; duræ quoque meningis, & sinuum venosorum: ex quibus in proclive fuit derivare causas fundamentales respirationis, ciborum digestionis in ventriculo, chylificationis, ejusque chyli in venas protrusionis, sanguinis circulationis, confectionis, & refectionis, incalescentiæ naturalis, humorum generationis, & cujuscunque functionis falso naturalis nuncupatæ (quippe naturales censendæ sunt etiam quælibet animales in statu hominis sano & naturali editæ, vel celebratæ.) Hoc facto contuli me ad modo dictas animales; quas explicaturo obtulit sese mihi duplex sensorium, alterum externum & mediatum, alterum internum & immediatum. Ob quam rem divisa venatione morari cœpi circa perceptiones, quæ hauriuntur a sensibus externis, & circa locum, ubi mens easdem negotiatur conjungendo, sejungendo, ampliando, relustrando, coagitando, & in unum cogendo, & coacta rursus separando & combinando: ex quibus actibus emergunt judicium sensuum phantasia, memoria, cogitatio, cognitio, & judicium naturale simplex sive sensitivum brutis etiam commune: præterea ex particularibus cognitis abstrahendo universalia, & hæc modo solitarie, modo cum singularibus copulando, aut disgregando, disjuncta vel unita aliis conformibus adjungendo, subtrahendo, ordinando, comparando, ad unum redigendo; quæ reflexæ operationes vocantur apprehen-

sio, &

sio, sive intellectio, judicium, discursus. Ulterius ex propriis judiciis tanquam motivis & determinativis se movendo ad intra & ad extra, & motus hujusmodi frequentando, intermittendo, vel omittendo: ex quibus modis oriuntur affectus, seu passiones, virtutes, vitia, habitus cum in actu signato, tum exercito; motus item membrorum voluntarii, quies, somnus & vigilia. Quod attinet perceptiones immediatas, seu productas a sensorio immediato, detectis primitus ingenii quidditate & qualitate, exposui rationem indolis liberorum, nævorum in his, & monstruorum; morum quoque, sive habituum naturalium ex lactatione, educatione, disciplina, contubernio, conjugio, aere & regione, cibo & potu, humoribus, temperamentis, ætate & sexu, necnon amicitiæ naturalis, & sympathiæ. Ac tandem enodavi modum, quo fit circumspectio, consilium, electio, prudentia, opera nimirum tardissimæ omnium functionum animalium Rationis, quæ humana omnia regit, corrigit, & moderatur.

VI. Perveneram ergo demum ad calcem Physiologiæ, seu Antropologiæ, omnium, quas hactenus noveram, luculentissime, utpote in qua nihil quod ad quemlibet humanum actum in statu naturali enodandum relictum fuisse videbatur. Restabant alii in statu præternaturali; sed quandoquidem facile hos explanatum iri sperabam ex legibus contrariorum, quoties & quandocunque sors tulisset, minus sollicitus de hac Pathologia esse cœpi, usque quod tandem elucubrationibus hisce meis præfixo titulo ut comperi explicationem omnium actionum humanarum me daturum spopondisse, ad præternaturales quoque descendere necessum esse duxi. Propterea initio sumpto a primariis vitæ functionibus labefactatis, ostendi, in quo consistat plethora, cachexia serosa, lymphatica, icterica, a salso diversi generis, fixo volatili, acido, acri, &c. item febris, ejusque species. Rursus quoad secundarias,

rias, quid sit anorexia, apepsia, brandipepsia, cacochymia, lienteria, dissenteria & similia plura ab humorum vitiis provenientia. Tandem respectu utriusque partis, solidæ ac fluidæ, rationem exposui passionis hypocondriacæ, ac hystericæ, asthmatis, palpitationis cordis, cardialgiæ, leipothimię, & syncope. Quoad functiones animales ęthiologiam tradidi sensus & memorię imminutę, manię, Phrenitidis, deliriorum quorumcunque, vigilię nimię, comatis utriusque, lethargi, convulsionum, epilepsię & apoplexię. Nec satis: quamvis enim operationum humanarum lineam non prętergredi decrevissem, nolui tamen additamenti gratia, & ad veritatem nostrorum principiorum ulterius demonstrandam omittere declarationem signorum pręcipue physionomicorum tam quoad mores, quam quoad morbos, & arrepta occasione aliquid attingere de signis, quę ex pulsibus, somniis, decubitu, hemoscopia, & uroscopia erui possunt, aut solent. Nec pręterire demum volui causas efficacię remediorum, pręsertim specificorum, nec non indicationum curativarum, ne videl. ad prefatam demonstrationem quicquam deficeret.

Re itaque sic ex voto feliciter transacta in Theoria æquæ ac in Praxi; viso pariter, quod eadem perinde se habet sive analytica methodus adhiberetur, sive synthetica, de illorum scilicet principiorum veritate nihil ambigendum censui. Quippe veritas, authore TinKio 3. Schol. 54. una est, simplex, est, constans est, ac sibi ubique similis. Quo circa & spem concepi Medicinam talibus fundamentis superstructam tandem aliquando elevatum iri ad Scientiæ dignitatem, quatenus nempe apta futura est assignare causas proximas naturales uniuscumque effectus homini in statu sano & morboso supervenientis. Causæ autem proximæ scientiam dant, non remotæ, ut loquuntur Physici. Et quod definitiones, præter quam quod adnotavimus vel ex hoc esse veras, seu natu- VII.

turæ humanæ conformes, quia ex iis humana quæque deducuntur, atque explicantur, patet etiam, quod ficuti judex, ac veluti lydius lapis veræ definitionis is est, si definitio ita cum eo, quod definitur, convertatur, ut ex definitione res, & ex re definitio consequatur; sic utroque analytice & synthetice obtento illæ non possunt esse falsæ. An quia novæ? Nequaquam, sed paulo serius, ut supra innuimus, ab iis, quorum intererat, fuerunt excogitatæ; cæterum sunt naturales, & natura nihil antiquius, inquit Philosophus. Adde, quod indagine absoluta, & seposito naturæ libro, quem unice usque tum susceperam evolvendum, ut consului Authores cum Sacros, tum prophanos, veteres ac recentiores, Anaxagoram, Nemesium, & præcipue Augustinum, invenique eos si non aperte omnino, saltem non subobscure in meam sententiam descendisse, rei novitatem minus pertimescendam esse existimavi.

VIII. Quod superest: hasce meas qualescunque commentationes conjeceram in peculiares schedas sparsim, prout unaquæque rerum explicandarum venerat in mentem; conscripseramque illas stylo nunc humili, aut sicco, nunc elato, aut scholastico pro genii diverso tempore varietate. Deinde cumulatas memoriæ sublevandæ gratia Psychologiæ titulo insigniveram a digniori & præstantiori Hominis parte Anima, cujus cognitio eisdem elucubrationibus ansam dederat, adjectis etiam causis potissimarum operationum, motibus nimirum animalibus & reciprocis. Accessit paulo post Bibliopola Ingolstadiensis (ut mihi validis argumentis asseruit, an vero Catholicæ Romanæ Fidei, an Luteranæ professor extiterit nescio) qui præstolata (uti fieri solebat ubique transiturus) studiorum meorum ratione, ejusmodi titulum extorsit, & me inscio novellis annuis suis eruditis inseruit, nomine meo, ac ordine relicto, (quod mihi temporis non tantum displicuit) licet & Patriam

&

& vitæ genus meæ non ignoraret. Contigit autem nuperis annis me transferre Ipporediam, ubi de hoc meo ſtudio nonnunquam ſermonem habui cum quodam Doctore Claverotti Archiatro celeberrimo Ipporedienſi; at cum Tractatum hunc in tres ſolummodo partes expoſitum vidiſſet, & ſic publice demandare decreveram: prima fronte cogitabundus exiſtens, nonnihil obſtupuit, hinc inde nonnulla verba proferre cœpit, ſic alloquens, quod aliqua huic operi eximio addenda ſupererant, videlicet ſi aliam etiam num partem ad praxeos concernentem contexere potuiſſem, tunc ſumme proficuum omnibus & ſingulis hoc opus fore redditurum. Rebus ergo ita compoſitis, omnibus riteque perpenſis, totis viribus licet hæſitabundus incubui, & quartam addere, Deo dante, mihi rurſus exivit, additis potiſſimum nonnullis Obſervationibus pro hujuſce operis complemento in gratiam Lectoris in fine. Quo factum eſt ut de ordinandis dictis pagellis conſilium iniverim, ut ſi caſus daretur, fidem ab amico publico datam liberarem. Notum Tibi ſit igitur, Lector benevole, quod nec cathedram conſcendi unquam, nec diſcipulos alui, nec ulla cum eloquentiſſimo quovis litterarum commercia exercui in Cœnobio ubi dego, cicere & faba victitare contentus, licet alicui calamitatum fere ſemper obnoxius. Quid ergo, ſi audita ac ſolummodo perſpecta levidenſis opuſculi notitia, jam tanta exaggeratio, non expectatum eſſem contra ſalebroſum hunc Tractatum, in quo phraſibus metaphyſicis, mathematicis, Theologicis, phyſicis &c. ſæpe diſputandum occurrit. Prævaluit nihilominus adverſus Momos amor veri, ſtudium boni publici, & inſita obligatio uniuſcujuſque de Arte propria bene merendi. Quapropter demum pagellas illas eo meliori modo, quo potui, ordinatas Librario tradidi exornandas. Cæterum ſi quid offendes, vel nonnihil oſcitanter dictum, vel minus exquiſite elaboratum, Tuum erit, L.

Candide vel ignoscere, vel supplere, memor imbecillitatis nostræ, ut qui non omnia possumus omnes, tanto magis in abstrusa, & difficillima quæstione (judice Augustino) de Anima; veniamque dabis, quam nec eminentibus doctrina viris, etiam vetustis denegavit Scaliger adjecta ratione: Veterum enim ingenia multis difficultatibus ob rerum novitatem circumveniri debuerunt. Et alibi: inde prisci illi Sapientes artium atque Scientiarum vel inventores, vel cultores videntur minus exacte quædam tradere coacti. Sic enim comparatum est in natura omnium principiorum; ut quoniam semina cohibeant in se omnia futuræ molis, confusa multa contineant. Qua propter ut quidquid venerat in mentem, sæpe importuna invasione aliarum commentationum sedes occupavit. Quo factum est, ut non pauca videantur coacervata, alia repetita, plurima inculcata, nec pauciora præpostera. Vale.

Nos F. HIERONYMUS MARIA A CALTANISSETTA totius Ordinis FF. Minorum S. Francisci Cappuccinorum Procurator, ac Commissarius Generalis l. 1.

CUm Opus, cui Titulus est *Psychologia, sive Motuum Animalium, & reciprocorum Machinæ Animalis, Theoria Medica, cui adduntur Observationes Medicinales &c.* a Rev. Patre Paulo Maria Astensi ejusdem Ordinis, ac Provinciæ Pedemontanæ, & Medicinæ Doctore elucubratum, a duobus ex eodem Ordine nostro Theologis de mandato nostro sedulo, luculenterque revisum, approbatum, præloque (absque prejudicio fidei, & morum) omnino dignum existimatum fuerit: Hinc virtute præsentium facultatem impertimur, ut illud, servatis servandis, Typis mandari queat. In quorum fidem has nostras litteras solito Officii nostri sigillo munitas dedimus. Romæ in Conventu Immaculatæ Conceptionis die prima Mensis Octobris Anno 1763.

F. Hieronymus M. qui supra &c.

JUssu Rev. Patris Hieronymi Mariæ a Caltanissetta ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum Procuratoris Generalis Opus inscriptum P. Pauli Mariæ Astensis ejusdem Ordinis ac Provinciæ Pedemontanæ Sacerdotis, & Medicinæ Doctoris, *Psychologia, sive motuum Animalium & reciprocorum Machinæ Animalis Theoria Medica, cui adduntur Observationes Medicinales*, perpendi, neque quid offendi, quod cum Orthodoxæ doctrinæ puritate & cum exacta morum disciplina non apprime cohæreat. Dignum propterea publica luce illud censeo, si iis, ad quos spectat, visum fuerit.

Dab. Venetiis in Conventu SS. Redempt. 14. Kal. Octobris 1763.

Fr. Bernardus a Plebisacco Præfati Ord. Conc. ac Sacræ Theol. Lector Cappuc.

De

DE Mandato Rev. Patris Hieronymi Mariæ a Caltaniſſetta Ordinis Minorum S. Franciſci Cappuccinorum Procuratoris Generalis, Opus inſcriptum P. Pauli Mariæ Aſtenſis ejuſdem Ordinis, ac Provinciæ Pedemontanæ Sacerdotis, ac Medicinæ Doctoris, *Pſychologia, ſive Motuum Animalium, & reciprocorum Machinæ Animalis, Theoria Medica, cui adduntur Obſervationes Medicinales*, perpetuo elucubratum, ſerio examini ſubjectum, nihil offendi, quod cum Orthodoxæ Doctrinæ ſinceritate, & cum exata morum Diſciplina non apprime cohæreat. Dignum propterea publica luce cenſui, in quorum &c.

Datum Venetiis in Conventu SS. Redemptoris die vigeſima Septembris anni 1763.

Frater Petrus Aloyſius a Venetiis Ordinis Concionator Gener. ac Sacræ Theol. Profeſs. licet immeritus.

IO infrascritto Medico primario della Città di Terni faccio la Fede presente di avere letta, e revista l' Opera del P. Paulo Maria d' Asti Medico Cappuccino, registrata; *Psychologia, sive Motuum animalium, & reciprocorum Theoria Medica &c.*, la quale confesso di averla trovata, e conosciuta degna di esser stampata per essere la medema molto importante, ed utilissima attesa la rarità della materia che in se contiene, e da essa ne risulta. In Fede di che di propria mano mi sono sottoscritto.

Terni 15. Maggio 1763.

D. Valdanbrini.

IO sottoscritto avendo letta e ben ponderata, quanto sia necessaria , ed utile l' Opera Intitolata *Psychologia, sive motuum Animalium, & reciprocorum Machinæ Animalis Theoria Medica omnes humanos actus autoptica, & facili quamvis hactenus inaudita metodo explanans del P. Paolo Maria d'Asti Med. Cappuccino*, a darsi alle Stampe per vantaggio di via più ben curare i Morbi, quali pur troppo aggravano l' uman genere, onde sono di parere, che per tal fine possa essere stampata, acciò non resti occulta simile Opera, nè resti defraudato di sì fatta fatica un tal soggetto che ha saputo sì bene rinvenire sempre più nuovi metodi per vantaggio della salute tanto da ciascuno bramata, che della grazia ec.

Terni li 17. Maggio 1763.

Io Carlo Antonio Parigi Medico Cond. di Terni aff., e depongo quanto sopra ec.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. *Filippo Rosa Lanzi* Inquisitor General del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato *manoscritto, P. Pauli Mariæ Astensis Philosophiæ, & Medicinæ Doct. Cap. Psychologia, sive motuum animalium, & reciprocorum machinæ animalis Theoria Medica, cui adduntur, observationes Medicinales*, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi concediamo Licenza a *Modesto Fenzo* Stampator *di Venezia* che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 4. Ottobre 1763.

(*Sebastian Zustinian Rif.*

(*Alvise Vallaresso Rif.*

(*Francesco Morosini 2°. K. Proc. Rif.*

Registrato in Libro a Carte 184. al N. 1021.

Davide Marchesini Sec.

PSYCHOLOGIÆ MEDICÆ

PRIMA PARS

De Natura & Ortu Animæ.

INTRODUCTIO.

A Nominibus auſpicandum cum perhibeant Doctiores, I.
quoniam (ut ait Scaliger in 2. Hiſtor. Animal. 5. 8. & alibi) aſſerit ſe ſe cum verborum ætymologia, & ipſorum declaratio eſt quaſi veſtibulum ſcientiarum: aggreſſus ego idcirco de Natura Hominis nonnunquam verba facere cęperam conſiderare, quæ cauſa foret, quod Homo ſic appellaretur? Non placuit profecto ſtatim *Feſti* ac *Varronis* ea tandiu decantata ratio, *quia Homo ab humo eſt*. Quid enim in hac vocis acceptione non humanum foret vocitandum? Multo quoque minus altera illa pars ſtantium quorundam Philoſophorum opinio, Hominem ab *ὁμονοίᾳ* concordia (unde & animal ſociabile eundem dictum volunt) nuncupatum fuiſſe. Etenim deductionem hanc ceu politicam magis, quam grammaticam jamdiu repudiatam noveram potiſſimum apud *Geſſen.* Poet. 2. p. 24. & præterea, quis non

videt τὸ ὡμὸς simplex aliud sonare, quam ὡμοιωιῶ, quæ est dictio composita? Quocirca cunctis rite pensitatis in eam denique sententiam deveni τὸ *Homo* utique ὡ τὸ ὡμὸς Grece (quæ latinæ linguæ parens est) derivatum fuisse; ita tamen, ut quemadmodum ὡμὸς latine unum, idem, aut identificatum audit, sic Homo dictus sit, quasi unum ex diversis inter se substantiis essentificatum, seu concretum.

II. Quamobrem & eorum magnam esse vecordiam semper censui, qui hac voce utcumque moniti, hominem tamen ex ὡμοιxo μοθωιζῆ facere nunquam non sunt veriti, ex unica nimirum materiali substantia conflatum; cum alias pateat persuasionem illam de Homine, quod Anima immateriali constat & corpore, antiquam prius extitisse, quam ut ea vox homo esse cœpit. Scio talem intemperiem utpote rationi sensuique adversam, ab aliis, ut decebat, nullo non tempore castigatam fuisse: nec meam adeo in rem esse demonstrare in homine existentiam ejus substantiæ immaterialis. Verum siquidem hoc me tangit, ut ipsius essentiam cognoscam; nec hujusmodi essentiam certam obtinere datur, nisi cognita quoque insimul materiæ essentia, nonne fieri aliquando posset, ut compertis utriusque substantiæ proprietatibus essentialibus, ratio inde quoque appareret physica, propter quam in nobis admitti debeat Anima immaterialis. Nam revera adducta hactenus contra negantes argumenta videntur mihi minus physice convenientia, ut *in Proœmio* ostensum fuit.

III. Erit igitur hic alter venationis nostræ scopus *in hac Parte*, postquam scilicet perspectis affectionibus materiæ propriis eam noverimus omnino insufficientem ad præstandas eas operationes, quarum exercitio Homo constat, de illius, nempe immaterialis, sive spiritualis substantiæ existentia decernere tam in illo, quam in brutis, subindeque ipsius essentiam, & ortum denique investigare. Ad unum propterea finem incipit.

DIS-

DISQUISITIO PRIMA.

Quotuplex, & quid sit Materia?

CRedimus ex Sacris Mundum nec eodem tempore universum, nec per partes imperfectas, sed sua quasque peculiari & specifica tum materia, tum forma gaudentes sex dierum opere fuisse creatum: Condidisse nimirum DOMINUM DEUM prima die Cælum, Terram vacuam & inanem, i.e. puram & elementarem, Aquas, Aerem tam purum, qui Æther audit, quam crassum & tenebricosum terræ proximum; Secunda Firmamentum, quando aquæ planetariæ desuper libratæ sunt, geocosmicæ vero infra; Tertia Maria, Flumina, & in Arida, i. e. Tellure Materiam seminalem Vegetabilium, ac Mineralium; Quarta Solem, Lunam, Sydera; Quinta Natatilium & Volatilium primordia; Sexta demum & reliqua animalia. I.

Credimus, inquam, hæc; nec gratis, ex Fide tantum, verum etiam, quia Ratio id jubet. Nam si nulla dari potuit materia prima tam formata, in atomos innumerabiles ac diversiformes, quam adhuc informis, ejusmodi est *Cartesiana*, superest, ut dicamus Mundum eo pacto, quod Sacer codex enarrat, fuisse conditum. Nullam jam vero existere potuisse materiam formatam, sive atomos, ex quibus tanquam ex matre fœcunda omnia corpora producta sint, docet istorum differentia. Materia namque Solis E.g. estne materia Lunæ; & hujus materia estne materia plantæ? Non; sed alia solis, alia lunæ, alia plantæ est materia; & quemcunque motum, vim, figuram &c. atomis suis tribuat *Epicurus*, impossibile est illas in talia corpora coaluisse. Quippeni, inquies, si productæ & omnem suam energiam a DEO conditore atomi fuerint adeptæ? Resp. quia quanto magis illis datum fuisset energiæ, tanto citius ab invicem dissolverentur: cæli vero, sol, luna & reliqua corpora creata suntne tam facili sive alterationi, sive mutationi, sive corruptioni subjecta? Patet igitur potius nullam atomis energiam a DEO concedi debuisse. Sed pergo: quod informem deinde pertinet materiam; Sententia *Cartesii* notissima, & principia ubique descripta hæc II.

sunt: quod videlicet particulæ materiæ omnes magnitudine ac motu æquales factæ divisæque sint a DEO non sphæricæ, sed angulares, & attritu demum rotundæ factæ; istorumque globulorum, seu ætheris, interstitia ramenta abrasa (quæ ob summam parvitatem & celeritatem sola vi sui motus dividantur in ramenta innumerabilia) exacte replere, primumque elementum constituere, tertio ex partibus magis crassis atque ad motum minus aptis derivato: quodque ex tribus his componuntur omnia; Sol & fixæ ex primo; Cælum ex secundo; terraque cum planetis & cometis ex tertio &c. Sed missis objectionibus aliorum dudum factis, unum modo alterumque indicabo, quod tam clarum, ac difficultatis expers minime videtur atque Cartesianis propter occupatum scilicet præjudiciis animum: e. g. 1. non dicam (*Camerarium* audis *in Specim. Miscellan. Diss.* 14.) ex supposito omnium particularum æquali mole ac motu adeo non sequi attritionem, ut potius quiescere debeant, nec una alteram possit vincere; id unum dicam, non potuisse moveri illas sine vacuo actuali: vacuum vero impossibile esse demonstrasse se jactat *Cartesius*. Sub primo motu nulla adhucdum erant ramenta; quid igitur in interstitiis partium angularium fuit? Ponantur partes vel cubicæ, vel cujuscunque angularis figuræ, ubicunque, se moveri debuerunt, vacui aderat necessitas. Aut enim particularum plana in suo manebant parallelismo, & sic nec motus nec attritio contingebat; aut desinebant esse, ut prius, sibi invicem parallelæ ac ubique contiguæ, & necessario spatiola ac interstitia remanebant revera vacua, primo elemento nondum producto: Vacuum impossibile censet; erit igitur talis quoque ista mundi genesis. 2. Ramenta quantumvis parvula manerent tamen angularia, interque illa proin parvula interstitia, eaque vacua. 3. Sub illo motu non meri globuli tandem fuissent attriti ab ipsis ramentis celerius rapidiusque motis, sicque dudum evanuisset secundum elementum. 4. Elementum denique tertium ex hoc æqualium partium motu æquali adeo derivari non potest, ut potius excludatur. Uti enim particulæ omnes ejusdem sunt exacte molis æqualisque penitus motus (quod a *Cartesio* supponitur) ibi partes crassæ atque ad motum minus aptæ, seu tertium elementum, nullum reperit locum, ac mera fictio

est

est ex principiis suppositis non fluens. Denique 5. cum tota hæc doctrina vorticibus, quos supponit, cælestibus nitatur, vellem scire quid respondere queant *Isaac Newtono* Cartesiani, qui *in Princip. Philos. Mathem.* vortices proscribit, quibus cadentibus corruit tota moles Philosophiæ superstructa. Newtonus enim hypothesin vorticum cum phænomenis Astronomicis omnino pugnare: cum Planetæ a vorticibus deferri non possint, quoniam moveantur in Ellipsibus umbilicum habentibus in Sole, & radiis ad Solem ductis areas describant temporibus proportionales, qui motus partibus vorticis non competat &c. Neque vero ignoro (edixerat hoc sic paulo ante idem *Camerarius*) *Cartesium* solenniter alicubi protestari, illa non nisi hypothesim, ac problematica esse: verum etiam hoc vel leviter attendenti patebit universam ejus scientiam physicam his inniti; hæc ab omnibus asseclis tanquam certa & indubia assumi, aliisque scientiis non sine earum detrimento inferri ac immisceri; imo ipsum sibi contradixisse, cum scribit, injuriam nos facturos Deo, si cognita principiorum istorum cum phænomenis congruentia ea falsa esse suspicaremur, tamquam si nos tam imperfectos genuisset, ut ratione nostra recte utendo fallamur. Verum quidquid de his sit, concludo cum Taurello l. 2. Alp. Cæs. p. 286. 592. *Mihi certe tota de materia prima disputatio nihil nisi jocus videtur, quando alius aliud de ipsa somniat.* Confer insuper *Philip. Melanchton. l.* 2. p. 175. *Patric. in Discurs. Perip. l.* 3. *Regius l.* 1. *Phys. c.* 10. præstabiliusque longe arbitror, ac rationi magis consentaneum in hoc etiam, quod Mundi Genesim concernit, Sacris paginis adhærere, quam *Aristoteli*, *Epicuro*, *Cartesio*, *Burneto*, *Auctori de Protogæa*, *Hugenio*, aliisque innumeris, qui vel materiam primam qualemcumque, vel terræ sphæricitatem, aut aliam Cosmothæriam nobis obtrudere gestierunt.

Nam revera id, quod insuper me inducit, ut credam talis III.
sacræ Geneseos historiam rationi maxime congruere, dubio sine est, quod ex ea liquet, quænam generationi materia dicata sit, & quæ non. Discitur quippe exinde aliam a Deo fuisse factam, seu creatam, aliam creaturis relictam fuisse faciendam. Facta sunt ab illo cælum, terra, aquæ, aer, firmamentum, sol, luna, sydera, omnium animalium prima, inque his semina futuro-

turorum: cætera terræ, aquæ, iisdemque parentibus primis, seu protoparentibus relicta fuerunt facienda vi benedictionis & imperii ejusdem Dei, quando dixit *Germinet terra*, *Producant aquæ* &c. Duplex igitur ab initio fuit materia; altera ingenerabilis, quam propterea vocamus elementarem, sive simplicem, altera generabilis, seminalis idcirco appellanda, seu composita: verius, creata fuerunt duplicis generis corpora, alia ingenerabilia & incorruptibilia, alia vero econtra. Horum præterea corporum differentiæ elucescunt ex eo, quod, quæ creata fuerunt, perinde quasi impresso Motoris, sive Creatoris caractere, perpetuo ferantur motu vel intrinseco, vel extrinseco, & utroque tamen violento, utpote a causa extrinseca proveniente: quæ vero relicta fuerunt generanda, i. e. semina, continuo quiescant. Atque hoc profecto inter creatum & generatum, sive generabile intercedere debebat discrimen, quantum scilicet a Creatore differt creatura. Hinc creata corpora ut perpetuo motu, ita habent se ut secundæ causæ generationis, quatenus nempe coagitando, congregando, dividendo, adendo &c. in causa sunt, ut seminum alia augeantur, alia minuantur, aut omnino pereant, aut mutentur &c. in qua alterna seminum & ex his productorum corporum accretione, vel diminutione omnis generatio & corruptio consistit. Quam libenter utique his principiis nixi per hunc campum, generationis, inquam, & corruptionis (in quo porro Physices negotium fere omnino versatur) si per otium liceret, divagaremur, ut nempe inde liqueret, quam facile nobis esset quemvis locum pene integrum e myrothecio, nisi mavis orto sapientiæ Mosaicæ concinnatum proponere: alias (quod e re est nostra) quo magis agnoscamus generationem corporum seminalium & corruptionem motu corporum creatorum effici & obtineri testatur impuritas eorum, quæ propius terram ambiunt. Impurum aerem esse docent nebulæ, venti, nubes, aliaque innumera: aquam puritate carere varii colores, odores, sapores, viresque loquuntur: terra mater omnium est, cunctaque ex ea egrediuntur, in eam ingrediuntur, unde impuritas summa.

IV. Quibus sic stantibus mihi parum consulti videntur illi, qui mixta omnia ex elementis, seu corporibus creatis constitui, eademque in illa resolvi autumant. Aliud enim est, quod per ali-

liquod; aliud, quod ex aliquo conficitur. Mixta omnia, quo nomine veniunt vegetabilia, mineralia, & animatorum corpora, fiunt ex seminibus mediante concursu elementorum, solis puta, aeris, aquæ, terræ &c. non vero conficiuntnr ex his; adeoque pariter in seminalem, i. e. vegetabilem, mineralem &c. materiam resolvuntur, non in elementarem. Ex elementis nihil unquam perit, aut consumitur; in seminibus continuæ fiunt mutationes, & hinc vel corruptiones, vel generationes; neque ulla unquam generatio facta e tali materia, sed ex seminibus; omnes quoque corruptiones subjecti loco materiam secundam, i. e. seminalem habent, ut in hominis, plantarum, metallorum, aliorumque mixtorum interritu despicitur, inquit *Hartnavius Admir. Phys. p.* mihi 21. Verum de materiæ differentiis jam plus nimis.

Venio ad ejusdem essentiam. Hoc nomine comprehenditur vere & proprie id, quo unumquodque est, quod est secundum scilicet naturam suam intrinsecam. Sed præterquamquod impossibilis est hæc cognitio, quid nempe in se aliquid sit, est etiam superflua; quatenus hoc ipsum esse non conducit nos ad cognoscendum id, quod ab ipso operatur, aut operari potest, sed entis ejusdem, materiæ scil. affectiones, aut accidentia, quæ illi, omni, soli, semper & πρωτως insunt, vel adsunt. Hæc igitur in nostro casu essentiam constituunt, & a nobis veniunt dignoscenda. Sunt autem hæc, quantitas, qualitas, motus, quies, locus & tempus; Sed priores quatuor affectiones intrinsecæ appellantur, quia omni corpori naturali inhærent conjunctim vel disjunctim; duæ posteriores extrinsecæ, quoniam adhærent tantum, vel adeunt. Quamobrem de his non est hic sermo; de intrinsecis tantum ratio haberi debet. V.

In quantitate materiæ essentiam posuit *Gassendus* quantitatem asserens esse modum materiæ, seu velis ipsam materiam, quatenus in puncto non est, sed partes habet extra partes, quarum ratione diffusa sit. Similiter & *Cartesius*, ut qui eandem collocavit in extensione. Quantitatem enim vult hic esse ipsam substantiam extensam, & in re a substantia extensa non differre, sed tantum ex parte nostri conceptus. Quantitas tamen, vel extensio nullius operationis physicæ est principium; sicut vulgo dici solet, nec sufficit philosopho scire quantitatem e. g. cordis, VI.

pulmo-

pulmonum &c., sed quid illa præstet in iis. Excipit *Cartesius*; sine extensione non posse concipi materiam, ergo hujus essentiam consistere in extensione. Respondet *Clarke in notis ad Phys. Rohault P. I. c. 7. ex eo, quod extensio ante reliquas materiæ proprietates concipiatur, hæque concipi non possint, nisi prius concepta extensione, non magis sequi extensionem esse materiæ essentiam, quam ex eo, quod τὸ existere ante omnes illas proprietates concipiatur, colligi potest τὸ existere esse materiæ essentiam: quemadmodum quoque cum non possim concipere materiam absque figura non inferendum est figuram esse materiæ essentiam.* Præterea nec Deum, nec Angelos, neque Animam concipere possum absque extensione; dicimusque Deum esse infinite extensum, sphæram angelicæ extensionis esse limitatam; intellectus nostri miras esse angustas &c. concludendum ne propterea Deum, Angelos, animas esse materiales? Tandem extensio convenit etiam Spatio, inquit idem *Clarke*: quod spatium si negetur, prout negat Adversarius, asseraturque materia idem quod spatium ipsum, inferendum erit ex hoc infinitam esse materiam, & necessario æternam, quæ nec creari potuerit, nec in nihilum redigi possit, quod est contra Deum. Solus enim Deus infinitus, æternus, nullosque extensionis suæ fines agnoscit &c. Eodem fere modo refellendus est P. *Crysost. Magnan*, qui ut quantitatem, ita materiæ essentiam statuit in actuali impenetrabilitate argumento ducto ex hoc, quod nullum corpus sive materiatum sit, sive materiale alterum informare potest, nisi corporum penetrationem absurde admittere velimus. Quippe extensio, quantitas, impenetrabilitas non se tenent a parte rei, sed tantum ex parte nostri conceptus. Quare destituitur viribus necessariis illud argumentum: & profecto, quid respondebit Adversarius ad phænomena, quæ in thermometris & barometris tota observamus die? Nonne aer corporeus informat in his, i. e. deprimit, aut attollit liquorem vel mercurium, aut alias machinas in his irometris huc illuc pellit, quales effectus etiam in omnibus plantis, brutisque, imo & in nostris corporibus observamus? Præterea, ne monstri quid alere credatur ea corporum penetratio, provoco ad radios solares, qui penetrant orbes vitreos; ad salia volatilia, quæ vix, ac ne vix quidem coerceri se patiuntur; ad aquam,

aquam, quæ penetrat salia, gummata, terras: provoco ad ova una cum cæparum pelliculis ad duritiem cocta; quorum cortex non solum, sed albumen cum vitello flavo colore tinguntur: quale quid *Tavernier in Itinerar. l.* 2. de indico colore, adnotavit, qui dum cribratur ad interstitia ovi appositi penetrat solenniter: provoco tandem ad illud experimentum *Steifferi*, quod *in Laborat. Chym. P. I. c.* 7. adducit, de floculis subtilissimis e pannis dum raduntur avolantibus, quorum manipulus ad interiora vesicæ bubulæ in tali officina post inflationem & exactam constrictionem suspensæ emenso aliquo tempore observatus fuit intrasse. Postremo repeto, quod de extensione & constrictione dictum est, impenetrabilitatem in abstracto esse nullius efficaciæ, & nisi recte determinata sit ad formæ operationes edendas, Physicum nihil edocere.

Quod attinet qualitatem; materiam plerique faciunt activam, non tam passivam; nec desunt etiam, qui partim activam velint, partim passivam non designato tamen, cui activitas competat, & cui passivitas. His controversiis, quæ plurimorum ingenia etiamnum vexant, ansam dederunt opiniones de materia prima: qua relicta, cum nempe non legatur in Textu Sacro (ex quo unice, quod dici de creatione potest hauriendum) DEUM materiam similarem sive divisam, sive indivisam, sed cælum, terram &c. ut dictum fuit, creasse, alia vero corpora iisdem creatis corporibus tanquam secundis causis reliquisse producenda, facile patet elementarem, seu creatam hanc materiam duntaxat esse activam, seminalem vero, sive productam esse passivam, discrimine utriusque materiæ per se satis apparente. VII.

In reliquum (quod motum concernit & quietem) haud indubium est motum a DEO impressum corporibus creatis, quo, inquam, hæc mota fuerunt & moventur, esse violentum; est enim a causa externa, i. e. ab alio: quicquid ex alia parte, si consideretur nisum aut vim activam divinitus impressam vim corporis, cui imprimitur propriam domesticamque fieri, non incongrue ex hoc capite dici possit motus ille quodammodo naturalis. Quidquid sit, nulla materia per se movetur; erit igitur immobilitas a se affectio omni, soli, semper ac primo illi conveniens; non extensio, quantitas, aut impenetrabilitas: & VIII.

ideo in hac immobilitate a ſe, ſive indifferentia ad motum aut quietem (reſpectu materiæ ſeminalis) conſtituenda eſt materiæ eſſentia. Dices, affectiones eſſe poſitivas, non vero privativas; immobilitatem itaque a ſe non eſſe in affectionum numero reponendam. Reſp. immobilitatem a ſe eſſe affectionem poſitivam: infert enim mobilitatem ab alio. Quamobrem cum omni & ſoli, ut dictum eſt, materiæ inſit hæc affectio, concludendum eſt ab ipſa conſtitui materiæ eſſentiam, vereque hanc definiri poſſe, quod ſit *Ens a ſe immobile*. Inſtabis retorquendo argumentum contra quantitatem, extenſionem, impenetrabilitatem adductum, quod videlicet immobilitas a ſe non facit ad operationes. Reſp. imo plurimum; conducit enim 1. ad diſtinguendam cauſam efficientem a non efficiente, proximam a remota; ex qua diſtinctione principia operationum omnium deducuntur. 2. ad diſcernendam quoque materiam ab alia non ipſa, h. e. a forma: cum e converſo eſtenſio, quantitas, impenetrabilitas (adde etiam, ſi libet, cum *Robaultio* figuram, motum, alia) nihil ferant, quod non etiam formæ applicari poſſit. Ne taceam, quod ſubjungi poteſt, naturam, cum ex *Ariſtotele* principium ſit non tam motus, quam quietis, adeoque Phyſico ſcire incumbit non modo, quæ moventur, verum etiam quæ quieſcunt, ejus intereſt ſcire tam quod eſt a ſe mobile, quam, quod a ſe eſt immobile: ſic ut etiam immobilitas a ſe ſcire faciat, quod non facit quantitas, aut extenſio.

DISQUISITIO SECUNDA.

An detur Subſtantia Immaterialis.

I. Reſponſio affirmativa obvia eſt ex dictis. Nam ſi materia eſt a ſe immobilis, & materia movetur, quæro unde moveatur? non a ſe; ergo ab alio; ergo dabitur proceſſus in infinitum; ergo deveniendum eſt ad aliquid, quod non ſit materiale; ergo datur ſubſtantia immaterialis. Negant cauſalem Epicurei tum qui Semiplenum aſſerunt: tum qui Plenum: illi, eo quod admiſſa ſemel in atomis vi propria ſeu gravitate, non opus eſt confugere ad alium motorem: hi, quia ſemel

mel a Deo mota materia debet in perpetuum eodem motu ferri & moveri. Verum priorum hypothesis est absurda. Quacunque enim vi aut gravitate non obstante nullæ exhinc obtineri possunt vel generationes, vel corruptiones. En hac de re criterium *Gassendi*. Quin etiam ex reliquo hoc toto de motu atomorum negotio (si quis tueri forte eas velit) rejicienda imprimis est tum gravitas illa sic ipsis tributa, ut seposito omni centro & distinctis tamen in universo duabus illis sursum deorsumque regionibus ferantur per se duntaxat deorsum, & absque omni quidem tam loci, quam temporis seu principio seu termino: tum declinatio quoque illa a motu perpendiculari, quam dictum est a Cicerone solide meritoque perstringi. Deinde vero tum quod sint in assiduo incessanteque seu motu, seu nisu, & varie sibi occursantes possint sese aut invicem aprehendere, mutuoque implicari; aut invicem deflectere, ac sursum deorsum, oblique, & quoquoversum repulsare: tum quod contineant in se vim, qua indesinenter hunc motum tueantur &c. Posteriorum autem fallacia inde enitet, quod nisi etiam supponant DEUM, quum motum materiæ impressit, talem ei facultatem impertivisse, ut quandocunque & quomodocunque iis placeret, liberum ipsis foret se movere, aut non movere, impossibile est, explicant, cur nonnunquam quiescat, interdum vero moveatur dicta materia cum in reliquis mixtis, tum præcipue in animalibus.

Cui propterea difficultati occursari Cartesiani, desertis propriis principiis, quibus nempe materiam in primitus accepto motu jugiter perdurasse docebatur; præclarius duxerunt stabilire DEUM motorem perpetuum, qui pro nutu & beneplacito suo, quacunque oblata occasione & tempore directe illam vel sisteret, vel moveret &c. *Conor* imprimis *in Evang. Med. art.* 3. hanc circa res inanimes legem tulit adstruens non tam motum unice & immediate a DEO pendere, sed earum quoque figuram, molem, quæ alias secundæ causæ audiunt, nequaquam veras esse causas, sed tantum instrumenta, quibus DEUS effectus determinat: & sic ignem v. g. negavit comburere lignum, sed DEUM occasione hujus impetus dissolvere corpora in ignem projecta. *Pejerus* deinde idem de actionibus bru- II.

torum quoque sensit *in Merycolog. p.* 24. ubi *regi bruta* dixit *divinæ voluntatis arbitrio* ; & *p.* 85. *organis brutorum uti* DEUM *ad exequenda voluntatis suæ statuta* : ex quo postmodum capite hominibus multum antecellere bruta concludit , *quoniam actionum suarum authorem habeant* DEUM. Ac tandem idipsum de humanis operationibus similiter censendum esse opinatus est P. *Malebranche* hoc dogma olim a pluribus Doctoribus Scholasticis defensum ; præprimis tamen a *Petro Aliacense & Gabriele Bado.* duobus illis Doctoribus sententionariis (inquit *Joh. Christ. Langius Physiolog. thes.* 5.) sub prætextu pietatis recoquendo *Tract.* de *Inquir. Verit.* P. 11. *c.* 16. & *l.* 9. p. 487. non solum omnem potentiam in homine a Dei Voluntate ejusque immediato concursu deducens , verum etiam quæ contra hoc dogma a *Suarezio* & *Fonseca* prolata sunt argumenta *in Explicat. l.* 6. P. 2. *c.* 16. refutans. Ita enim locis cit. loquitur. *Nemo concipere potest creaturas habere potentias in se posse ; sed quemadmodum mons , domus , lapis non habent potentiam se movendi propriis viribus , ita nec partes corporis naturales . In qua impotentia etiam mens nostra versatur . Nihil enim potest velle , aut cogitare , aut sentire , nisi* DEUS *ipsum versus se moveat , aut illuminet , aut modificet* . Deinde impium omnino ipsi est adscribere effectus Creatori solum competentes , ansamque hoc dogmate dare , ut amentur aut timeantur homines , ac si prodesse possint aut nocere ; cum de Deo solo cogitare , ipsumque amare , aut timere nobis ex primo Decalogi præcepto incumbat unice. Huc itaque , ad aras , nostri Philosophi confugerunt eo vertiginis ex vorticibus Cartesianis abrepti , ut se se montes , domos , lapides arbitrati homines quoque esse dedicerint , sub quorum pedibus Deus omnia subjecit . Nolo hujus delirii castigationem in me suscipere , cui notum est ab ipsa universali Ecclesia eam fuisse præstitam præsertim contra *Malebranche* : nihilominus & ne jejuni hinc abscedant Philiatri , ex aliis pauca delibabimus . Et primo dari secundas causas in rebus etiam inanimatis , quæ vere agant , & aliarum rerum sint effectrices , ex dictis *in præced. Disq. art.* 3. & 4. patefactum est ; concluditurque ex eo , quod non tantum in multis Scripturæ locis actio tribuatur causis secundis ;

sed

fed quod infuper ignem calefacere, folem illuminare; arbores fructus effundere &c. nemo inficiari poffit, nifi omnem experientiam & fenfuum teftimonia afpernatur. Secundo quoad bruta, nonne hæc per fe, proque uniufcujufque lubito fedent, exfurgunt, ambulant ac progrediuntur? Et quæfo, quorfum in iis tantus organorum apparatus, fi nihil agunt; fi nihil vifu, nihil auditu percipiunt; fi ingeftos cibos non digerunt, fi fui fimilia non procreant? Impia infuper, ac tantum non blafphema eft *Peyeri* hypothefis adftruens concurfum Dei immediatum ad omnes actiones brutorum etiam abominandas, V. g. dum canes, aut fimii congreffum celebrant fœcundum cum fæmina humana, qualia exempla proftrant *in Bartbolin. Hift. Anat. c.* 8. *Hift.* 2. & 87. in Appendic. ad A. 4. D. 2. M. N. C. p. 192. &c. Eft deinde etiam maxime abfurda; quod clare oftendit Lex divina *Exod.* 2. v. 15. *feqq.* lapidari jubens bovem, qui læthaliter hominem ferit, & interfici bruta tam qui fæminam humanam iniverunt, quam quæ virum paffa funt, *Levit.* 20. v. 15. 16. Dubio fine, quoniam a diverfo fpeciali principio hæ operationes, non vero ex Legislatore, nifi ex concurfu univerfali dependent. Tandem quoad hominem, his jaculis impetitur *Malebranche* a laudato *Langio*. *Nefcio, quomodo concipere haud poffimus creaturas habere potentias in fe. Sed fi Deus potentiffimus, de quo nemo Chriftianorum dubitat, quid impedit ipfum etiam fe repræfentare talem extra fe concedendo poteftatem caufis fecundis? Imo non poffe folum communicare has potentias, fed vere eas communicaffe ex Genef.* 1. v. 11. 20. 24. 28. *clariffime patet*. Quare *extra omnem controverfiam eft, ut homo habet fuam exiftentiam propriam, ita gaudet propria poteftate & efficacia*, i. e. *fua poffidet principia activa. Nam modus operandi fequitur modum effendi juxta canonem Philofophorum ufitatum. Male ergo animal imprimis rationale cum monte, domo, lapide, aut cum globo* V. g. *comparatur ab alio quodam principio propulfo, qui alteri globo impingens non propriam, fed aliunde acquifitam impreffionem communicat. Quis enim non videt fimile hoc admodum claudicare, aliumque longe effe motum lapidis* E. g. *projecti, & alium hominis ambulantis? Deinde fine caufa timet Adverfarius, ac fi ex hac hypothefi crea-*

turis

turis tribuatur honos Creatori debitus : modo distinguamus inter potentiam originalem, salva semper manebit veneratio Numinis. Ex se enim & independenter creaturæ non possunt agere in nos ; ergo nec nobis prodesse vel nocere : unde non possunt determinare nostram cognitionem, amorem, aut timorem ; sed si considerentur in mente Dei, ut creaturæ, tunc sunt activæ : sic quoad nos sunt amabiles, terribilesve sine præjudicio amoris Divini, quem potius duplicant, dum nos ducunt ad amorem Dei. Taceo ex hac hypothesi plura sequi absurda, scilicet ignorantiam, securitatem, pigritiam. Nam si nulla est homini propria activitas, & si Deus est, qui directe utique & immediate agit in nobis, nulla ratiocinatio, nulla sensatio; paucis, homo erit pura machina, ineptus ad bene aut male faciendum, extra culpam positus, nec dicendus erit virtuosus, aut vitiosus.

III. Non abnuet *Malebranche* hominem esse puram machinam ; siquidem qui cum *Renati Cartesii Tract. de Hom.* aliisque in locis, vexilla sequuntur, corpus nostrum terreæ statuæ seu machinæ æquiparant, in qua extrinsecus figura & colores membrorum, intus vero ossa, nervi, musculi, arteriæ, venæ, stomachus, hepar, lien, cor, partesque omnes ita dispositæ sunt, ut ex illarum fabrica organica sola ambulare, respirare, & reliquis præesse functionibus possit. Hinc Patroni hujus sententiæ illustrant eam lignea illa Venere *Dædali*, quæ hominis viventis in modum eleganter se movere de loco in locum poterat : columbis *Archytæ Tarentini* per aerem volitantibus ; musca ferrea *Jo. Regiomontani* mechanici Norimberg. quæ ex artificis manu se proripiens circumvolitabat cum susfurru convivas aliquandiu, postmodum vero veluti defessa in Domini manum rursus revertebatur : aquila alius artificis Noribergen. Carolo V. Imperatori ad lapidem quintum hujus Civitatis obviam veniente, eumque ad urbem usque concomitante : machina *Jo. Hautschii* fabri circinnarii item Noriberg. in septuaginta duobus distinctis loculamentis totidem exhibente artifices ad unius solum rotæ circumgyrationem artes suas viventium instar dextre exercentes ; & alia ab eodem *Hautschio* fratreque ejus in oblectamentum Sereniss. Galliarum Delphini infantis parata, quæ ex argento effictos sistebat milites pusillos non tantum bombardis & gladiis armatos,

matos, sed & quos ad nutum monentis Ducis, & tympani sonum intentos esse, sequi signa, ordines servare, obsistere, circuire in cornu, mutare pugnam, onerare bombardas, explodere, ferire hostem &c. docuerant. Sed cum ubivis obviæ non sint tales machinæ, fidem facere asserto insuper conantur horologiis, molis aquaticis & pneumaticis, aliisque pluribus machinis ex sola mechanica conformatione motus suos absolventibus. Veruntamen hujus hypotheseos quoque nullitas apparet manifeste ex differentia motus automatum & animalium: dum 1. in his actionum aliqua libertas semper notatur, quæ in machinis nunquam non coacta est. Sic horologii index monstrato numero primo ad secundum, tertium, quartum, quintum movetur, nec datum est ipsi transilire unum ex his, aut retrogradum servare motum. Num ne vero idem accidit in animalibus, seu viventibus machinis? Nequaquam, sed alius est istorum, alius illorum motus; priorum motus naturalis est, sive spontaneus, & motu spontaneo mota corpora moventur a seipsis: motu autem violento quicquid movetur ab alio movetur. Sequitur ergo istud artificis intentionem eodem semper motu se movendo, ad quem ab artifice ope magnetis V. c. aeris, aquæ, mercurii, tympanorum dentatorum, aut rotarum certo loco & intervallo dispositarum vel adhibitarum fuerit determinatum; neque integrum est ipsi abire, redire, progredi, retrogradi, consistere, cadere, assurgere, & modo hic, modo illic, nunc breviori, nunc longiori interjecta mora inter unum & alterum actum se movere, quemadmodum animalia. 2. Si connexio sola internarum partium & dispositio organica motus omnis est causa, cur quædam viscera, E. g. lien, vescicula fellis, ren, hepatis lobus, intestinum cæcum, omenti pars, oculus, uterus &c. (Vid. omnino *Josephi Zambevarii Experimenta diversorum viscerum a diversis animalibus viventibus exsectorum* M. N. C. D. 3. A. 4. *Appendicis* loco annexa, *Bibliot. Anatom.* T. 3. P. 4. M. N. C. D. 2. A. 3. O. 195. A. 7. O. 150. *Zacut. Lusit. l.* 1. *Prax. Admir. O.* 85. *Moebii Physiolog. c.* 20.) extirpari possunt illæsa vita, aut sanitate, aut machinæ motu; cum tamen in horologio vel minima rotula, aut ejus eminentia auferri, aut de loco moveri sine præsentanea motus ejus læsione possit? Tandem

non

non solum localis motus in animalibus observatur ; verum appetunt alimenta, comminuunt ea dentibus, parant ex ipsis chylum; & ex illo sanguinem, & ex hoc sanguine bilem, serum, lac &c. quæ operationes præter solum internarum partium mechanismum aliud quid magis activi præsuponunt, ut vel ex solo generationis negotio clarissime patet, quod semper Fautores hujus hypotheseos altissimo prætereunt silentio. Scio, in hoc passu, omnimodam agendi vim soli partium solidarum conformationi nunquam assignasse *Cartesium*; ut qui semper simul ab alio plane distincto interno quodam principio nunc immateriali, seu mente, in homine, nunc materiali, scilicet spiritu, in brutis, motuum causam deducit, prout expressis verbis legi id potest *in Epist.* P. I. p. 188. 189. &c. invitumque iccirco eundem huc trahi a suis solduriis. Sed neque a tali spirituali materia operationes animales obtineri sive in hominibus, sive in brutis, hoc est, quod jam jam ostensurus sum.

IV. Præter enim Cartesianos, reliqui Epicurei (adde etiam Aristotelicos) in ea sunt firmissimi sententia, ut putent existere in cunctis animalibus tales spiritus, qui sint particulæ quædam tenuissimæ ac simplicissimæ, maximeque activæ cerebri mechanica conformatione e sanguinis massa secretæ, & mediantibus nervis ad omnes corporis partes derivatæ. Tenent igitur illi partim quod motus tantum causa sint hi spiritus; partim, quod etiam sensus; partim, quod sint non tam motus & sensus, verum insuper aliarum omnium functionum, judicii nimirum, phantasiæ, memoriæ &c. causa: & hinc aliqui volunt eos per nervos duntaxat influere; alii & influere & refluere; alii demum & influere & refluere, & in solidis partibus ubique consistere; unde nunc influi, nunc reflui, nunc etiam insiti audiunt iidem piritus. Qui influos, refluos, insitosque fecerunt, animæ materialis titulo etiam exornarunt totque prærogativis, ut animæ rationali nihil, nisi nomen postea relictum sit. Præcipua apud omnes ratio ponendi tales spiritus fuit hæc: quia scilicet nihil, nisi extensum, i. e. materiale movetur. Verum falsitas hujus causalis orta ex præjudicio de Pleno & Semipleno jam patefacta est *in Disq. præced. & in art.* 1. *hujus*. Quamobrem vel ex solo capite animales spiritus nulli sunt, egentque hi potius

ut

ut moveantur, quam ut moveant vel ex *Cartesii* sententia: qui propterea docuit talem materiam nunc moveri a mente in homine; nunc ab effluviis, aliisque objectis externis, in bruto. Sed de hac determinatione postea. Quod attinet illorum ex sanguine generationem, hujus impossibilitas evincitur 1. ex eo, quod materia sanguinis non est alia, nisi globulosa, lymphatica & salina. Eruntne igitur globuli spirituum materia? non: globuli namque sanguinis nequeunt superare glandularum cerebri corticalium excretorios poros. Eritne vero pars lymphatica? multo minus: quippe lympha præterquam quod inepta est facessere in moleculas activas, nequit pariter hospitio excipi a dictis glandulis. Superest itaque ut ea materia sit vel aquea, vel salina. Sed quales amabo spiritus dabit phlegma? portio vero salina quota est, & quanta? ipsa certe sane etsi multis nominibus suspecta & a pluribus rejecta sanguinis analysis chimice instituta ultro perhibet, quam parvi momenti sit, quod ab illo extrahitur sal, & sive in forma sicca ex capite mortuo eliciatur, sive sub forma liquida ex rectificatione olei facta cum aqua simplici. Prioris enim vix binos scrupulos ex sanguinis unciis xxx. vidimus prodiisse; posterioris ne hilum quidem, quod saltem salis nomen promeretur. Quod si ex alia parte obiicitur salsum illud in cachexiis acidis, scorbuticis, hypochondriacis &c. luculenter apparere, insuperque ex humoribus puta biliari, seminali, lienetico &c. Resp. præterquam quod a statu sano ad morbosum non valet illatio, & viceversa, butyrosam, sive lymphaticam portionem sæpius corrumpi nunc ob moram in vasis etiam sanguiferis, ut in constitutionibus præfatis; nunc in aliis ductibus, ut contingit semini; nunc denique ex fermentis primordialibus hepati, lieni, aliisque parenchymatibus implantatis. 2. Quia mere imaginariæ sunt glandulæ cerebri præfatæ. Vere enim quicquid de illarum structura scripserit *Malpighius* e *Sbaraglio* idcirco carptus tanquam ea de re hæsitanter satis & perfunctorie proloquutus, docet autopsia, præmonstrante *Ruyschio Epist.* 12. cerebri corticem totum esse vasculosum (addo ego arteriosum. Media quippe liquidi colorati per tubulos argenteos subtilissimæ structuræ primo in maiusculos, tum in minusculos carotidum internarum ramos insuflati inspectione sæpe

comperi dicta vascula cum arteriis illis esse continua.) 3. Quia, prout in aliis partibus extremæ arteriarum productiones tenue serum devehunt & eructant in glandulis sic dictis miliaribus aut sebaceis, quæ non sunt aliud, quam earundem arteriarum extremitates in folliculos expansæ (Vid. omnino de his glandulis *Dissert. Jac. Ver. Arch. Ped. de Gland. Œsoph. &c.*) ita & in cerebro; e quibus proinde scaturit ingens illa seri copia, quæ partim molem cerebri & appendices eius nutrit, partim excernitur in eiusdem cavitatibus. De hoc phlegmate ita accuratissimus dissector *Steno*: *Aqua in cerebro naturaliter continetur, perque ductus glandularum in cerebri cavitates laterales intrat; sed qua exeat* (N. 13.) *non satis constat*. Idem alibi: *Animali recte se habente in cerebri semper intrat cavitates, brevique post a nova succedente aqua inde iterum expellitur. Certum est quidem, quod aqua in cerebri cavitatibus reperiatur, quandocunque cranium aperiatur* (*quæ in piscium cerebris est copiosissima*) *etiamsi vivis illis ea aperias*. Num igitur ii aquæductus sunt in spirituum officinæ? quia non est assignabilis causa determinans ipsos spiritus in nervos. Nam si ejus sunt activitatis, quam decantant Adversarii, cur statim ab exitu e suis excerniculis non avolant per meninges & cranium ipsum extra caput? Confer. *Diemerbroeck Anat. l. 2. c. 11.* Et si mens est, quæ juxta *Cartesium* illorum influxum determinat in homine, quid in brutis ipsum determinabit? aut cur non poterit mens determinare motum potius brachii, pedis, manus &c. quam spirituum? Præterea substantia inextensa movebitne spiritus extensos? & si movet, cur mentem in definitione dixit esse tantum cogitantem?

Non defuerunt, qui in hoc passu confugerunt ad motum duræ meningis, quem ab istius structura postea deduxerunt. Sed motus membrorum spontaneus estne oscillatorius, ut motus eiusdem meningis? Satius proinde arbitrati sunt Atomistæ spiritus facere non solum motivos, sed & sensitivos æstimativos & imaginativos &c. adeout ipsi per se membrorum motus determinarent juxta proprium sensum, iudicium, aut imaginationem, prout supra dicebamus. Si rogas quomodo materia ex insensili fiat sensilis objectorum perceptiva, imaginativa, cogitativa &c.

vel

vel exemplis utuntur Lucretianis nihil omnino concludentibus; vel nihil minus, quam quod fuerit opere prætium, dicunt, ſcilicet nihil afferentes, quod non ut remotiſſimum, atque alieniſſimum ſit: ita generaliſſimum, maximeque indefinitum. Superſedeo idcirco ulterius ſciſcitari ab iiſdem, quomodo ſentiant ſpiritus, imagines rerum ſenſatarum percipiant, de iis diiudicent, phantaſmata eadem contemplentur, ſive imaginentur &c. tantum exquiram ab huius Pneumatoſeos Patronis univerſim, quomodo induci poſsint, ut credant dari in nervis cavitates, quæ nulla arte, nullis accuratiſsimis microſcopiis percipi poſſunt. Itaque (concludam cum *Liſtero de Humor. c.* 50.) cum hos tubulos commentitios vere cavos eſſe probaverint, mihi tunc opportunum erit his tantis figmentis reſpondere. Mirum ſane eſt, quo procedat medica credulitas, uti his nuperis annis non ſine ingenti admiratione vidimus. Profecto ex his ſpiritibus animalibus primum omnis in medicina fabuloſitas orta eſt. Cornucopia eſt, ubi ineſt, quicquid volo. Etenim ex hac una hypotheſi ſpirituum animalium innumeras alias fictiones noſtri homines commenti ſunt.

Antequam vero hunc articulum dimittam de anima hac, ſi Diis placet, materiali, libet adhuc tantiſper animadvertere in motiva, quæ doctos alias Viros cogere potuerunt, ut illam admitterent: talia vero motiva ſunt hujuſmodi. 1. Quia anima rationalis natura fugaciſsima neceſse habet aliqua ſubſtantia inter materiam & ſpiritum media, quæ ſit hujus tanquam hypoſtaſis, i. e. mentis & corporis quoddam veluti vinculum. 2. Quia eadem rationalis anima ad contemplandum nata quo tempore in ſublime fertur, cælumque tuetur rerum corporearum ſatagere minime poteſt: ne proinde hujuſmodi ſolicitudo noſtram defatigaret mentem, placuiſſe omniſcio Creatori aliam homini mentem, aliam materialem animam largiri; quarum illa intelligere ac velle, hæc movere, ſentire objecta externa, ac facere quodlibet poteſt. 3. Quia experimur nullo non tempore in nobis pugnas illas partem ſuperiorem inter & inferiorem, rationalem & ſenſitivam, per quas, quæ illa neſcit, vult, aut non vult, hæc agit, vel non agit pleniſsime, V. g. dum totum *Pater noſter* ſimilemve præcationem ſine attentione ani-

mæ rationalis ex devotione recitamus, concupiſcentiis ejuſmodi exardeſcimus, quibus ſana ratio frenum imponere quidem ſatagit, fruſtraneo tamen conatu, & ab impetu animæ ſenſitivæ eluſo. 4. Quia impedito ad partes materiæ animalis influxu ſive reſectione id contingat nervorum, ſive ligatura, ſive compreſſione, ſive alio modo brevi poſt & motus & ſenſus ejus partis, ad quam nervus tendit, omnino perit. 5. Quia ſi principium, per quod bruta ſentiunt eſt materiale, hujuſmodi quoque eſſe debet hominis principium ſenſitivum &c. Reſp. igitur ad 1. Poſita Divina Voluntate nobis ſufficienter revelata per illa verba *Faciamus hominem*, alio vinculo aut hypoſtaſi non opus eſſe. Ad 2. quod finis animæ phyſicus non eſt, ut contempletur, ſed ut animet, ſed ut ſpiret & ſpirando vitam corpori largiatur juxta etymon animæ, quod eſt ἄνεμος, ventus, ſpiraculum vitæ in Scriptura vocatus. Quod deinde reſpicit ad illud, quod metuunt Adverſarii, ne videlicet rerum corporearum cura & ſolicitudine anima delaſſaretur, molle nimis eſt. Defatigatio (inquit *Scaliger*) non efficitur, niſi aut 1. inſtrumenti vel conſumptione, vel depravatione, vel diminutione: aut 2. non convenienti proportione inter motum & motorem. Inſtrumentum igitur, i. e. materiam ſic dictam animalem vereri potius deberent illi, ne delaſſaretur, non vero animam. Reſp. ad 3. ineptum & a ſana philoſophia prorſus alienum eſſe exiſtimare, ubi dantur duo affectus contrarii, quorum unus alteri ſuccedit, ut ira & manſuetudo in aliqua perſona, ibi dari quoque diverſas cauſas; cum non ſit neceſſe, quod formæ ſint diverſæ ubi ſunt diverſæ operationes. Viſus E. g. auditus, odoratus, & plura alia ſunt effectus unius tantum animæ omnes iſtas facultates in ſe eminenter continentis: differunt tamen ratione objecti, quatenus objectum coloratum non poteſt eſſe objectum auditus, quemadmodum verſa vice objectum phonicum non poteſt eſſe objectum viſus. Ut igitur differentiæ quoque affectuum pendent a diverſitate objectorum, ita non eſt dicendum ſingulos diverſos affectus pendere a ſingulis diverſis principiis. Ad exemplum deinde, quod aſſertur de actibus inadvertenter emiſſis, quis non videt plurimum intereſſe an quis aliquid ex habitu agat, an cum deliberatione? Re-

cita-

citamus V. g. aliquid ex habitu, dum interim mens alio obversa est: probatne hoc dari propterea in nobis duas diversas mentes? Et concupiscentiæ quibus nos resistimus ex assensu circa objectum concupitum, non autem fiunt ex objecto intellectuali, aut rationali. Resp. ad 4. quandoquidem in omni nervorum fasciculo adsunt arteriolæ, & hæ in omni nervorum ligatura ligantur, præsumendum esse, quod paralysis, quæ talem sequitur ligaturam effectus potius est arteriarum, quam nervorum ligatorum; prout nempe arbitrati sunt *Bartholinus*, *Peyerus*, *Steno*, qui ex truncis arteriarum ligatis idem accidisse annotarunt. Et sane sensum fundamentum habere in sanguine pluribus manifestabitur *in Paradox. Part.* 3. Ejus igitur vel imminutio, vel depravatio, vel abolitio non a nervis, sed a sanguine est auguranda. Confer etiam *Paradig.* 1. *Memb.* 1. *Par.* 6. Ad alia experimenta, quæ item obtrudunt Antagonistæ, E. g. observatum fuisse etiam detruncata capita aliquandiu movisse labia, aut terram dentibus momordisse trementibus interea membris; quod si quis acu pupugerit plantam pedis post unam alteramve a detruncatione horam adhuc sensus signum illi dent; & quod alias sæpe visum est in lacertis, anguillis, muscis, aliisque brutis idem accidisse, respondetur non animatis duntaxat corporibus solemne esse, ut cessante etiam totaliter applicatione potentiæ motricis aliquo uspiam in motu pristino perseverent; verum & in inanimatis, ut videre est in rotis, trochleis, globulis &c. Si itaque potentia motrix extrinsece duntaxat applicata relinquit effectum suum post se, tanto magis relinquere quoque debet intrinsece forma inhærens subjecto: siquidem post mortem violentam remanet in isto adhuc impressio ab anima antea facta in sanguinem, qui propterea movetur quorsum tunc fuit ab illa determinatus: ut taceam non tam pro, quam contra Adversarios militare allata exempla. Quid enim? non ne resectis nervis materialis ille spiritus istorum incola sufflaminari statim a detruncatione & evaporare debet? quod insuper, si experimentis certandum foret, opponi illis possent alia de cerebro bovum putrefacto, de hydrocephalo, de accephalis, & de iis, qui sine cerebro, aut hoc magna ex parte absumpto vivere, adeoque & sensu

&

& motu gaudere non desierunt . Confer. *Helvvig. Bartholinus*, alii : exindeque ostendi sensum illum & motum spiritibus animalibus e cerebro per nervos influis non deberi . Resp. ad 5. non vallere illationem ab anima brutali ad humanam, a principio sentiendi in brutis ad principium sentiendi in homine : modo differentia inter utramque specifica adhibeatur æque sensitiva est humana anima ac brutalis , nec a sensu tale discrimen est repetendum . Quo circa colligo nullam esse rationem ponendi in ipsomet homine alteram illam animam a rationali distinctam ; Spiritusque sic dictos animales in causam motus ac sensus ideo non esse arcessendos . *Non admittunt Philosophorum doctiores* (inquit H. Barbatus) *dari spiritus animales . Spiritus , quorum natura ita in ambiguo est , communi ignorationis subterfugio inservire : Vulgo enim scioli , cum causas assignare haud norunt , dicunt statim a spiritibus hoc fieri : & omnium opifices introducunt : & ut non mali Poetæ ad fabulæ explicationem & catastrophe* θεὸν ὠπὸ μηχωνς *advocant in scenam* . Ita Harvæus ad Riolanum . Et alibi : *nihil magis dubium atque incertum , quam de spiritibus doctrina tradita . Spiritus animales natura ignorat , de quibus tamen multa lepide somniavit Willisius* . Ent. *Spiritus animales subtiliorem sanguinis partem , vaporem ejus , & nervorum succum multi nominant , sed verba hæc sunt nihil exprimentia*. Ita Steno de Musculis . *Fabulæ* (inquit Conringius) *Platonicorum sunt , quæ asserunt corpus intermedium quoddam esse , quo anima corpori alligatur , quibus nihil est inanius . At inquies* (pergit Lister loc. supracit.) *spiritibus animalibus negatis ingens hiatus in œconomia animali patebit ; sine quibus sensus & motus recte & commode explicari nequeant . Alii viderint : posteris dignum negotium relinquetur , si a nemine impræsentiarum excogitari contigerit ; certe. falsa non amplius retinenda sunt desidiæ oblectamenta :* Faxit sempiterna Bonitas , ut cogitata nostra cedant juxta *Listeri* vota!

V. Redeo nunc igitur , unde digressi fuimus , & rem ita colligo : Deus non est causa efficiens operationum , quæ spectantur in corporibus sive animatis , sive inanimatis : nec operationum animalium causa proxima est vel partium mechanismus , vel

ma-

materia quælibet putatitia animalis. Quæro itaque unde habeantur istæ operationes? Quoad inanimatorum corporum generationem, acretionem, diminutionem, corruptionem &c. dictum est operationes has mediante motu corporum creatorum, sive elementarium. Eruntne igitur hæc actionum quoque animalium causa efficiens? Nequaquam. Etenim alio modo moventur corpora inanimata, alio animata. Corpora inanimata moventur motu violento per motum illis impressum ab externis causis, videlicet elementis: corpora vero animata moventur a se ipsis, i. e. per causam sibi inhærentem & intrinsecam; & hæc causa nec Deus est, nec materia; ergo forma, i. e. substantia immaterialis: ergo datur substantia immaterialis tam Increata, scilicet Deus, quam creata, scilicet Anima: & in unoquoque animalium existit hæc creatura immaterialis, sive spiritualis, i. e. hæc anima. Quod si quis dubitat, creata materiali substantia debuisse Deum alteram immaterialem creare, quod nimirum materia omnes absolveret actiones; præterquamquod *in superioribus articulis* huic dubitationi fuit satisfactum, materiam scilicet utpote a se immobilem nihil posse agere, patet insuper de potentiæ divinæ perfectione esse, ut quemadmodum substantiam a se immobilem, creet quoque substantiam a se mobilem, adeo ut summa Entis divisio sit in a se immobile, i. e. materiale, & in a se mobile, videlicet spirituale. Postremo creaturarum immaterialium existentia probatur notissimo argumento: Ubicunque sunt duo extrema, quorum unum activa substantia, infinita, perfecta, omnium conditrix; alterum materiale passivum corporeum est; ibi dantur & mediæ creaturæ magis minusve perfectæ, prout uni aut altero extremo magis accedunt: sed datur suprema substantia purissima, activa; & infima, quæ est pure passiva: ergo datur & media, quæ est activo-passiva, nempe Homo; Sed si datur substantia activa, infinita, perfecta; & substantia activo-passiva, datur & media & completa substantia inter pure activum infinitum, & activo-passivum: ergo datur & media & completa substantia activa, finita, creata, quæ est Angelus. Et rursus si datur activo-passiva creatura videlicet Homo ex principio activo, seu Anima, & principio passivo, i. e. Corpore in-

re incompleta ſubſtantia compoſitus, datur etiam creatura de humana, ſcilicet ſpirituali, & pure materiali ſubſtantia participans; ergo dato, quod exiſtat ſubſtantia activa, infinita, perfecta, & ſubſtantia activo-paſſiva creata, non modo implicat, ſed neceſſe eſt dari plurium ordinum ſubſtantias ſpirituales creatas; ita nempe, ut quemadmodum res inter materiales differentiam gradualem ratione ipſius materialitatis, eamque inſignem admittere cogimur, V. g. inter ſolem, lunam, aurum, aquam &c. a quibus ſingulis pro indole ipſius materialitatis alius atque alius producitur effectus; ita quoque inter immaterialia gradus diverſos concedendos eſſe: adeoque extra dubium eſt aliam immaterialitatem occurrere in Deo, aliam in Angelis, aliam in Mente. Hinc ſi motricem & ſenſitivam illam virtutem, quæ in brutis obſervatur quoque immaterialem quis, ut par eſt, dixerit cum *Auguſtino l. 4. de Anima ejuſque origine* c. 3. *item l. de Quantit. Animæ*, & paſſim, excellentiorem dubio ſine hominis animæ, ratione immaterialitatis dabit, quam Spiritui beluino: ſicut magis adhuc excellentiorem Angelis, ac tandem excellentiſſimum Deo aſſignare ratio & religio jubet. Exemplum diverſitatis perfectionum in corporibus ſuggerit quoque non leve indicium neceſſitatis exiſtendi creaturarum ſpiritualium ſpecie diverſarum. Mixtorum namque plura perficiuntur ab animalibus, quæ ab elementis nequaquam poſſunt, ut E. g. Sanguis, zibetha, caſtoreum, innuri eri lapides &c., adeo quod vix reperibilis aliqua ſit materia, circa quam ullum non animal negotietur in locis ſive calidis, ſive frigidis, in puteis, ſtagnis, & nive ipſa. Quamobrem ut ſpecie varia eſt ſeminalis materia, ita ſpecie quoque diverſa dari debuerunt principia activa, a quibus eadem moveretur, perficeretur; concludendumque venit cauſarum ſecundarum duplex eſſe genus, alterum materialium, alterum immaterialium, quot videlicet ſunt res creatæ partim immediate a Deo motæ, partim tales effectæ, ut eſſent a ſe mobiles.

VI. Objicies 1. principium agendi in brutis non eſſe immateriale, quia bruta non cogitant. Sed contra eſt primo, quia ſpiritualitatis, ſive immaterialitatis formalitas non conſiſtit in cogita-

gitatione, sed in potentia movendi se a se. Angelus V. g. non cogitat, sed intelligit, & tamen Angelus est spiritualis. Consistitne igitur spiritualitas in cogitatione. Quamvis vero *Cartes* τὸ cogitatio extenderit ad omnes actus intrinsecos suæ mentis, itaut ipsum sentire illi cogitare sit, non tamen exhaurit totam latitudinem actionum, quæ fiunt a substantiis spiritualibus. Motio eamque spirituum animalium E. c. quæ secundum eundem Cartesium fit a mente in homine estne cogitatio? Scientia, quam quis habet de re clare & distincte percepta estne cogitatio? 2. quia sentire, cognoscere &c. adeoque cogitare bruta multis manifestum redditur. Nam 1. adsunt S. Scripturæ loca *Isajæ* 1. v. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Jeremiæ* 8. v. 7. *Etiam ciconia in cælo cognovit tempus suum, turturque & grus & hirundo observant tempus suum:* Matthæi 10. v. 16. falli & fallere nescius structor dixit: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* 2. evincunt idem actiones brutorum rationis plenæ, quales sunt præprimis simiarum, elaphantorum, vulpium, hyenarum, & lupi illius, cujus mentionem faciunt M. N. C. D. 2. A. 9. O. 71. Confer præterea *Rajum in Sympos. method. quadrup. animal.* 3. Dolores & animi pathemata brutorum: dum læsa sensu tristi afficiuntur, beneficiis affecta blandiuntur, eaque redhostire allaborant: flagrant quoque amore, odio, invidia; se suosque tuentur, gratique animi dant signa. 4. quod quædam ex bestiis sunt disciplinæ capaces: *Videbatur elephanto nihil habere natura procerius* (inquit *Ambrosius l. 6. Hexam.*) *nihil sævius tygride, nihil horribilius leone; & tamen hæc serviunt homini, & naturam suam humana institutione deponunt: obliviscuntur quod nata sunt, induunt quod jubentur. Quid multa? docentur ut parvuli, adjuvantur ut infirmi, verberantur ut timidi, serviunt ut famuli, corriguntur ut subditi; in mores abeunt nostros, quoniam morus proprios perdiderunt.* Confer. item *Deusingius Hieron. Rorarius Tract. quod bruta animalia melius homine utantur ratione; Cornel. Stalpartius*, M. N. C. D. 2. A. 8. O. 161. *in Schol.* Testimonia vero sexcenta ex perientias adductas comprobantia ex *Aldourando Jonstono, Schot.* aliisque plurimis, qui historiam animalium conscripserunt, pe-

ti possunt : adeo ut merito in negantes sensum , sive Cathesianam cogitationem in brutis invehatur *Cardanus de subtil. l.* 4. *de An. & Intellectu* optans ut cogantur mordacis canis crura præmere , aut in via inculta & salebrosa æquo vehi oculis orbo ; damno enim suo experturos , utrum bruta sentiant necne.

VII. Objicies 2. si brutorum animæ essent immateriales , forent immortales ; sequela est absurda ; Ergo & id unde sequitur . Resp. immateriale & immortale non esse terminos convertibiles , nec dici de subjecto reciproce , adeoque nec idem inferre. Immateriale namque importat mobilitatem a se , immortale vero durationem : mobilitas ergo a se , & duratio convertunturne vicissim ? Nullo pacto ; perperamque idcirco argumentari autumo , qui ex spiritualitate , seu immaterialitate inferunt immortalitatem : quoniam , inquam , harum neutra insequitur subjectum eodem modo . Deus, quia increatus & æternus , est immortalis : reliqua per participationem , quatenus videlicet de ipsius natura magis participant , sive sunt perfectiora , ut Angelus , ut anima rationalis , quoniam alter actu, altera potentia intelligit ; non vero brutalis , utpote expers intellectionis . Differentia inde quoque perspicitur , quod probemus argumentum ; est intellectivum , ergo est immortale : negemus vero sequi , est spirituale , ergo est immortale : & prius ideo probatur , quia intellectivum de natura æterna , seu intellectu purissimo & increato participat , minime vero non intellectivum . Concedo itaque ambabus , quod si bruta intelligerent , ut nos, ratiocinarentur ut nos , animam quoque possidere deberent immortalem , ut nos : verum quoniam negamus illa intelligere , ratiocinari , inflectere ut nos , negamus quoque illis adscribi debere eandem penitus perfectionem , quæ nos evehit ad immortalitatem ; umbramque idcirco timent Adversarii , ac si brutorum animas stabiliendo immateriales eas quoque ponere tenerentur immortales . Non enim immaterialitatis formalitas consistit in illis ; nec necessitatis absolutæ est, ut omne immateriale ens agat in eodem perfectionis gradu & propter eundem finem : quod Angeli boni & mali , ni fallor , evidentissime probant : ut taceam alium humanæ , alium esse ortum animæ belui-

beluinæ ; discrimen autem istud diversam pariter inducere immaterialitatem , prout pluribus fiet palam *in Disquisit.* 4.

Concludamus igitur , præter universalem substantiam , scilicet Deum , de quo , *Cartesii* elogio , unice dici potest quod sit substantia , existere alias substantias immateriales creatas , Angelicam , Humanam , Brutalem , a quibus tanquam principiis a se mobilibus & activis una cum aliis secundis causis elementaribus videlicet & creatis eliciuntur operationes omnes , quæ spectantur in materia seminali dicta , h. e. produci apta : & hinc porro istam in corpora concrescere vel inanimata , quando solæ causæ elementares agunt , vel animata , quando formæ propriæ ac specificæ , i. e. animæ in speciale quoque semen a Supremo Agente ac rerum omnium Conditore Deo immittuntur modo *in cit. Disquisit.* proponendo . Quippe impræsens sese offert VIII.

DISQUISITIO TERTIA.

Quid sit Substantia Immaterialis.

I. Responsio in genere jam data est : nimirum *Ens est a se mobile* , utque præcipuum materiæ distinctivum est immobilitas a se *per Disq.* 1. ita præcipuum distinctivum spiritus ab omni non ipso ; scilicet a materia , est mobilitas sui a se per axioma , quod contraria sub eodem prædicamentali genere , ut , in nostro casu , substantiæ continentur . Objicies Deum Motorem omnium immobilem non esse , vel a se mobilem ; motumque omnem arguere imperfectionem . Sed contra est 1. quia , ut loquuntur Theologi , nisi moveret se Deus , non esset Deus . Nam nec intelligeret , nec vellet : qui tamen actus ad intra sunt ipsemet Deus , ad extra divini vultus imagines : nimirum, ajunt , præter actus immanentes & transeuntes ad intra , qui ipsum Deum , quatenus in tres Personas realiter inter se distinctas consideratur , respiciunt , dari in Deo perpetuos actus tam immanentes , qui sunt intelligere & velle creaturas, quam transeuntes , ut creare , conservare , unire , exornare , restaurare , illuminare , glorificare : & immanentes ideo dari ,

quia in Deo summa cognitio est & suprema volitio ; transeuntes autem , quia in ipso omnia , ab ipso tanquam fonte totius esse cuncto omni temporis momento dependent . 2. Quia movere , & esse immobile contradictoria sunt : τὸ enim esse immobile dicit non movere. Quamobrem vel Deus non est motor , vel , si movet , debet pariter se movere . Postremo an negandum est dari in Deo actus cum intellectivos , tum volitivos præfatos ? Si ergo agit , cur se non movet ? quod enim agit , se movet , & quod se movet , agit. Sed qui Deum fecerunt immobilem , ideo fecerunt talem ob respectum ad motum localem , qui in Deo non datur . Ut igitur duplex substantia , ita duplex motus : naturalis est , qui a vi , seu principio intrinseco procedit , & immaterialium substantiarum proprius est ; dum nimirum eæ se in se intra , extra movent , quamvis non exeant extra se: violentus autem qui a causa extrinseca , prout alibi dicebatur . Ad priorem pertinet definitio motus tradita ab *Aristotele* , quod nempe sit *actus entis potestate talis*; quamque porro Recentiores rerum spiritualium ignari tantum non contumeliis exceperunt . Quicquid sit ; actus entis intrinseca potestate agentis est actus substantiæ a se mobilis ; & hic actus est vel in se , quando eadem intrinsece se movet ; vel in alio , quando se movet extrinsece . In Deo actio in se est generatio & processio , in alio est creatio , conservatio &c. in creaturis autem spiritualibus actio in se est sensio , phantasiatio , cogitatio &c. in alio , vel in aliud est motus corporum localis , aut eorundem quies . Sed aliud est movere , aliud moveri: Creaturæ spirituales movent se in alio, i. e. in Deo ; Deus vero movet se in se : unde & Deus dicitur Ens a se , creatura ens ab alio. Quamobrem ad id, quod subjicitur ab Adversariis , motum nempe omnem dicere imperfectionem , resp. distinguendo iterum inter motum violentum seu extrinsecum , & motum naturalem sive intrinsecum . Deus ratione totalis suæ essentiæ & immensitatis est immobilis , non item secundum esse suum intrinsecum & correlativum : atque hic motus tantum abest , ut dicat imperfectionem , ut sine illo Deus , ut dictum est , non esset Deus . Quid , quod de motu intrinseco præfato extat vulgatum illud in Physicis , *mo-*

tum

tum perficere animalia dum rationalis anima intantum excellentior est brutali, inquantum quod reflexe se movet illa, hæc vero nequaquam; lapis præterea, planta, & hæc bruto ignobilior censetur, quoniam hoc libere se movet, illa vero coacte. Et postremo nonne artificialia pleraque, ut automata, quo mobiliora sunt, eo majori in prætio habentur? Verum de generico distinctivo inter materiam & spiritum hactenus.

Quod hujus essentiam, quum quæritur, quid substantialiter sit spiritus, repeto responsionem datam ad quæsitum de quidditate materiæ: scire nempe posse nos illius affectiones, realitatem vero nequaquam. Post compertam nihilominus ejusdem spiritus primariam affectionem, scilicet mobilitatem a se, & per singulas spirituum, seu entium immaterialium species discurrendo illud subit advertendum, harum singulas ut in mobilitate, ita in visione else magis minusve perfectas. Incipio a Deo: is certe sicuti purissimus est ac simplicissimus spiritus, ita purissimus est ac perfectissimus Intellectus, ita quod non modo fovet Deus omnia, verum etiam cognoscit omnia, nihilque eum latet, quod toto orbe fiat. Intelligit, adeoque introspicit distinctissime etiam angelus, gradu tamen longe imperfectiori, quantum scilicet a Creatore differt creatura. Minus adhuc videt Mens humana, quam nihilo secius intellectionis esse capacem nemo non novit; ac tandem brutales animas plus minus pariter esse vivas, ex ipsarum actionibus luculenter colligi potest. Nimirum ut omnes spiritus sunt Divinæ velut auræ particulæ, ita singuli de perfectissime vidente ejusdem Dei substantia magis minusve participant. Quo propterea stante II.

Dicimus 1. Angelum esse *Ens a se mobile intelligens*, sive clare ac distincte percipiens objecta, non absolute & intrinsece, ita ut nihil eorum ipsum lateat, sed simpliciter secundum quid, sive in gradu limitato, prout convenit creaturæ. Hæc autem definitio parum distat a vulgari illa Scholasticorum, qua asseritur esse Angelos *Intelligentias motrices*, τὸ *motrices* si sumatur pro eo, quod est se & alia movere, qui status est omnis immaterialitatis. Objicies Angelos moveri duntaxat permissive, ex nutu Dei. Resp. distinguendo inter statum naturæ & gratiæ: in statu naturæ, i. e. originali, liberum fuisse Angelis se III.

mo-

movere & non movere (intrinsece videlicet juxta naturam immaterialitatis, sive spiritualitatis) declarat prælium illud magnum ab iis commissum, & in quo ab ipsis in partes libere discessum est. Quod deinde in statu gratiæ vel damnationis non se moveant, nisi permissive, hoc alterius est ordinis. Quippe cum præmium aut pœnam internorum actuum suorum, puta cogitationum jam fuerint consecuti, in sempiterno erga vel contra Deum motu sunt, & per hunc erga, vel contra creaturas.

IV. Dicimus 2. rationalem animam esse ***Ens a se mobile intellectivum***, habens nimirum aptitudinem ad intelligendum, secus Angelum, qui actu intelligit; & ideo ab isto gradu tantum differt juxta illud: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*. Quod si mutatis verbis definitionem afferre libet in hunc modum: anima rationalis est *Ens a se mobile intuitivum perfecte*, per me licet: perfecta siquidem intuitio nihil ab intellectione differt; & sic quod perfecte, i. e. clare & distincte percipere potest, potest etiam intelligere, seu perfecte intuitivum æquipolleat intellectivo, & viceversa. Quomodo vero animus humanus e simplici visione ascendat ad intellectionem docebitur ***in Part.*** 3. Porro eadem anima præterquam quod ratione suæ immaterialitatis habet, ut sit a se mobilis, suffragiis quoque clarissimorum Virorum id habet: *Marcus Victorin. Aphor. I. adversus Arium*; In definitione animæ, inquit, cum dicimus, quid est anima, proprie dicimus & substantialiter, quod a se movetur. *Nemesius* item contra antelecheiam *Aristotelis* disputans in hanc sententiam abit: Anima cum secundum naturam moveatur, secundum naturam consistere non potest; unde *Intellectus* (inquit *Scaliger Exer.* 358. §.8.) perpetuo in opere est non ut quiescat, sed ut in æterno tandem motu sit. *Quid enim est aliud Dei Opt. Max. cognitio, atque amor ex ea, quam inexplebilis appetitus adhærendi illius infinitati?* ne memorem juniores Philosophos, *Honor. Fabrum*, *la Chambre*, *Sbalium* palam profitentes liberam se movendi potestatem in anima, quod nimirum nil cuipiam notius esse possit, quam se cognoscere, dubitare, amare, & alios actus animales exercere, qui aliunde oriri non possunt, quam a principio a se mobili. Et quod intuitivitatem, seu

ſeu potentiam cum ſimpliciter, tum perfecte intuendi, præter experientiam, qua conſtat ſenſum, imaginationem, memoriam, cogitationem &c. non eſſe aliud, quam diverſos obiecta videndi modos teſtatur illam etiam *Auguſtinus l. de Spiritu & Anima* his pene verbis: *Tria viſionum genera in nobis manifeſta ſunt; Primum Corporale, quo per corporum ſenſus corporalia ſentimus: Secundum Spirituale, quo corporum ſimilitudines ſpiritu, non mente cernuntur: Tertium Intellectuale, quo illæ res, quæ nec corpora, nec corporum formas habent, conſpiciuntur.*

Quare miſſa potentia intuitiva, obiectiones, quæ contra definitionem noſtram afferri poſſunt, omnes verſantur circa ſui a ſe motivam. Has ſimul congeſſit & ex cathedra dictavit, non ita pridem Illuſtriſſimus in celeberrima Univerſitate Philoſophiæ Profeſſor ſub his terminis: & 1. *Triplicem motus ſpeciem in homine vulgus Philoſophorum diſtinguit, nempe Violentum, Naturalem & Liberum: atqui nullum ex his motibus anima rationalis in corpore humano producit; non quidem Violentum. Nam fatentibus Adverſariis fit is in nobis invitis & repugnantibus. Non etiam producit motus Naturales; v. g. motum cordis, circulationem ſanguinis, aut alios neceſſarios ad reſpirationem, augmentum &c. qui perficiuntur in Infantibus, in mulierculis, in hominibus tam doctis quam indoctis, etiamſi de iis nullatenus cogitent: imo experientia conſtat eos motus in iis melius perfici, qui ad illos ſcrupuloſius non attendunt. Miſere enim vivit, qui aut opera ſua, aut opera Medicorum frequenter utitur ad eos diligentius explorandos. Tandem anima non producit vere & proprie motus, qui liberi ſunt, v. g. motum brachii, manuum &c. Nam anima in ſua idea, ſeu conceptu, ut vocant, objectivo nonniſi cogitationes, & volitiones includit: atqui illæ non habent vim, ut brachia, manus &c. transferant. Nam cogitare, aut velle ut quiſque percipit non eſt præciſe transferre corpus de loco in locum, niſi illud cogitare aut velle talem potentiam ſibi adiunctam habeant, ut ei omnia obtemperent, qualis eſt ſola Dei voluntas &c.* V.

Reſp. dato licet, quod violentus motus fiat nobis invitis & repugnantibus, ut in convulſione, non ideo tamen hoc probat omnem violentum motum non fieri ab anima. Viſo graſſatore VI.

in

in via terga invitus verto: motus hic violentus est, & tamen est ex anima; nec quempiam reperire est, qui illum aliunde provenire fateatur. Motus deinde naturalis, seu vitalis non inchoatur, nisi post adventum animæ in materiam generatam; ergo præsupponit illius actionem; & quamvis ex vi materiæ postea continuetur, animam nihilominus agnoscit semper in causam principalem in infantibus mulierculis aliisque incogitantibus. Non enim ex cogitatione perseverat, sed ex actione instrumentali; accersiturque porro Medicus non ut illam exploret, sed ut deficientibus instrumentis occurrat & succurrat, quo cum illa deinde suarum virium proportioni & æqualitati restituta, vel aliter restaurata convenientes vitæ functiones præstare valeant. Tandem motus liberi cur non fiant a volente? Voluntas certa actio est animæ, & sine vi nulla est actio. Anima igitur vel caret voluntate contra positionem D. Professoris, vel si possidet volitiones, non caret vi agendi, adeoque & transferendi manus, pedes, brachia &c. nec eo secius dicenda est omnipotens, quoniam pes, manus, brachium non sunt mons, mare, omnia.

VII. 2. *Illi motus ab anima non possunt produci, qui ab ea intendi, nec optari possunt; atqui motus corporis nec ab ea intendi, nec optari possunt. Ergo: Prob. mi. Anima nullam habet notitiam partium, quæ moveri debent; ignorat, quomodo movendæ sint, & qua via; nescit distributionem sanguinis in venis & in arteriis; doctissimi quique vix conjiciunt aliquid de mechanica, ex qua repeti debent dimensiones, proportiones & directiones motuum: imo vero minus perspecta est Viro Anatomico proprii constitutio corporis, etiamsi anima dicatur ipsum intime penetrare, quam aliorum corporum, quæ ab ipso secta fuerint. Ergo anima cum nullam habeat cognitionem motuum corporis humani, quod inhabitat, nec eos intendere, nec optare, nec per consequens proprie producere potest.*

VIII. Resp. neg. mai. Illi motus ab anima non possunt produci, qui non sunt sub ejus potestate, ut E. g. motus cordis, arteriarum, duræ meningis &c. non vero qui ab anima non possunt optari aut intendi. Tales quippe motus naturales dicti cum illius dominio immediato & directo non subjaceant, nec produ-

produci, nec intendi queunt; non sic alii idcirco voluntarii dicti, ut sunt motus manuum & digitorum, nisi forte a causa aliqua externa sint impediti. Distinguo igitur min. motus corporis naturales ab anima nec intendi nec optari possunt, conc. min. motus voluntarii, neg. min. & negata pariter consequent. nego iterum argumentum quod affertur ad probationem min. Est enim corpus organon, aut instrumentum animæ operationibus accommodatum. Ut igitur instrumentum obsequitur artifici, ita opus non habet artifex, nempe anima, scire partes sui instrumenti ad hoc ut operetur. Aqua E. g. movet rotam molendini: requiriturne ad hunc motum, ut aqua habeat notitiam rivuli, cànalis, rotæ? Ita anima movet se in corpore, & se movendo movet ejusdem partes suo imperio subjectas; nec necesse est, ut sciat quales partes movere debeat, aut quomodo sint movendæ &c. nullaque, imo absurda penitus illatio est; non cognoscit, ergo non movet.

3. *Si anima sit causa motus proprie dicta motuum corporis, potuit pro arbitrio suo motum procreare in partibus, minuere, redintegrare, augere* &c. *atqui hoc non posse ab illa fieri constat experientia, ut patet non modo in illis, qui inviti moventur, sed etiam in variis ægrotis, V. g. in febricitantibus, in furiosis, quorum intempestivos motus anima coercere non potest; in soporosis, in apoplecticis* &c. *quos motus anima nequit in motus validos commutare. Ergo.* IX.

Resp. distinguendo rursus motus in Voluntarios & Involuntarios, X. ad quos etiam spectant naturales. Motus voluntarios posse pro arbitrio procreari in partibus, minuique, redintegrari, aut augeri ab anima quisvis novit; dum pro lubito sedemus, surgimus, ambulamus &c. Supersunt igitur involuntarii, qui cum non sint sub animæ potestate, nequeunt probare intentionem D. Adversarii. Nihilominus, ne per data exempla quidquam evicisse videatur, dico 1. qui involuntarie moventur, non moveri a principio interno, sed externo, ut currus, globus, &c. 2. qui febricitant, non moveri quidem, aut inhabiles reddi ad motum propter causam extrinsecam, sed tamen propter causam materialem motus organa lacescentem, vel impedientem. 3. in tantum furere, in quantum quod idea furoris ipsis re-

præsentatur; qua durante repræsentatione nequit anima habere ideam mansuetudinis, per quam motus suos valeat compescere. 4. lethargicos, ut perceptionis, ita & motus non esse capaces. 5. demum apoplecticos ideo non posse assurgere, quoniam organa sunt inepta.

XI. 4. *Ut anima sit causa proprie dicta motuum corporis, debet esse clara aliqua & rationabilis idea hujusmodi opinionis: atqui nulla est. Nam anima superficiem non habet, ut corpori applicata ipsum tangat & pellat. An forte putabimus illam totam, aut aliquam ejus partem, quæ vel toti corpori, vel alicui ejus parti respondet, moveri quodammodo, atque velut succurri, ut corpus vel partem corporis transferat, aut impellat? At ipsa indivisibilis est & penetrabilis: si motu suo corpus immotum penetrabit, non abripiet, non adunca quadam manu ipsi adhærebit, nec unam partem alteri, brachium V. g. brachio applicabit. Præterea sive anima moveatur, sive Adversarii dicant eam esse immobilem, nunquid ipsa corpus percutiet illique dabit ictum, ut moveat? At ictum dare nequit, quin intueatur; & quamvis ictum daret, corpus motum pervaderet. Est enim penetrabilis ut ceteræ mentes creatæ, quibus nullum corpus obstare potest, quin illud pro arbitrio pervadant. An est aliquid in anima ab ipsa distinctum, cum ipsa extensum, ipsam velut succingens & adhærescens corpori, & simul ipsam cum corpore transferens, aut ab eo translatum de uno loco in alium, quasi de manu in manum? At quid est istud aliquid, qua ratione corpus & animam movet, aut ab anima movetur, aut penetratur? Quis ergo jam non videat nullam omnino esse ideam claram opinionis, quæ statuit animam rationalem esse causam proprie dictam motuum corporis: nisi forte illius Defensores velint a nobis animam intelligi cum Epicureis, cum Spinosa, cum Philosophis Sinensibus instar subtilis alicujus substantiæ corporeæ, quæ sua solida extensione & jugi partium agitatione motus, de quibus agitur, omnes producat, & cujus forte sit idem intellectus, ac jumentorum. Sed hæc religioni ac rectæ rationi repugnant; ergo & opinio, ex qua deducuntur.*

XII. Resp. claram ac rationabilem ideam opinionis ponentis animam esse causam efficientem veram motuum corporis, quod ea

ea sit substantia activa, i. e. a se mobilis, intrinsece, extrinsece, in omnem sensum: corpus vero substantia nullo modo a se mobilis; quod item anima extrinsece se movendo corpus moveat huic utpote alligata mediante divino beneplacito; & quod ad hanc motionem non indiget superficie, non termino, sed origine. Tandem quod est indivisibilis & impenetrabilis, quocunque licet penetrare apta; quodque nec maximum admittit, neque minimum, quoniam non est corpus. Est extensilis, non extensa, contractilis, non contracta, & quocunque se extendit, undecunque se contrahit, agit ut spiritus, non ut materia, organo videlicet plicatili ac versatili motibus ipsius animæ obsequente. Si clariorem hac opinionem habet D. Auctor, proferat in medium; ego nullam aliam video rationabiliorem. Nec mora: *solus Deus immotus & immutabilis* (inquit) *est causa proprie dicta omnis corporum motus*. Verum hujus ideæ irrationabilitas fuse satis ex aliis demonstrata fuit *Disq. præced. art.* 2. quem vide: & ulterius elucere potest ex responsionibus ad objecta, quæ sibi ipse conficit, & sunt sequentes. *Objicies* 1. *quisque experitur, & sensum intimum habet se producere motum brachii, oculorum* &c. *Ergo*. *Resp.* 1. *neg. anteced. Nemo enim habet sensum intimum, nisi suarum cogitationum: sed cogitationes non sunt motus brachii* &c. *ergo si quæ sit persuasio a nobis produci motum, est superbia, aut ludentis imaginationis fœtus.* Quæ decisio! An quis inficiari potest habere se intimum sensum eorum, quæ operatus sit, motus nempe brachii V. g. aut linguæ; quæ conscientia facti aut dicti appellatur? Cur ergo ponit Auctor neminem habere sensum intimum, nisi suarum cogitationum, sensu motuum, sive operationum excluso? Nonne superbiæ potius tribuendum esse, velle quod quis non habeat, quod habet, & quod conscius non sit eorum, quæ scit se fecisse, vel dixisse? *Resp.* 2. (pergit) *est sensus intimus nos producere motum tanquam causas occasionales, transeat; tanquam causas revera productrices motus, neg.* Ineptiæ! Quis enim fur, aut mæchus existimavit unquam se committere furtum vel adulterium tanquam causam occasionalem, non vero tanquam verum furem, aut verum mæchum. Sed audiamus quid deinde colligat ex tali distinctione:

ne : *Quare si diligenter reflectamus, compertum quidem erit ex lege unionis & correspondentiæ inter animam & corpus a Deo stabilita, ad talem V. g. nostræ voluntatis nutum aut propensionem sequi motum brachii, oculorum, lapidis* &c. *dummodo voluntatis propensio non excedat vires, seu dispositionem mechanicam nostri corporis. Infans enim & phreniticus E. g. non ambulant etiam posita voluntate ambulandi; Corpus & brachia mulieris vinctæ non concipiunt impetus, qui respondeant ejus propensioni* &c. *Sed nunquam mens attenta comperiet, aut sibi persuadebit se eos producere, sicuti revera nequit pro arbitrio eos producere, qui necessarii essent ad restituendam machinam labefactatam & diutius promovendam vitam, quando ex nimia infirmitate corporis cogitur vel invita, vel reluctans domicilium suum relinquere. Quapropter, quando moventur caput, manus* &c. *anima nostra dicenda est tantum causa occasionalis hujusmodi motuum, seu determinationum. Hac eadem ratione explicandi sunt motus omnes, qui vel Angelis, aut Dæmonibus adscribuntur in corporibus assumptis: quatenus scilicet hæc corpora ex permissu Dei ab eis, vel re vel specie assumpta, & consequenter ad eorum nutus variis exagitata motibus in occasione fuerunt, cui diversi producerentur effectus, seu unde fuerint illorum corporum translationes.* Falsas tamen esse hujusmodi consequutiones cuivis vel leviter attendenti obvium est. Nam 1. si ad talem nostræ voluntatis nutum aut propensionem sequitur motus brachii, oculorum, lapidis &c. colligendum venit voluntatem nostram esse potius causam proximam illius motus, quam occasionalem. Causa enim proxima est, qua posita ponitur effectus. Ergo ut motus brachii, oculi &c. nequit haberi absque nutu aut propensione voluntatis, sequitur voluntatem esse causam proximam, i. e. efficientem veram talis motus. Exemplum deinde de infante & de phrenitico, qui non ambulant etiam posita voluntate ambulandi, huc non quadrat; quoniam organa ad motum sunt inepta. Debet enim semper dari proportio inter motum & motorem, ad hoc ut motus habeatur. Similiter neque militat alterum exemplum de muliere vincta ob eandem rationem. 2. perperam etiam argumentatur Auctor a statu præternaturali ad natu-

naturalem. Motus, qui necessarii sunt ad restituendam machinam labefactatam producuntur additione, subtractione, aut purificatione rerum, quæ labefactant instrumenta motibus naturalibus cordis E. g. pulmonum, intestinorum &c. inservientia; talis autem additio vel subtractio non est in animæ potestate. Quare non valet argumentum a motu mechanico ad animalem. 3. impium ac tantum non blasphemum est asseverare corpora Energumenorum ad nutus dæmonum variis exagitari motibus a Deo. Et si Deus est qui illa exagitat, aut transfert, cur dæmonibus ingressum in talia corpora permisisset? Sed pergo adhuc loquentem audire. *Objicies 2. Homo peccat in malis, quæ motu peraguntur: atqui non peccaret in illis, nisi ejus anima motum produceret; Ergo. Resp. concessa mai. neg. min. Quia ad peccatum, quod motu peragi videtur, necesse non est, ut anima motum producat; sed sufficit quod ipsum determinet pro suo nutu in partibus nostri corporis. Motus enim peccatum non est in se independenter a prava propensione voluntatis; imo sublata illa prava propensione, illo pravo actu di nutu, nudum est demeritum, ut patet in lapide qui non peccat etiamsi cadendo interficiat hominem; in beluis, in dormientibus, quorum certi motus peccata dici nequeunt. Ergo ratio peccati non consistit præcise in motu, sed est a causa deficiente, puta ab actione voluntatis, ad cujus nutum fit motus determinatio; quæ non fieret, nisi adesset prava illa propensio. Et hoc sensu intelligendum est, quod Deus per Prophetas populum suum alloquens ait:* Servire me fecistis in iniquitatibus vestris. *Ex prava enim voluntatis propensione juxta legem unionis ab eo constituta quidam sequuntur in corpore motus, propter quos se dicit servire peccatis hominum.* Lepida causalis! ad peccatum, quod motu peragi videtur, necesse non est, ut anima motum producat; sed sufficit quod ipsum determinet pro suo nutu in partibus nostri corporis: rogo, quid est producere motum, nisi determinare motum? & annuere, propendere ad motum nonne est producere motum? Si igitur determinatio, propensio, nutus sunt necessarii ad motum, eruntne contingentes? eruntne causæ occasionales? Efficiens ergo principale motus Voluntas, & voluntas Animæ motus est; ab anima

itaque

itaque omnis motus in partibus nostri corporis illius imperio immediate subiectis.

XIII. Sed cur animam efficientem motus statuere directe noluerunt Cartesiani ? quia ipsorum Coryphæus fecit illam duntaxat cogitantem. Hinc igitur tot absurda ; hinc tot sphalmata in Medicinam, Philosophiam, Theologiam invecta. Sed ne credant cogitationem illam tanti esse, ut propter eam vadimonium deserendum sit, estne cogitatio proprium in quarto modo, ut ajunt, h. e. ut mens omnis, semper & sola cogitet ? Principio dubitare cogor (*inquit Langius Physiolog. thes.* 25.) num omnis mens sit cogitans, ratione dubitandi sumpta ab infantibus ; quibus in utero adhuc hærentibus, imo etiam natis per multa mensium spatia, quamvis plorent, rideant, lacrymentur, adeoque animatos se esse ostendant, cogitatio tamen talis, qualis definita est, adscribi non potest. Ipse D. *des Cartes* haud diffiteri hoc videtur, non alia ex ratione cogitationem in infantibus colligens, nisi quod ejusdem sint cum adultis naturæ. Vid. *Epis. Par.* 1. *Ep.* 69. Imo *Epis.* P. 2. *Ep.* 4. in mente infantis nullas intellectiones puras, sed confusas sensationes tantum de ideis doloris, titillationis, caloris, frigoris &c. confuse percipiendis occupari statuit. Vid. *Epis.* P. 2. *Ep.* 16. Deinde neque semper mihi videtur cogitare. Vere enim, quicquid *Epist.* P. 1. *Ep.* 105. idem contradixerit, supervacaneam esse perpetuam illam cogitationem puto. Et quæso, non ne incogitanter sæpe numero vigilantes agimus. V. g. dum loquimur aut scribimus, aut testudinis fides pulsamus simul & eodem momento complures musculos atque alia organa citra ullam perceptionem perite tamen & celeriter movemus ? Nonne somni tempore (quod eleganter *Aristoteles Ethic.* 1. *c.* 13. animæ otium appellavit) conscia non sit mens, nec agitatur : alias tot absurda, incongrua, & aliena, quæ nullam connexionem, aut dependentiam habent, in insomniis non tolleraret, nec probaret; sed potius, prout vigiliarum tempore consuevit, statim respueret, ac falsi argueret. Tandem nec sola mens cogitat, quod probatur brutorum exemplis *in præced. Disquis. art.* 6. adductis ; ita ut nullum omnino dubium restare videatur, quominus Ens illud cogitans Cartesia-

num

rum explicet essentiam rei, exhauriatque totam latitudinem sui definiti.

Quod si idem nobis opponatur, definitionem scilicet supra traditam omni, soli semper, & τρώτῳ non convenire animæ rationali, contrarium facile suadetur 1. quia genere & differentia proximis constat talis definitio: genere, quo distinguitur a materia, differentia qua eadem anima discernitur ab alia non ipsa, i. e. ab Angelico spiritu & a beluino; 2. quia convenit infanti æque ac adulto, juveni æque ac seni; dum simpliciter intuitiva est mens infantilis; magis intuitiva, i. e. cognoscitiva est mens puerilis; demum perfecte intuitiva sive intellectiva est mens hominis jam adulti &c. 3. quia ex ea definitione omnes & singulæ humanæ operationes explicantur ac deducuntur, quemadmodum in toto hujus Tractatus decursu fiet palam. XIV.

Dicimus tandem 4. Brutalem animam esse *Ens a se mobile intuitivum imperfecte* imperfectione scilicet relativa (secus namque omnia creata in sua linea sunt perfecta) in quantum nempe, quod respiciendo ad humanam illa longe infra istius a se mobilitatem & intuitivitatem posita videtur. Illa namque se movendo reflectit & circum reflectit; hæc nequaquam illa intuendo reduplicat suas actiones internas; hæc simpliciter duntaxat videt, sensitive nimirum, & ad summum cognoscitive. Quamobrem humana mens sentit, cognoscit, intelligit & ratiocinatur; beluina vero sentit, ut dictum est, & cognoscit tantum. Excipiet aliquis, bruta quædam melius homine uti ratione; ergo eadem pariformiter ratiocinari. Anteced. probatur ex illorum sobrietate, valetudine, præcautione a rebus noxiis & periculis &c. quæ in hominibus paria non observantur. Resp. conced. totum quoties sermo sit de rerum materialium & naturæ, seu esse proprii corporei, cognitione, quod hæc excellentior multo sit in brutis, quam in nobis; & quod deinde cognitio hæc intra terminos tam paucarum rerum earumque materialium consistens æquare valeat cum materialium omnium cognitioni, tum & spiritualium tam universalium, quam particularium &c. super quæ mens humana reflectit, tam est absolute negandum, quam quod musca sit elephanto similis. Discri- XV.

ſcrimen ergo patet ; & quod varias attinet juxta diverſas ſpecies in brutis animarum varietates, petendæ veniunt iſtæ a majori pariter aut minori cum ſui a ſe mobilitate, tum intuitivitate , qua mediante magis minuſve accedunt ad perfectam rerum materialium cognitionem præfatam ; ita ut eadem mobilitas & intuitivitas alia ſit in inſectis, alia in reptilibus, & alia in quadrupedibus animalibus reſpectu terreſtrium : & rurſus alia in muſcis , alia in aviculis minoribus , & alia in majoribus reſpectu volatilium &c.

DISQUISITIO QUARTA.

Quænam ſit Animarum Origo?

I. CUm de formis ſermo eſt , diſtinguendæ veniunt formæ ſeminum , ex quibus emergunt corpora a formis corporum ipſorum . Vulgo dicitur a Philoſophis formam eſſe cauſam internam , per quam corpus naturale conſtituitur ; materiam vero cauſam , ex qua . Vocula vero *per* volunt ſignificari non actionem quandam externam , qua efficiens concurrere ajunt ; neque paſſionem , qua materia ſe formæ ſubjicit ac ſubſternit : ſed activam quandam ſui cum materia unionem , quatenus ſe ipſam communicando ultimam in ſuo genere illi largitur perfectionem ſpeciemque conſtituit . Sed in hac explicatione occurrit trabs in omnibus : dum ex alia parte ſecundum datam diſtinctionem forma ſeminis eſt diſpoſitio materiæ in novum corpus abituræ ; forma vero corporis eſt principium intrinſecum aut extrinſecum agere perſeverans in eodem ſemine, nec proinde ab efficienti diſtinctum.

II. Quæritur ergo 1. unde, & quomodo materia futurorum corporum diſponatur in ſeminibus ? Hoc artificium plures explicare conati ſunt dicendo , quod ut plantæ minimorum ductuum ſtructura convenientem quotidie ſugunt humorem propriæ nutritionis & augmentationis materiam e ſuccis extra proprios contentis ductus ; ſtatutoque tempore ingentem omnium partium maſſam in reſtrictum globulum recolligunt pellicula incluſum, quam amnion diceres: ſic fœminæ cum humanæ, tum bru-

brutæ humorem suum e percolatis succis postea auctum in diversos ductus trahant, donec is varias acquirens effigies in ovum, quod arboris maternæ semen est, sistatur. Alii, præeunte *Boyle*, quod sapientissimus naturæ Author non tantum materiæ motum induxerit; sed cum fabricandum mundum designasset, adeo particularum materiæ catholicæ (sunt ejus verba) certo ordine digessit, ut majora earum systemata in classes præstitutas redegerit, quod specierum materiæ istius particulas in seminalia rudimenta discreverit (quæ in paratis receptaculis tanquam uteris commode reciperentur) alias autem in corpora plantarum animaliumque segregavit: quorum contextura mihi visa est (inquit) in hoc maxime constitisse, quod nonnulla illorum organa ita formata fuerint, ut (præsuppositis & majorum corporum legibusque in natura rerum promulgatis) succosæ quædam horum animalium partes aptæ fuerint, quæ in prolifica semina mutarentur; unde & sibi similem in generando potentiam species suas propagandi adsciscunt: adeoque ut necessitas quædam ab initio impenderit, ut sciens & providus Agens catholicam materiam in mundo distribuerit, maxime autem aliquas ejus portiones in seminalia organa, & principia legesque, ad quarum normam motiones & actiones partium ejus in se invicem exigerentur, conformavit. Alii tandem, quod rerum omnium semina in uno extiterint primordiali semine, ut omnium hominum delineamenta in Evæ ovario; & quod ea subinde in reliquas mulieres dispertita cum tempore, pro re nata, e grandiori homogeniali massa fuerint extricata. Favet huic opinioni experientia, quod videmus continuo ex uno semine plures nasci plantas: singulum secalis granum quatuor principiis recentium plantarum instructum fuisse adnotavit *Lewenboeck* in *Epis. ad Soc. Reg. Londin.* 13. Junii *1686.* & in P. 5. *ad Epis.* 11. ejusdem mensis hæc addidit: *In præcedenti mea Epistola dixi me in uno hordei grano quinque distincta plantarum principia observasse. Notum vobis facere omittere nequeo me post illud tempus hordei observasse grana, in quibus septem plantarum principia observabam; ac inter multa unum habebam hordei granum, in quo octo distincta plantarum principia observabam.* Quicquid hi, aut illi sentiant: certi sumus ex dictis *Disq.* 1. *art.* 3. & *Disq.*

2. *art.* 5. secundas causas elementares, & spirituales, a Deo motas, & a se mobiles materialiter versari circa materiam seminalem, quæ illis movenda relicta est: ab illis igitur vel impelli, vel abripi quicquid ejus proprii individui nutritioni & augumentationi inservire potest nulli dubium est. Venit itaque concludendum, quod cum omogenialis illa seminalis materia exuperat in proprio individuo animato, vel inanimato, deponatur eadem in certis loculis V. g. ovariis; & vi deinde perennantis divinæ benedictionis & mandati, *Crescite & multiplicamini* disponatur in novæ plantæ, aut futuri hominis rudimentum. *Omnium quippe rerum* (inquit *D. Augustinus de Trinit.* c. *6.*) *quæ corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quædam semina in istis corporeis Mundi hujus elementis latent. Alia sunt enim hæc jam conspicua oculis nostris ex fructibus, & animantibus: alia vero occulta istorum seminum semina. Unde, jubente Creatore, produxit aqua prima Natatilia & Volatilia: terra autem prima sui generis germina, & prima sui generis animalia. Neque enim tunc hujuscemodi fœtus ita producti sunt, ut in eis, quæ producta sunt, vis illa consumpta sit; sed plerumque desunt congruæ temperamentorum occasiones, quibus erumpant, & species suas peragant. Ecce enim brevissimus surculus semen est; nam convenienter mandatus terræ arborem facit* &c. *& paulo post*: *Invisibilium enim seminum creator ipse creator est omnium rerum: quoniam quæcunque nascendo ad oculos nostros exeunt, & ex occultis seminibus accipiunt progrediendi primordia, & incrementa debitæ magnitudinis; distinctionesque formarum ab originalibus tanquam regulis sumunt.* Generantur itaque formæ, sive idola corporum in seminibus contenta ex specifica seminali materia e propriæ speciei corporibus, quæ ex eadem quoque emerserunt materia digesta, excocta, & elaborata; quæque in certis loculamentis stato tempore & ordine deponi & disponi, & asservari a Deo conditore jussa fuerit. Sed his missis

III. Quæritur 2. quænam sit causa formatrix corporum, intrinsecane, an extrinseca? Resp. distinguendo corpora in animata & inanimata: inanimatorum corporum causa efficiens est externa; quoniam ut sæpe dictum est, producuntur ab elementis devehentibus

tibus

tibus & cogentibus in ductus seminales a terra antea præparatos materiam ab ipsis aliunde abrasam & illorum ductuum orificia subire idoneam. Confer. *art.* 3. *Disq.* 1. *cit.* Quare talium corporum, videlicet inanimatorum forma per se non est activa; cum omnes operationes quæ in illis observantur, accretio, diminutio, alteratio, mutatio effectus sint corporum activorum, i. e. elementorum, non vero formæ seminalis per se inertis. Et ideo vera forma, quæ Physicis est causa interna, ex qua corpus naturale constituitur, non est alia, quam spiritus informans corpora animata. Hic enim solus præterquam quod formæ sustinet partes, efficientis etiam, sive causæ tuetur vices. In ipso matris utero omnem membrorum omnium quis præparat apparatum? Quis pueris circa septimum ætatis annum format dentes? quis avibus fingit, pingitque pennas? unde demum omnes animatorum corporum operationes? Non aliunde, nisi ab Anima. Ad Deum si appellas, idem in canis, idem in suis, idem in pulli gallinacei, idem in pediculi operationibus agas necesse habes. Nec natura sine Deo operatur, nec Deus sine natura, inquit *Sperlingius*. Confer. *art.* 2. *Disq.* 2. Est igitur sua cuique corporum animatorum speciei forma specifica, nempe Anima dans illi esse, distingui & operari specificum. Est enim saltem una ejusdem corporis pars; & quale esse dat, tale etiam distingui, & proprium operari: cum qualiter se res habet in essendo, taliter & in operando, ut ànima humana, quæ homini largitur speciem, differentiam, & operationes vere humanas.

Quæritur ergo 3. an quemadmodum quorumcunque corporum formæ improprie sic dictæ generantur in seminibus, ita & formæ animatorum. Rationes ponentium istarum generationem partim physicæ, partim metaphysicæ sunt sequentes. Et 1. unica illorum ratio physica est; quod si hæ formæ non generentur, superflua foret omnis generatio. Forma namque est terminus generationis. Sed resp. negando sequelam maj. ad cujus probationem distinguo inter generationem inchoatam & consummatam, imperfectam & perfectam: forma est terminus generationis consummatæ conc. antec. inchoatæ neg. antec. ergo superflua foret omnis generatio; neg. conseq. Inchoata generatio est actio, qua forma corporis mediante aliquali suæ speciei materia IV.

 dispo-

disponitur aut producitur: consummata vero est actio, qua totum compositum cum omnibus suis partibus producitur. Non est itaque superflua ea generatio, sine qua non adesset dispositio formæ corporeæ ad veram formam incorpoream scilicet & activam suscipiendam: quemadmodum nec superfluum item est plantarum semina terræ mandare, rigare &c. ut inde plantæ generentur. 2. quia in prima mundi creatione omnes formæ jussu & verbo Domini creatæ sunt: hodie igitur ad formarum generationem qui confugiunt saltu immani e via generationis in viam creationis ruunt. Resp. omnes formæ corporum tunc existentium jussu & verbo Domini creatæ sunt, conced. antec. etiam imposterum generandorum neg. antec. Regerunt Adversarii, creationis opere die septima completo hodie nullam aliam superesse viam, qua formæ transeant in materiam, præter generationem. Sed contra est: quia cum dicit Sacer Codex *quievisse Deum die septimo ab omni opere, quod patrarat*, non includit ea, quæ idem patraturus erat. Non enim Deus, ut Architectus absoluta domo discedit, ita otiosus rerum a se productarum spectator est; sed astat operi ut mundi Rector perpetuus: & *dementis plane est* (*judice Tertulliano adver gent.* 87.) *asserverare Deum otiosum inexercitum, & ut ita dixerim, neminem rebus humanis; qualem* (subdit is paulo post) *Valentiniani Bytum deum suum fingebant infinitis retro sæculis maxima & altissima quiete, in otio plurimo, placide, & ut ita dicam, stupentis divinitatis*. Sed si Deus incessanter agit, & ejus actio viva & substantialis est; & hac actione mundus conservatur: quæ conservatio *Athanasii* dicto est perpetua creatio, qui dici potest opus creationis die septima fuisse absolutum? Junge diem septimum, ut produnt sacri Interpretes, sumendum esse pro die ultimo; adeo ut illorum verborum sensus sit, tum Deum ab omni opere cessaturum, quum desierit mundus esse: quod item in Deo non est tempus; *sed anni tui dies unus* (Deum sic alloquitur *Augustinus*) *& dies tuus non quotidie, sed bodie; quia bodiernus tuus non cedit crastino, nec succedit hesterno: ideo æternum genuisti, cui dixisti, Ego bodie genui te*: & quod demum, cum potuisset Deus mundum condere in instanti, voluit tamen sex dies eo in opere impendere ad signifi-

ficandam mundi durationem . 3. quia Deus utpote immutabilis & æternus debuit ſemper intellexiſſe , quod ſemel intellexit , ſemperque voluiſſe , quod voluit , ac per conſequens etiam ab æterno creaſſe, quod voluit . Sed contra eſt ; quia ſi Deus efficaciter voluiſſet, quod ſemel voluit , id neceſſario voluiſſet : Deus autem ſe tantum neceſſario vult, alia ex hypotheſi, i. e. non ex defectu voluntatis ſuæ, ſed creaturæ.

V. Hinc igitur cum generari animas defendi non poſſe cernerent, excogitarunt alii novum generationis modum, nempe traducem . Metaphorica vox *tradux* prima ſignificatione denotat propaginem , ſeu partem ab arbore ſectam , & in aliam arborem translatam . Ajunt itaque , quod ſi formæ per decuſſionem folii V. g. radicis, bulbi, rami multiplicantur, tanto magis multiplicari debent in ſemine . Quamvis enim ſemen non ſit pars plantæ, ut radix , aut ſurculus, tamen eſt fructus plantæ , qui proinde animam poſſidet , ut ex operationibus formatricis facultatis cognoſcitur : imo nobiliori modo ſemen animam poſſidere urgent , utpote per quod anima ſemper & ubique propagari queat. Termino itaque ampliato eum modum ad quamvis formarum propagationem & multiplicationem extendunt . Verum diſparitas inter formas ſeminales & formas corporum animatorum ex dictis jam conſpicua facta eſt. Non nego igitur traduci formas rerum inanimatarum , utpote ex eadem ſeminali materia conſtat ; nego duntaxat traduci formas ſpirituales , ut quæ non ſunt materiæ ſubjectæ: proindeque quicquid de ſurculo aliunde decerpto , & in ſimilem ejus unde excerptus eſt , arborem promoto ; quicquid de flammula e lampadis flamma excepta , iſta nihiloſecius integra manente dicatur , in materialem tranſilit, & corrumpitur ſenſum ; nec habet propriæ ſignificationis notam quod talibus effertur exemplis atque ad negotia materialia compoſitis . Falſitas præterea hujuſmodi opinionis innoteſcit ex ſubſtantia & uſu ſeminis utriuſque , maſculini ſcilicet & fæminini, necnon ex aliis cauſis, quæ afferuntur *Aſſert.* § 1. *ſeq. Par.*

VI. Profiteorque idcirco parentes aliaſque fecundas cauſas operari motuum directiones & diſpoſitiones materiæ omnes ad ſuſcipiendam formam neceſſarias ; at nihilo magis Deum per iſtius immiſſio-

missionem in eandem materiam animantium generationibus complementum facere & perfectionem : ac si nempe Deus generationis officia cum parentibus partiri voluerit; & his porro munus semina conficiendi & fœcundandi reliquerit, in se vero partes afflandi in eadem sua specifica principia activa susceperit ; seu formas specificas , quarum ratione inanimata corpora illa postea exurgerent . *Producant aquæ* (dixit Omnipotens) *reptile animæ viventis* , *& volatile super terram* ; i. e. corpus reptile & volatile ; non autem dixit producant animam viventem , cujus productionem sibi reservarat. Ex quo concludo non modo rationales animas perpetuo creari ; verum & beluinas ; Theologis ulterius hoc probantibus ex eo , quod cum omnis spiritus peccaverit in Adam , fueritque pœna peccati mors, non potuit perseverare viventium genus nisi perseverante modo, quo idem esse cæpit : sed modus quo viventia, scilicet animalia existere cœperunt , fuit animarum creatio , ergo non potest perennare animantium genus absque continua animarum creatione : ut mittam nihil æque divinam Bonitatem , Sapientiam , Providentiam , nihil ejus Majestatem excellentissimamque naturam ostendere ac commendare, atque assiduam animarum creationem utpote per quam Deus se perpetuum manifestat vitæ fontem , auctorem & mundi conservatorem.

Quid plura? non producuntur spiritus, non traducuntur , non inducuntur; ergo creantur. Non producuntur, nec traducuntur, quia animæ non generantur , utpote immateriales: neque inducuntur a cœlo & astris , ut somniavit *Fernelius*, cum ob eandem causam; tum quia particulare , determinatum & proximum efficiens postulant animæ : cælum vero & astra causæ universalis, indeterminatæ & remotæ agunt partes. Ergo .

VII. Quum igitur creationem hujusmodi contemplor, videre mihi videor Spiritum illum, qui in principio ferebatur super aquas , tanquam animam mundi Pytagoreorum

ire per omnes
Terrasque tractusque maris cælumque profundum :

& hic quidem per medium aqueum afflare animas natatilium &

& vo-

& volatilium; illic per medium terreum inspirare alias reptilium, quadrupedum, jumentorum & bestiarum terræ, quotiescunque illorum semina a parentibus & elementis fuerint præparata; Afflare, inquam, i. e. inspirare. Hoc enim proprium Spiritus esse videtur: *quod & Isaja cap.* 42. *v.* 5. his verbis expressit: *Hæc dicit Dominus creans cælos & extendens eos, formans terram, & quæ germinant ex ea, dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus illam.* Etenim actio Dei viva & substantialis ad extra non potest concipi alia, quam afflatio seu spiratio; quemadmodum actio vivissima & substantialis ad intra est productio & processio: & quamvis creatio Divinæ voluntati tribuatur, quod afferente *Athanasio* Dei velle sit facere; nihilominus quoniam voluntas Dei non semper est efficax, ut apparet ex actibus causarum secundarum; spiratio vero tanquam propria actio semper est talis, videtur proinde creationem in spiratione propius esse reponendam. Sed quidquid sit de creationis animarum formalitate: eam certe vel Ethnici ipsi deprehenderunt. Sic enim *Virgilius 6. Æneid.* eandem jamdiu descripsit:

Principio cælum & terram camposque liquentes
Lucentemque globum lunæ, titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem & magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est illis vigor & cælestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

Dixi afflari a Deo animas brutorum per medium aqueum & terreum; neque enim constat ex sacris litteris directe utique & immediate inspirari animas in materiam aptam & jam præparatam, quam quum ad hominem ventum est. Tum enim legimus *ibid. Formavit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Unde colligo tanto majorem esse rationalis animæ perfectionem beluinis, quanto

c Deus

Deus illam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam facit non modo; verum etiam eandem inſpirat ſingulis (τὸ enim *ejus* indicat ſingularitatem) immediate; *in faciem*: dum ex alia parte brutales animæ e contrario, i. e. indiſtincto & confuſaneo modo inſpirantur. Atque hæc porro Medicum de Eſſentia & Ortu animæ adnotaſſe jam ſufficiat.

PSYCHOLOGIÆ MEDICÆ

SECUNDA PARS.

De Motibus Animæ Externis.

PROLOGUS.

MAteriæ ac Formæ, partium corporis eſſentialium proprietatibus ſeorſim inveſtigatis contemplandæ veniunt hic unitim, in concreto animali. Unio igitur animæ cum corpore a nobis conſiderari debet in hac Parte, quomodo nempe materia diſponatur a parentibus ad formam ſuſcipiendam, quæ diſpoſitio dicitur inchoata Generatio; & quomodo item forma in illam immittatur, unde conſummata eſt eadem generatio, ut paulo antea dicebamus. Et quandoquidem anima ſic materiæ unita iſtam movere debet, atque hæc aliam, cum qua poſtea motus dat ab anima independentes, conſiderabimus præterea iſthic hujuſmodi motus, qui vitales, aut naturales audiunt, in fœtu cum in utero matris hærente, tum extra uterum; ac poſtremo operationes, quæ ex iis motibus emergunt, cujuſmodi ſunt ſanguinis circulatio, nutritio, accretio, & in fœtu jam nato reſpiratio,

chylificatio &c. Externos autem ideo appellavimus tales motus, quoniam non sunt sub animæ potestate, nec ab ea impediri possunt, aut coerceri, quandiu materiæ unita est, hac nimirum materia sic animata illos excitante ac perennante, quemadmodum notabamus. Habes itaque argumentum; cujus adeo initium jamjam facit.

ASSERTIO I.

Muliebris conceptio in utero pendet ex vi materiæ, & organorum structura.

I. Duplicem esse materiam, quæ impenditur in negotio generationis, masculinam & fęmininam; & illam improprie seminis, hanc ovi, aut ovulorum nomine venire vulgo notum est. Semen quid sit hodie tam certo patet, quam aliorum in corpore humorum essentia: Est chylus sanguine circumlatus iterata digestione & coctione in semen excoctus, obque moram in testibus fracedinosas & corruptivas particulas nactus; vel semen genitale, ut ait *Lister de Humor.* c. 41. non aliam materiam desiderat, quam reliqui universi humores extra orbem sanguinis conficiendi, scilicet chylum per arterias subinde transmissum, humorisque iis organis generationi dicatis connati virtute excoctum. Ovum autem muliebre verum semen est, in quo parva fœtus rudimenta prostant delineata juxta ea, quæ tradidimus *Disq.* 4. *art.* 2. Ovula jam vero hæc calicibus suis inclusa hærent in testibus muliebribus hodie ovariorum titulo insignitis: quæritur ob quam causam exhinc exeant illa, atque ad uterum provolvantur? etsi hoc fieri quis reponat propter auram seminis virilis, quæ illa inflaverit; rursus quæritur, quæ via pateat eidem semini, per quam perveniat ad ovaria? qua vi ovulum ad exitum impellat? & qua mechanice id ad uterum protrudatur? Tot namque ac tam variæ circa hæc phænomena proferuntur sententiæ, ut nondum certo constet, cui nam adhærere licet, imo & trabem in omnibus reperire sit. Quapropter & in aliam ego abire coactus sum a vulgatis hactenus

omni-

omnino diversam, nempe quam verbis quoad fieri potest paucissimis hic expono.

Injicitur virile semen in ordinario prolifico coitu fere ad interius uteri ostium, ubi innumeri prostant venarum præcipue hypogastricarum rami, qui deinde in alios majores non tam venosos, quam arteriosos confluunt, & reticulato opere uterum externe ambiunt. Eo itaque devectum, verius exsuctum illud, nempe semen tota nonnunquam substantia, interdum secundum tenuiorem partem tantum, quoniam ratione suæ essentiæ salinæ & corruptivæ in consortium principiorum, quæ fæmininum sanguinem constituunt admitti, cum iisque commisceri nequit, turbas excitare incipit in illis, pergitque urgere tanto magis, quanto intimius advehitur in præfatum rete vasculosum, ubi mediantibus venarum anastomosibus cum arteriis puriori istarum cruori occurrit. Fit ergo ibidem in dictis vasis insignis lucta, qua exagitatis, & ab ordine, motu, crasi disjectis cruentis elementis, tenuior lymphæ pars ulterius attenuatur, crassior in bullas elevatur, reliqua vero corpuscula subvertuntur, susque deque simul confunduntur. Interea inflatis ampliatisque ductibus arteriosis, qui exinde ad utrumque uteri cornu progrediendo ad istorum pampinos demum terminantur, illa sursum eriguntur, isti vero ampliantur, & super extantibus ovariis applicantur: cumque ex fimbriatis eorundem extremitatibus tum humor quidam nutritius & glaveosus magna copia exundet per arteriarum finitiones sequitur, ut mediante hoc tanquam glutine ovariis adglutinentur dicti pampini; & hinc semen in auram sive effluvia propter prægressam fermentationem resolutum penetrare incipiat ad unum aut plura ovula in iisdem testibus aggerata. Porro talium effluviorum hæc est actio, ut partim sparsa adhuc dum & mucida fœtus stamina recolligant ac firment ad interiora ovi penetrata; partim albugineam materiam inflet cum in eodem ovo, in vesciculis circumjacentibus. Ab hac actione evenit, ut turgefactum illud, nempe ovum extra calicem prominere incipiat versus exteriora, invitante ipsum pariter uteri suctione per tubam, donec tandem propellentibus idipsum in anteriori parte antea dilatati ejusdem calicis fibrillis & ad suam statim redire conten- II.

dentibus exeat idem ovulum per membranam ovarium ſuccingentem tunc temporis per vaporem uteri humidum calentemque ſufficienter expanſam. Pellitur igitur hoc pacto ovum in ſuperius orificium tum adhuc ovario hærentis tubæ; inque eo impetu hujus lacinii illata vi eas avellit ab ovario tanto facilius, quod tali tempore ſedata jam fere penitus prædicta fermentatione in uterinis vaſis loco glutinis ſeminalis tenue duntaxat ſerum permeans ad tubales pampinos iſtos nullo pacto dividere potens eſt: ii vero poſtea concidendo ſupra ovum iſtud magis adigunt in tubam; quæ deinde corrugando ſeſe (dum nimirum fibræ antea diſtentæ ad priſtinam ceſſante inflatione redeunt flaciditatem) illud deglutit pedetentim gulæ ad inſtar, ſenſimque demum ad uterum protrudit.

III. Tractatum pene integrum depoſceret hæc ſententia, ſi ea abs me autopticis obſervationibus & exemplis qua pro ipſa, qua contra alias pugnantibus declaranda & illuſtranda foret: ſufficiat animadvertere in viam ſeminis ad ovaria, quam huc uſque nobis indicarunt Auctores, quo magis pateat genuinam ab iis ignoratam fuiſſe. Volunt aliqui ſemen in fœcundo maris & fæminæ congreſſu recta in uterum ejaculari, aut ab hoc abſorberi; & quod deinde ibidem in auram reſolutum per tubas avolet ad ovaria: alii, quod citra ejuſmodi ejaculationem e pudendo in uterum, & ex hoc ad ovaria tranſeat aura iſta: alii denique quod hæc eadem vaſis ſanguineis uteri, imo & generi nervoſo communicetur, & per totum corpus prius circulata ad ovaria deferatur. At ſemen in utero muliebri repertum nullibi legitur, præter quam *in Ruyſcb. Theſar. 6. fig. 1. p. 90.* imo non fuiſſe verum ſemen, ſed collectionem potius nutritii ſucci per arteriarum extremitates expreſſi in utero & tubis illius mulieris a marito in adulterio occiſæ colligitur ex metu, qui eandem deprehendere tum neceſſario debuit. Metus enim effectus eſt ſanguinem conſtringere, adeoque multum ſeri nutritii deponere in partibus præſertim ad quas idem ſanguis per æſtrum venereum antea erat determinatus, & hinc unica illa obſervatio rem non probat; ut taceam ſemen in tanta copia excerni ab adultero non potuiſſe, ut totam uteri tubarumque cavitatem repleverit. Cum itaque de ſeminis injectione

ctione in uterum nulla proſtent documenta : & viceverſa *Ariſtoteles l. 4. de Generat. Animal. c. 4. Oribaſius* cæterique ejuſdem Stagyritæ ſectatores contrarium ſtatuant; *ſemen* videlicet *ante uteri oſtium* (ſunt verba *Roderici a Caſtro* l. 3. *de Natur. Muliebr.*) *emitti , non autem intus , ut quidam opinantur , ſed ante oſtiolum magna ex parte cum utrorumque oblectamento excerni* , non eſt , cur ſeminis tranſitum ad ovaria ex utero auguremur . Opponent fortaſſe noſtri obſervationem *Verebyenii in Supplem. Tract.* 5. c. 3. de ſatis notabili ſeminis quantitate in utero vaccino ſexdecim horis a coitu enectæ reperta . Sed reggero 1. auctorem dubitaſſe an tale fluidum eſſet verum ſemen , necne . 2. idipſum ſemel adnotaſſe in una juvencarum poſt coitum diſſectarum ; dum in aliis idem nunquam obſervavit. 3. conſpexiſſe quoque me tale quid in catellis eodem tempore interfectis: nec tamen inde concludendum eſse, quod idem contingat in mulieribus , imo & pleriſque aliis brutis, teſtibus *Harvæo*, *Graaf.* aliiſque innumeris, qui in his maſculinum ſemen nunquam annotarunt . Eſt enim ſua cuique fæminæ organorum ſpecifica textura ; & vaccinum uterum muliebri comparare idem eſt , ac ſpecies velle confundere . Obſtat præterea ſeminis infuſioni in uterum anguſtia cervicis ejus , quæ in virginibus tanta eſt , ut ne ſpecillum quidem admittat . Cui difficultati quamvis occurratur reponendo , quod recludatur eadem in venereo actu , aut quod ab utero ſemen attrahatur ; reſp. non diffiteri me, quin anterior cervicis pars quandoque dehiſcat fæmina libidine flagrante , itaut penis apicem amplecti videatur ; ſed ſcio quoque illam quantomagis antrorſum hiſcit, tanto fortius retrorſum occludi: ſcio etiam ſemen in ejectione non rectam , ſed perpendicularem lineam deſcribere , ac propterea non intra cervicem , ſed ad ejus fornicem appellere : quæ omnia impedimento ſunt, ne idem ſemen recta in uterum immittatur . Attractionem quod attinet , nunquam cum veteribus exiſtimavi animal ſeminis avidum eſse uterum ; nec in eo ſuctoriam vim unquam deprehendi , qualem in venis , quibus uteri capacitas caret . Poſtremo officit etiam dictæ intruſioni mucci tenacis copia uteri cervicem farciens atque obſtruens : officit penis brevitas in aliquibus, & in aliis languor ejaculationis;

nis ; quibus non obstantibus patres ii sese præstare potuerunt : ne memorem impraegnationes vel solius glandis colis intromissionem secutas , aut alias , quæ fiunt absque ulla introductione , qualium impraegnationum exempla videri possunt apud ***Riolanum Antrhopolog. l. 2. c. 10. Blanchard. Collect. Ned. Phys.*** **C. 2. O. 28. M. N. C. D. 1. A. 3. O. 273.** ***Moinichen.*** **O. 13.** ***Lanzonum in notis ad eundem locum*** , Harvæum , Borellum , Blegnii , aliosque plures .

IV. Hisce de causis moti sunt Recentiores ad unum omnes ad descendendum in eam sententiam , quæ ponit semen prolificum non esse crassam ejus substantiam , sed tenuiorem ac spirituosiorem tantum . Hanc igitur partem auræ seminalis titulo exornatam ajunt esse talis energiæ , ut vel externe illita pudendo muliebri Atretas ipsas fœcundet matresque reddat insinuando sese per viam quasi regiam e fissura magna in ductum vaginalem , hinc in uteri cervicem , ipsum uterum & fallopianas tubas , ex quibus tandem ducitur ad ovaria . At unde , quæso , persuasionem habent de existentia talis auræ in semine statim projecto : an ex odore ? sed semen imprimis adolescentulorum , qui tamen visi sunt mulieres viriliter ingravidasse , parum , aut nihil fœtet ; nec item caninum vel catellæ utero injectum. Et quamvis effluviis scateat humanum semen , haud ita energetica hæc sunt, ut in tam longo itinere suam conservare valeant activitatem. Adest præterea unanimis Medicorum & Physicorum consensus, totam seminis substantiam impendi in negotio generationis fatentibus hoc ipsis etiam mulierculis in coitu fœcundo semen retinere sese , locaque madentia exsiccari . Cui observationi si oggeratur mulierum fidem in hac parte non esse tutam, quod non alio argumento noscant se retinere semen , nisi quia certis temporibus minime sub illa forma , qua immittebatur , effluere illud animadvertant , resp. præter mulierum adesse etiam virorum testimonia , *Hippocratis* imprimis ***de Nat. Pueri , Laurentii Op. Anat. l. 2. c. 4. Sperlingii de Format. Fœtus c. 4.*** aliorumque : adeoque minime pro suspecta habenda est ea observatio ; de qua insuper unusquisque conjugum per se certior reddi potest. Postremo semen estne humor ex chylo nutritio susceptus & ex mora in testibus putrefactus , ut supra notaba-

tabamus ? Unde igitur illa aura, unde ille ſpiritus, illa energia? Demus nihilominus exiſtere talem auram, demus eſſe utcunque ſpirituoſam : ſi tam volatilis eſt, tamque activa, cur ſecus, quam tendat ad ovaria, in poros vaginæ, uteri, ejuſque cervicis ſtatim non penetrabit? cur illuc potius, quam huc determinabitur. Res animadverſione digna: inſimulant Opinatores iſti *Jo: Alphonſum Borellum* erroris, eo quod aſſeruerit ſuppoſititiam illam auram meare ad ovaria per uterinos poros. Quid enim, quæſo (interrogant) determinat, aut cogit ipſam, ut ad ovaria præciſe abeat, non ad alia viſcera abdominis? nec quicquam juvat, proxime omnium adſtare ovaria, reliquis viſceribus procul nimis remotis. Quod ſi enim tanta ineſt energia huic principio, ut uteri poros ſine ullo impedimento permeare poſſit, metuendum erit, ne ulterius adhuc per muſculos abdominis, reliquaque integumenta penetratura ſit. Interrogo ergo quoque viciſſim illos, quænam ſit ejuſmodi cauſa impultrix & determinativa ſeminalis auræ in eorum hypotheſi; an quia e vagina ad ovaria ductus eſt continuus? Sed fallopianæ tubæ deorſum ſpectant, non ſurſum, ubi ovaria ſita ſunt. Deberet itaque aura per illas tranſiens uterum iterum extrinſece pervadere, aut veſcicam, non vero ovaria. Quod ſi regerunt auram in tranſitu ſuo attollere tales tubas, aut anſam dare ſpiritibus, ut eas attollant, auram flatus inſtar vehementis effingent, quale virile membrum ſpirare nunquam eſt nixum. Sed contra utriuſque claſſis Adverſarios prætendentes ſemen vel tota ſubſtantia, vel ſecundum ſpirituoſam portionem tantum ex uteri cavitate ad ovaria migrare pugnat ſuperfœtatio, quando fœtu ſive informi, ſive jam formato exiſtente in utero aliud quidpiam informe pariter, aut formatum ſupervenit. Qui enim fieri poteſt, ut pleno exiſtente utero, novum ſemen, aut nova iſtius aura exinde tranſvolet per tubas pro novi ovuli fœcundatione in teſtibus, & nova in utero conceptione, i. e. ſuperfœtatione. Scio hanc negari ab Adverſariis (nec ullum certe aliud eis ſupereſt ſubterfugium) verum ſi obſervationibus propriis deſtituti ſunt, convinci poſſunt alienis, præprimis vero *Hippocratis*, *Ariſtotelis*, *Mercati* &c. qui cauſam inſuper prætendunt: ideo nempe inter omnes fæminas ſo-

lam

lam mulierem superfœtare, quoniam sola mulier gravida virum admittit; & præterea convinci quoque possunt observatione *in Transact. Anglic.* n. 47. recensita; ex vehementi scilicet percussione canis gravidæ catulos in visceribus adhuc hærentes fuisse necatos, & temporis tractu in putrinagilosam materiam conversos, ita ut cornua uteri extrema ab illa materia infarcirentur: hoc tamen non obstante concepisse catellam illam, ante partum tamen mortuam ostendisse posteriores catellos abdomini hærentes. Indicent igitur Adversarii quomodo novus hic conceptus succedere potuit ex decursu auræ seminalis per uterum ad ovaria; num transfœtum totum uterum occupantem, aut in novissimo hoc casu transputrilaginosam materiam utraque uterina cornua farcientem? Sed ovorum fœcundatio promptum, minime turbatum & nativum, seu purum putum postulat semen.

V. Alacrem proinde viam semini assignavit *Steno*: voluit nimirum hic intrudi illius auram in vasa uteri sanguifera & nervosum genus, & media circulatione ad ovaria, ut supra dictum est, deferri. Verum quamvis cum autopsia quadret ista seminis in venas transfusio, respectu tamen circulationis ejus in tota massa sanguinea difficilis admodum & incommoda est talis via. Primo namque uterus non communicat cum testibus immediate per venas, utpote quæ externæ sunt, & sanguinem revehunt ad crurales, postmodum ad cavam & cor, ex quo ope systoles æque cito ad caput trudi potest pars sanguinis spirituosa, ac forsan fertur ad arterias spermaticas. Quod si dicas ab hac substantia infici totam M. Sang. adeoque præteriri ovaria non posse, resp. hanc infectionem minime sine aliquali destructione energiæ seminis concipi posse. Deinde infecta tota massa plures æque enormes ægritudines in gravidis oborirentur nec a partu postmodum tollendæ. Postremo quæro ob quam causam uterinæ tubæ arrigerentur ad ovaria, subindeque stato tempore satiscerent? Sed in hoc passu culpandi sunt non modo hujus sententiæ Patroni, qui de tali motu nihil perhibent (cum tamen in eo tota ferme generationis mechanice consistat) verum & qui priorem tuentur. Omnes *Graaffium* sequi contenti fuerunt, qui suggesserat fallopianas tubas tanquam fibrosæ conformationis blanda masculini seminis per illas trascolantis quasi titilla-

tillatione & ſtimulo non tam explicari ſeu elongari, earumque orificium averſum ſurſum reflecti, ac teſticulis adaptari, quam retrahi pariter atque corrugari. Judicium ſit penes alios: ego certe non video, quomodo una eademque cauſa, ſcilicet titillatio nunc elongare, nunc contrahere tubas illas valeat; & quomodo earum lacinias expandere, teſtibus adglutinare &c. apta ſit. Non eſt dubium, quin ſtante ſimilitudine texturæ illarum cum ſtructura penis, ſi hic per titillationem arrigitur, erigi queant & tubæ; ſed diſparitas in hoc conſiſtit, quod ſi adeſt cauſa titillans in pene, in tubis nunquam reperitur; & præterea titillatio efficiens diſtenſionem non poteſt producere contractionem.

His motivis inductus me non ex aliis poſitivis per autopſiam ſuppeditatis & jam jam allegandis declaravi in expoſitione hiſtoriæ generationis ſemen in coitu fœcundo ab ejaculatione ſtatim effutiri in venas. Venæ porro hæ ſignatim ſunt pudendæ, quando imprægnatio irregulariter contingit, puta ex coitu incompleto. Eæ namque obſcœnis mulierum partibus externis provident, nec non internis, atque in hypogaſtricis exonerantur. Etiamſi igitur duntaxat irrumetur natura muliebris cum externe, tum interne a maſculino ſemine; ſi tamen hoc deinde exſugitur ab iis venis, effectum præſtat, quem Veſtales obſtupeſcunt. Alias in coitu completo ſorbillatrices ſeminis ſunt eædem hypogaſtricæ venæ. Abſorbent autem hæ propter naturalem ſanguinis attrahendi vim, quæ ex dextræ cordis auriculæ dilatatione dependet, atque in veneris deſiderio augetur; ne quid memorem de ipſarum laxitate anatomicis ſatis perſpecta. Cæterum hypogaſtricæ venæ utrimque inſignes primo latera vaginæ ingrediuntur, indeque antrorſum, retrorſum, ſurſum, deorſum per vaginam & uterum expatiantur ductu admodum flexuoſo, maxime per uterum: unde porro provenit notabilis illa ſiccitas vaginæ in prolifico congreſſu, cum a tot venis velut ſpongiis abſorbeatur. Jamque hoc e pudoris ſinu nullo negotio vehitur cum ſanguine ad plexum uteri vaſculoſum totam hujus ſubſtantiam circumveſtientem. Cenſeo namque inde factum eſſe, ut tam hypogaſtricæ, quam aliæ venæ e vagina ad uterum tendentes valvulis deſtitutæ ſint, ne videlicet ab his ſeminis affluxus VI.

ad dictum rete vasculosum remoraretur. Ex alia parte deferri isthuc semen a venis vaginalibus exceptum demonstrat iterum experientia: siquidem per vaginam insuflanti in tales venas, flatum ab iis etiam vasis, quæ plexum illum constituunt, admitti constat: insuper etsi cera vel mercurius in unam illarum quamcunque injiciatur, videre est reliquas omnes etiam alterius lateris repleri. Sed quid tum postea, inquis, an ideo putandum est semen ex iis venis ad ovaria pertransire? tam citone præteriit, quod modo *Stenoni* objiciebas, idem semen ex hypogastricis in crurales venas, & hinc in orbem sanguinis deferri? Quomodo igitur ad ovaria citra hunc circulum penetrabit? Resp. objectum fuisse hoc contra circulationem seminis Stenonianam, ex suppositione scilicet quod hac mediante semen ad ovaria foret deferendum. Quippe alias quominus istud recta transeat in crurales ex hypogastricis venis, faciunt anastomoses istarum cum arteriis, & vicissim arteriarum cum venis, si alibi, in uterino plexu perfectissime apparentes. Quamobrem haud dicendum est iter sanguinis ex hypogastricis in crurales esse rectum. Cetero semen per illas venas adsportatum in plexum mediantibus ejusmodi anastomosibus cum arteriis vehi postea usque ad tubarum uterinarum extremitates, & hinc post applicationem istarum ad ovaria insinuare sese in subjecta ova, manifestum fit denuo insuflatione: dum nimirum flatus in aliquid vasculorum tam venosorum, quam arteriosorum immissus earundem tubarum erectionem producit evidentissime. Probo igitur nunc a semine cum muliebri sanguine commixto hunc ipsum effectum præstari. Hujus namque particulæ sic confusæ ratione caloris ejusdem sanguinis exaltari, dissolvi, & ratione eterogeneitatis fermentare cum principiis sanguineis debent. Ex hac itaque fermentatione lympha sanguinis in bullas elevatur, inflatur, & ex hac inflatione turgefactis uterinis vasis falloppianæ tubæ necessario veniunt elevandæ; ac propterea factum est ex hoc, ut tot anastomoses in uterino rete, nullæ in venis valvulæ institutæ sint, primo ut sanguis in fermentationem actus libere undequaque excurrere posset ad usque terminos tubarum; deinde ne ejusdem fermentationis impetu venosi imprimis ductus ruptura periclitarentur. Talem vasorum in uterino plexu distensionem vi talis modi fermen-

men-

mentationis induci probatur insuper ex ipso sensu: dum in gravidis videre est illa insigniter dilatata. Sed objicis hanc dilatationem evenire ex eo, quod tempore gestationis uberior sanguinis ad uterum fit proventus; adeo ut etiam tot anastomoses necessariæ sint ad illius susceptionem & distributionem. Verum contra prius militat experientia; adnotavi namque in binis fęminis circa unum alterumve mensem gravidis, quæ ex casu ab alto perierant dicta vascula fere triplo majora iis, quæ in non gravidis conspiciuntur, manifesto indicio amplificationem hanc non ob sanguinis redundantiam, quæ tali tempore cum exigebatur ad fętuum nutritionem, sed ob prægressam in illis fermentationem fuisse factam. Contra posterius pugnat ratio: quippe si tam extensiles ii sunt ductus, quid opus anastomosibus pro suscipiendo sanguine. Tandem contra utrumque facit denuo autopsia: cum non lateat humorem fętus nutritioni destinatum confluere ad placentam, quæ fere semper prope alterutrum uteri cornu implantata est. Ad quid igitur tot anastomoses, tot vascula in alterna uteri superficie statuisset natura, si hæc duntaxat ad sanguinem derivandum ad placentam inservire debent? Interea ratione præfatæ ac sæpius repetitæ fermentationis moleculas seminales in frustula dividendas esse, nemo est, qui non concipiat. A tali propterea sanguinis in arteriis uterinis ac tubalibus orgasmo & spumescentia dilatatis earundem tubarum exinde erectarum pampinis & ad ovaria applicatis frustula illa seminalia tum vere in auram elevata permeant e finibus tubalium earundem arteriarum oscillantibus in dictis pampinis, ac præcipue in istorum fimbriis, ad ovaria. Et en tandem terminum viæ semini a nobis assignatæ. Quod superest de tubarum adhæsione ad ovaria, quæ adhæsio in aliis hypothesibus nec explicata fuit hactenus, nec explicari potest, in nostra vero exponitur clarissime; id ex descriptione formalitatis generationis a nobis supra tradita colligi abunde potest autopsia suadente, quod ex dicto sanguinis in arteriis tubalibus orgasmo, lympha inde ad extremos illarum poros in pampinis adacta & auræ seminali admixta amylinam veluti naturam refert, ac propterea eosdem pampinos membranæ ovaria investienti adglutinare apta est, cum extra vasa seorsum calorem & fermentationem in glu-

ten facile concrescat. Sejunguntur denique ab ovariis isti pampini propter impulsum ovi, quem hoc perfert in exclusione e sua capsula tanto magis ad stasim suam se restituere annitente, quanto plus ab illa propter ovi turgescentiam & fœcundationem ante fuerat amota: ac tum porro fibris etiam tubalibus ad pristinam contractionem redeuntibus, sedata penitus antea extendente causa, i. e. sanguinis orgasmo præfato, ovulum peristaltico quasi motu ab iis protruditur in uteri cavitatem

VII. Nec mechanice sola, verum effectus quoque generationis in nostra sententia commodissime explicantur; symptomata videlicet gravidarum, horror imprimis, qui fere a conceptionis momento, h. e. a seminis suctione mulierum invadit. Tum enim protinus inchoante in vasis uteri toties indicatis fermentatione, horumque tunicis sese impense dilatantibus contractio illa universalis, seu horror induci debet: dolor dein ille compressivus & contorquens, quem sentiunt plus minus notabiliter fœminæ omnes aliquot diebus a coitu fœcundo præcise eo in loco, ubi testium tubarumque deprehenditur situs (confer. de hoc symptomate *Galenus l. 1. de semine c. 2. & David Herlicius de cura gravidarum*, qui illud inter signa certissima conceptus referunt: vid. etiam *Regner. de Graaf. de Genital. Mulierum*) ostendit ovuli accretionem mediante aura seminali in ovariis factam tantam esse, ut vim etiam inferat lateribus tubarum illud provolventium in uterum. Verum hoc non tangit nos; illud autem maxime, cur octavo circiter die post congressum fœcundum alterationem totius corporis insuetam, verbo febriculam patiantur mulieres? In Stenoniana hypothesi, qua perhibetur semen per venas & nervos massæ sanguineæ communicari causa efficiens ejus febriculæ est utcunque obvia; quicquid illius Adversarii statuant talem febrem ex summo qui inter uterum & reliquas etiam longe dissitas partes est consensus, esse repetendam: difficultas tamen stat in hoc, quod non immediate post dictum congressum subripit illa febris, quemadmodum ingruere deberet, si semen recta ad massam sanguineam provolveretur, sed octavo ut plurimum, ut dictum est die. In nostra vero sententia ratio istius synchronismi oppido dispalescit; dum non ante in crurales venas, indeque in orbem sanguinis devehuntur reliquiæ semi-

ſeminales, & cum his ſanguis ex muliebribus refluus, quam fermentatio illa in uteri plexu contingens ſedata ſit. Ea quippe durante diſtentis univerſim ejuſdem plexus vaſculis cum arterioſis, tum venoſis ſanguis in dictas crurales permeare nequit. Hinc igitur pacato ejuſmodi tumultu, id quod fere accidit quinta aut ſexta die ut ſanguis conſuetos relegit canales, ita reliquiæ præfatæ una cum illo in orbem circulatæ turbas in hoc concitare incipiunt, ex quibus tandem febris oritur. Mitto reliqua ſymptomata, capitis dolores, oculorum vertigines & obtenebrationes, mammarum ſiccationem & lactis in parvam ſalſuginoſamque materiam converſionem &c. gravidis per inſequentia tempora obvenire ſolita, & quæ ſeminali auræ in ſanguinem delatæ deberi fatentur omnes: quicquid ex alia parte Defenſores ejus hypotheſeos, qua ſtatuitur ſemen per uterum & tubas ad ovaria deferri illa diſſimulent & explicare contemnant. Quidquid ſit, poſitio & hiſtoria generationis a nobis tradita manet experientia & ratione autoptica undequaque comprobata.

ASSERTIO II.

Fœtum non alibi, quam in utero animari.

Assumimus hunc medium terminum ad confutandam eorum opinionem, qui tantum materiæ tribuunt, ut teneant tum denique abſolutam eſſe generationem ubi & quandocunque ovulum a maſculino ſemine afflatum ſit. Volunt enim hoc afflatu & ſeminis irradiatione ſola infundi illi neſcio quid tam activi, ut ei inſtar intrinſeci principii ſit, ex quo actualiter in viviparis, potentialiter in oviparis vita futuri animalis habeatur; adeoque illa, quæ viva naſcuntur animalia incipere vivere jam ab initio in mulierum ovariis maternis, poſtquam ipſorum ova ſeminali aura fuerunt delibuta. Hujus ſententiæ fautores probant porro eam obſervationibus fœtuum in abdomine, tubis, imo ipſis ovariis repertorum; illuſtrantque exemplis, V. g. ſcintillæ e chalybe ope pyritis excuſſæ, qua ignis excitatur in momento, dum fomitem attingit &c. I.

Nos etenim ne umbram quidem probabilitatis diſcernimus in hac II.

hac hypothesi, quam iccirco refellendam duximus; & ne ulterius veritatis specie incautis imponat; siquidem percuntanti imprimis, quid sit semen, redit in memoriam, quod *art. 1. præced.* dictum est, esse nimirum chylum longa circulatione digestum, & per arterias subinde transmissum, humoris istis organis generationi dicatis innati virtute corruptum, aut si mavis ex mora ibidem in semen excoctum. Quo stante nullam video semini activitatem subesse posse, multoque minus principium aliquod vitale. Etsi namque per fermentationem cum muliebri sanguine in atomos veluti, ut alibi dictum est, dissiliat ac volatilitatem acquirat, in se tamen & substantialiter viscidus ac tenax humor est semen, itaut non raro observatum sit in lapillos concrevisse. Confer. *Zodiac. Gall.* A. 2. *Mens. Martii* O. 4. effluvia vero ut partes sunt totius, aliam quoque indolem redolere non possunt, viscidam, corruptivam, & salinam. Quid ergo activi aut vitalis expectandum est a semine, nisi ut se habeat instar menstrui respectu sanguinis muliebris; utque ejus particulæ volatilitatem adeptæ sufficiant congregandis & statuminandis tenellis fœtus lineamentis in ovo natantibus ac disgregatis, pro ut hoc docent ova hypenemia, i. e. subventanea, quæ soli V. g. obversa lucem reflectunt ad differentiam fęcundatorum; quoniam scilicet in illis præfata stamina fixationem non sunt consecuta?

III. Non pateris auræ seminalis officium hoc esse unicum: saltem verisimile videri, juxta opinionem *Waldschmydii Disp.* 29. quod ovulum ingressa ea aura cum humore in germinis corculo (sunt illius verba) ad fermentandum disposito conveniat, inchoetque eam effervescentiam, quæ per producendi corporis vitam durare debet. Fermentatione quippe illa semel in corde incępta humores per vasa umbilicalia illius animalis circulantur, istique vitam largiuntur. Verum quis hoc dabit auræ, ut humorem in germinis corculo latentem opperiri valeat, cum succo forsitan non salino fermentet, atque hujusmodi fermentationem continuet? Nonne scintillulæ velut sunt talis aura, quæ statim atque in ovulum penetraverint extinguuntur? Dices fermentationem ejusmodi in ovo ex ipsius inflatione manifestam non esse denegandam. Resp. inflari utique ovum fœcundatum a semina-

li

li aura, sed non propter intrinsecam fermentationem; tantum ob calorem ab illo conceptum ex fermentatione extrinseca in vasculis sanguiferis ovulo circumfusis inducta. Calore enim glareosam sive albuminosam materiam extendere ac rarefacere potis est, non fermentatio, quæ est particularum corporis mixti agitatio: & calor quidem sanguini conciliari potest per fermentationem, quatenus is moleculis scatet etherogeneis, non albumini in ovo contento, utpote quod omogeneum est, scilicet omnino lymphaticum; solus autem calor lympham facit turgescere. Atque ut magis appareat nullam ab aura seminali produci fermentationem in ovo, neque hoc per illam inflari, provoco iterum ad ova hypenemia, quæ fęcundatis sunt dubio sine majora. Præterea si motus humorum inchoaretur ab aura seminali in germinis corculo, & vita fętus inde continuaretur, cur pulli formatio incubatione indigeret? nonne is per talem motum & formaretur, & excluderetur? cur, inquam, ova jamdiu ab oviparis exclusa ad tactum non incalescerent? Postremo vita animalis non in solo humorum motu consistit, sed & in sensatione: sensatio vero habeturne per fermentationem?

Immiscent alii huic difficultati vermes spermaticos a *Leewenboeckii* & *Delempatii*, e quibus motum illum in ovum vitalitatemque derivant. Sed præterquamquod in *Stenonis* sententia, neque in nostra, salva illorum textura ad ovaria traduci nequeunt ii vermes, falsa etiam est ipsorum in seminibus existentia. Libeat istius criterium ex *Langio* imprimis audire. *Fateor* (inquit is) *opinionem banc Leewenboekii incautum Lectorem posse decipere; cum eam autopsiæ tam multiplici, elegantique exemplo generationis ranarum illustratam sistat. Quoniam vero paucissimis licuit esse adeo felicibus stupenda bæc phænomena propriis usurpare oculis, Inventor enim sibi soli scrutinium boc servavit bucusque; unius vero bujus Autboris observata paradoxa assensum communem baud potuerunt adpisci. Postquam autem alii Artifices æque exquisita microscopia comparaverunt, ut imprimis sunt illius ingeniosissimi Angli, cui nomen Job. Mallet, quale ego quoque possideo, insigniter a præconcepta opinione decerptum fuisse Leewenboekium, ad oculum nunc constat. Illud siquidem quod pro vermibus caudatis adeo copiosis babet,* IV.

bet, nihil est aliud, quam fracedinosa, seu salina portio intra viscidas moleculas agitata, quousque sensim sensimque consumpta fibrillas quasdam immobiles post se relinquat, quas pro cadaveribus vermium Author hic venditat &c. hallucinationem nimirum illam, qua in exploranda seminis substantia prehensi sunt quotquot ad eum finem microscopiis uti gestierunt, inde enatam puto, quod non adverterint, uti effluvia omnia e viventibus animalibus exeuntia, non excepta ipsa perspirabili materia, in motu, quo ante emissionem ciebantur, per notabile temporis spatium perseverare. Adeantur *prænotata* ad c. 2. *Part.* 5. Hinc igitur cum particulæ quoque spermaticæ in eodem motu ab intrinseco principio, i. e. anima communicato aliquandiu persistant, factum est, ut particulis illis in dicto motu perennantibus vermiculorum nomen injectum sit. Particulæ jam vero istæ suamne indolem & motum conservabunt in transitu ad ovaria, & in ipsis ovis? Non; sed per fermentationem cum fœmineo sanguine in propemodum infinitas atomos discissæ ulterius se movere desinent, quum ad ovaria pervenerint; & ibi vel præcipitationem, seu staminum fibrosorum in ovo fixationem, aut turbas adhuc in sanguine eidem circumfuso, ut dictum fuit, excitabunt. Quamobrem sistere se se poterunt tanquam causas ulterioris dispositionis ad vitalitatem excipiendam, non vero ut causæ proximæ ipsius vitalitatis.

V. Ad argumenta deinde, quæ afferuntur ex observationibus fœtuum in abdomine, tubis uterinis, atque in ipsis mulierum testibus repertorum petita, quibusque luce meridiana clarius constare videtur Adversariis, quod ii fœtus non nisi a seminali principio incrementum capescere potuerint, resp. distinguendo inter fœtum & fœtum. Qui imprimis in abdominis cavitate fuerunt observati, ii vel lapidei erant, vel substantiæ ad lapideam naturam accedentis; vel carnei. Prioris generis fuit V. g. notissimus ille Mussipontanus, ut ad *Bartbolinum* fuit præscriptum. Vid. ejus *Epist. Cent.* 4. *Epist.* 58. posterioris sunt plures alii. Dico igitur lapideos illos, aut tantum non osseos, nempe fœtus nunquam uterum invisisse, & hinc argumentum suum ab extra acquisivisse; non sic carneos; Et priores quidem intantum excrevisse, inquantum quod fulliginosa materia undique e

vici-

viciniis transſpirans ſeſe appoſuit tenellis fœtuum ſuis exuviis antea ſpoliatorum rudimentis; poſteriores vero, quoniam nutrimentum ab utero ſuſceperunt. Hinc vaſis umbilicalibus deſtituti ſemper inventi ſunt illi; hi vero nunquam: præterea informes illi fuerunt ſpectati ac puſilli; hi grandiores, & aliquando perfecti. Urgeant propterea Adverſarii caſum D. *de Monconiis* narrantis *in Itinerar.* P. 3. *pag.* mihi 457. relatum fuiſſe ſibi a D. D. Color & Raiſin, uti menſe Aprilis anni 1663. D. de la Foreſt Chirurgus Aurelianenſis una cum D. Balduin M. D. ibidem in noſocomio publico anatomiæ ſubjecerant cadaver cujuſdam fœminæ, quæ cum diu tormina ac parturiendi conatus enormes paſſa fuiſſet, indeque e vivis exceſſiſſet, inventa eſt habere extra uterum, nempe in ſpatio, quod eſt inter hunc & inteſtinum rectum egregium forma puerum ac probe maturum, utero interea exiſtente illæſo, i. e. nullibi rupto aut pervio verſus dictum inteſtinum. Confer etiam de hoc caſu M. N. C. A. 1. O. 110. Reſpondebimus nos talem puerum ſibi exitum quæſiviſſe per unam tubarum fallopianarum; id quod ſatis ſuperque teſtantur immanes illi dolores tamdiu tolerati. Quod vero nulla mentio de tubarum ſitu & affectionibus fiat in hiſtoria, hoc non probat fœtum in abdomine excreviſſe. Vel enim hæc particularitas fugerat præfatos DD. Color & Raiſin utpote in Anatomia & Medicina minime verſatos: vel fieri etiam potuit, ut propter reditum tubæ ad ſuam priſtinam contractionem nulla notabilis amplitudo in ea tuba relicta ſit. Sed prius videtur magis veriſimile, inquantum quod nec de funiculo umbilicali, nec de placenta, ſine quibus fœtus ille augeri nequaquam poterat, nullus item habetur ſermo. Urgeant iidem alium caſum excerptum *ex Diario Gallico*, vulgo *Jornal de Medicine &c. de Monſ. l'Abbe la Roque Ann.* 1665. de fętu in abdomine contento, cujus placenta partim meſenterio, partim colo adhærebat, quique ibidem in maturum fœtum viguerat: reſpondebimus iterum hunc fœtum ab utero egreſſum per tubam adduxiſſe una ſecum etiam placentam propriam; quæ poſtmodum vaſis meſentericis alligata ſuccum nutritium illi ſuppeditavit. Dicere namque quod placenta ibidem formari potuerit, abſurdum

est: non enim aliam ea postulat substantiam præter uterinam, e qua nomen etiam sortita est. Urgeant; quid, inquam, urgeant? expensis omnibus observationibus fœtuum in abdomine repertorum, videbunt hos ob uteri rupturam, tubarum inversionem aut distensionem &c. illuc evasisse: adeatur *Boneti Sepulchretum*: cognoscentque iccirco eorundem, nempe fœtuum carneorum augmentum in utero incœpisse, minime vero in ovariis a semine eodem inspirato.

VI. Tubales deinde conceptus, qui nempe fœtus in tubis sunt inventi, eidem cum repertis in abdomine subjacent epicrisi: nimirum parvi, informes, gypsei, aut lapidei si ii sint fœtus ac funiculo umbilicali destituti, existimandum est eos uterum nunquam salutasse, suumque adeo augmentum a perspirabili materia per extrapositionem desumpsisse; secus vero contra. Vidi Senis in Xenodochio ejus Urbis ostensum mihi quoddam ab Amico ibidem Medico Assistente spectrum hominis, sive embryonem pollicari longitudine, nec crassitie majorem; cujus inferior pars pube tenus tubæ portione, ut ex laciniarum vestigiis dignosci poterat, adhuc obducebatur. In hoc fœtu caput & brachia, corporis partibus lateralibus incumbentia non obscure discernebantur; oculi, nasus, labia ne vestigiis quidem; & quod partes interiores (erat enim is embryo transversim sectus e regione umbilicali dorsum usque) nonnisi quædam continua quasi lignea substantia vocari poterat illa massa, nullo foraminulorum aut materiæ diversitate distincta. Nihilominus, inquies, tubalium conceptuum historiæ non sunt infrequentes. Transeat; neque enim hoc probat principium animationis & vegetationis in illis ipsis tubis, aut semini antea in ovario afflato in acceptis esse referendum; sed quod ut placenta uteri in tubarum confiniis plerumque implantatur, ita fœtui ad illas facilis est ingressus, placenta interea vel in loco suæ insertionis remanente, aut sursum in eandem tubam aducta, quum nempe sermo est de fœtu carneo vi intrinseci principii formato. Nam quod alios informes jam sufficienter patefecimus nostram intentionem.

VII. Supersunt tandem conceptus in mulierum testibus observati. Fateor observationes has raras admodum nullibi me legisse, quam

quam apud *Malpighium*, qui *in Oper. Posthum.* agit de mola ferme ossea ac tantum non gypsea abs se ibidem, in ovario, spectata: de qua vid. etiam *Vallisnerius Tract. de Gener.* P. 3. *c.* 5. & apud *Litrium Memoires de l' Academie Royale des Sciences* &c. *Ann.* 1701. ubi mentio fit de vescicula in ovarii sacculo seu folliculo contenta, in cujus humore natabat foetus plus tribus lineis longus, crassitiei unius cum dimidia, in quo tamen adnotari poterant os, nasus, oculi, vasculum umbilicale, & reliqui corporis articuli. Nihilominus tantum abest, ut observationibus ejusmodi contradicam ad imitationem *Vallisnerii* modo laudati, qui Litrianam hanc absolute negavit, atque accerrime impugnavit; ut potius velim ovulum foecundatum in ovario quadantenus germinare quoad scil. calor sanguinis ovulo circumfusi per fermentationem cum seminali aura, ut supra dictum fuit, excitatus extendere potest foetus lineamenta in illius cicatricula contenta. Est enim haec altera materiae dispositio post eorundem staminum in ovulo praecipitationem, combinationem & fixationem ab aurae illius aspergine productam. Quid mirum proinde idolum foetus ita aliquando pullulasse in ovario, ut sese oculis conspiciendum praebere potuerit? Verum excrescentia haec adeo notabilis non fuit, ut ex ea foetus animatio liceat augurari. Hujus quippe effectus est corporis accretio per actionem intrinsecam, quae in supradictis casibus non fuit observata. Ergo argumentum etiam ab hac observatione petitum ad probandam seminis energiam in concilianda vitalitate nullius est roboris.

Ut Litrius suam, ego quoque peculiarem observationem ha- VIII. bui de foetu in ovulo muliebri: nempe anno 1749. mense Octobris delata fuit ad Ospitale Urbis Virago quaedam viginti circiter annorum habitosa utique ac bene colorata, verum ulcere disepulotico in pudendo adeo vexata, ut ex eo anticum posticumque uno foramine recluderentur cum foetore insigni & febre quae delirium furoris uterini aemulum inducendo efficiebat, ut aegra vulgo pro energumena haberetur. Gangraena igitur oborta, juxtaque virium defectum sedato delirio misella mulier extincta est: cujus cadaver ego, qui tum Medici Assistensis munere ibidem fungebar, aperiendum duxi eum in fi-

nem, ut caufam ejufmodi delirii fcifcitarer; nec fruftra. Etenim aperto abdomine, remotisque inteftinis obtulit fefe mihi ante oculos lien infolitus, linguæ fcil. bubulinæ figura & craffitie æqualis, atque ita oblongus, ut cum ultra pelvim fe extendere amplius nequiviffet, reflecteret fefe pone uterum ad inftar manus in pugnum contractæ atque extremo paulo antrorfum eundem uterum propelleret. Dum hunc fitum contemplor, obtigit, ut viderim finiftram falloppianam tubam furfum ad ovarium ejufdem lateris inclinatam: nec fatis; continebat ea in fuis extremitatibus ovum magnitudine & figura columbino fimile; cujus fuperior apex adhuc dum alveolo in ipfo ovario exiftenti hærebat ac paulifper condebatur. Ego igitur ovum nullo negotio, levi duntaxat manu, ab alveolo & foliaceis tubæ extremitatibus libero, carthæque impofitum video nullo pedunculo aut petiolo alicubi inftructum, fed ubique æquale ac perpolitum, fectum deinde forficibus vomuiffe ftatim limpidum glaveofumque humorem; & in ejus medio extare fœtum comperi magnitudine formicæ majoris; fed qui pube tenus tantum confpici poterat, infernis partibus vifcido quodam ac nebulofo quafi glutine exiftentibus adhuc obvolutis. In hoc fœtu confpiciebantur nudis oculis capitulum verfus os acuminatum, & in eo oculorum orbitæ ac foraminula nafalia; carina item & coftularum initia, quæ ut dictum eft, pedunculorum formicæ fpeciem referebant; plura etiam vifcerum rudimenta in confpectum venire potuiffent fortaffe, fi oculi fuiffent armati; fed microfcopia ad manus non erant. Tandem perluftrata interiori tunicæ ovum componentis fuperficie, quam magis fufcam exteriore adnotavi (utpote quæ, nempe exterior facies omnino albida apparebat) tranftuli me ad alveolum, five calicem, ex quo illud ovum fuerat exclufum. Erat autem ea fovea apum cellulæ, favo, vel alveolo pene fimilis, nec tamen adeo profunda: videbaturque ad oculum cruore interius quafi fugillata ex fermentatione, ut opinatus fum, quam idem fanguis ibidem cum aura feminali conceperat. Quocirca hujus phænomeni & obfervationis beneficio denique collegi 1. quod ovulum corpus eft ab ovariorum fubftantia diftinctum. 2. quod fovetur nutriturque per juxtapofitionem e

fuc-

ſuccis per arteriarum extremitates tranſudantibus in illius interiora. 3. quod hæc ipſa contenta non fermentant ex interventu auræ ſeminalis; verum quod iſtius ope craſſæ illorum partes a fluidis ſecernuntur, uniuntur, ſive præcipitantur. 4. quod eadem aura mediante fermentatio oritur in ſanguine ovum circumfluente; & quod ex hinc calore orto inflatur ovum, i. e. partes in eo contentæ ulteriuſque diſponitur ad animationem prout contra putantes actionem hanc a virili ſemine augurandam eſſe in tota hac diatribe multis fuimus conteſtati.

A S S E R T I O III.

Primos animæ impetus in ſanguine manifeſtari.

I. MAteria ſeminali ab officio vivificandi fœtum irrevocabiliter excluſa inveſtigandum venit an eadem prærogativa competat fortaſſe ſymbolis, quæ mater confert in generatione ſimul etiam cum paterno ſemine acceptis. Hujus enim coniunctionis occaſione fit, ut ab Adverſariis admodum elevetur illud de ſcintilla, quæ e pyrite excuſſa & in fomitem delapſa ignem excitat in momento. Quamobrem probaturi, quod nec ſemen pyritis, ut oſtenſum fuit, nec muliebris materia fomitis ſimilitudinem referunt, aſſumpſimus hoc aliud medium poſitivum; tum videl. fœtum vivificari incipere, quum anima in ſanguinem, vel quaſi ſanguinem infuſa eſt. Quod autem ſymbola materna; in hoc conveniunt Adverſarii locum & calorem eſſe efficiens principale animationis. Quærenda igitur hujus efficientiæ ratio, quid nempe locus, quid calor, quidque etiam humor valeat cum ſeorſim, tum unitim cum ſemine maſculino in negotio ejuſmodi vivificationis; ſubindeque ad theſim deſcendemus. At locus, ſive ad ovaria, tubas, aut tandem uterum reſpiciamus per ſe nihil præſtat contra *Empledoclis* & *Democriti* doctrinam. Loci quippe conditiones ſunt æqualitas cum locato, immobilitas & permanentia: conditiones vero iſtæ poſſuntne motum, vitamque largiri? Supra jam notificatum fuit ovum in ovario ac tubis nullam concipere vita-

talitatem, ut ex adductis observationibus patuit; superest modo uterus: cujus structura si animadvertatur, quatenus nempe substantia constat musculosa vario fibrarum cornearum plexu vasisque copiosissimis interne atque externe donata, utique compertum fiet illum amplectendo, fovendo ac nutriendo foetui præ cæteris partibus idoneum esse; at hoc non obstante vix conjiciendum est vitale principium huic ab eodem posse communicari: siquidem tum ratione ipsius structuræ, tum ratione humorum ad se confluentium non est capax tribuere primordiis illius, nempe foetus, eam activitatem, in qua vita consistit.

II. Ad Calorem si confugias tanquam ad generationis entelecheiam, resp. calorem non esse nisi qualitatem aut modum; modum autem non ponere actionem. Opponis calore induci quandam elevationem, cujus virtute divisis materiæ partibus motus excitatur. Sed contra est; quia elevatio, virtus, confortatio non conceditur cum instrumentis rigorose, tum etiam formis instrumentariis ad hoc, ut quatenus elevata sunt habeant rationem elevantis, seu efficientis; verum ut denotent potentiam causæ principalis; quam vero causam in materia calefacta, quam potentiam denotabit elevatio? *Elevatio* (ut loquuntur *Compluten. Disput.* 10. *quæst.* 16.) *non potest instrumentum extrahere e ratione instrumenti, nec tribuit illi æqualem perfectionem cum efficiente; ergo neque extrabit ipsum ad rationem causæ principalis.* Paucis, hominem, equum, vermem calor non ponit, nec potest determinare materiam ad hunc motum potius quam illum, cor potius quam sanguinem &c. Principalis igitur quærenda causa, forma scil. quæ calore utitur.

III. Postremo quæ de utroque tam masculino, quam fæminino semine, illius fermentatione cum sanguine muliebri, loco & calore uteri separatim dicta sunt, prædicari debent de iis etiam seorsim. Revera namque semen, sanguis, fermentatio, calor, &c. non sunt aliud, quam causæ instrumentales, aut istarum effectus, e quibus tamen obtineri nunquam potest alius ipsis perfectior ac nobilior, cujusmodi est vita. Ex quo etenim arguendum est a fermentatione, calore, additione,

aut

aut ſubtractione materiæ utcumque licet animatæ poſſe motum, ſenſum, vitamque deduci? Materia animata habet motum, ſed non omnem; eſt determinata; ſed non in quamcunque partem, quemadmodum vivens animal movetur & determinatum eſt. Poteſtne igitur cauſa inferior præſtare effectum ſe longe ſuperiorem; cauſa ignobilis nobiliarem?

Ad complementum propterea generationis in animalibus interventus rei minime materialis, quæ nempe activa ſit & a ſe mobilis, neceſſarius eſt; ea ſcil. quam materia utcunque animata, & qualicumque qualitate affecta ſufficere nequaquam poteſt. Requiritur, inquam, ſubſtantia immaterialis, ſine qua in fœtu nulla eſt vita, nullum ſe movendi ſentiendique principium: & ſic cauſa proxima efficiens & perficiens ejuſmodi generationis DEUS eſt, qui materiæ illi a parentibus diſpoſitæ ac præparatæ vitam, ſeu ſpiraculum vitæ impertitur, prout *Diſq.* 4. præſcripſimus. Objicies aliud eſſe principium vitale, aliud vero animale; dato igitur etiam, quod principium animaliter agendi in fœtu ſit immateriale, vitæ tamen principium non poteſt non eſſe a materia. Resp. neg. antec. Anima enim vitæ ſola veluti radix eſt, quam corpori communicat, dum intima permeatione illud actuat. Atque ſic vivum vocamus Compoſitum, quatenus vita & animæ & corpori tribuitur, & animæ quidem per eſſentiam, corpori vero per participationem, ut ajunt Phyſici; ergo & vitalitas & animalitas ab uno eodemque immateriali principio dependet. Quod ſi vitam cum Philoſophorum non paucis, notante *Div. Thoma Part.* 1. *ſumm. Theolog. queſt.*18. *art.* 2. cui præiverat *Ariſtoteles l.* 1. *de An. cent.* 36. dupliciter ſumere libeat; vel ſubſtantialiter & originaliter pro actu primo; vel accidentaliter, ut ajunt, pro actu ſecundo: in tali caſu 1. vita erit ipſum principium, a quo vitales actiones proveniunt; 2. ipſæ vitales operationes. Priorem acceptionem indigitat *Ariſtoteles* his verbis: *Ipſum autem vivere viventibus eſt eſſe*. Poſteriorem ſeqq. *Vitam dicimus altionem, augumentationem, & diminutionem.* Paucis, Vita a Motu eſt (motu, inquam, partium reciproce ſe moventium, de quo motu poſtea) movens vero Anima. IV.

Subripit ergo quæſtio de tempore, quo anima immittitur a V.

DEO

DEO in ovulum jam utero inclusum, ex qua immissione absolvitur ac perficitur generatio. Notæ de hac re sunt Auctorum discrepantiæ; dum nimirum aliqui in masculino fœtu intra quadragesimum secundum, tertium, quartum, quintum, nonnunquam etiam sextum contingere tenent ejusmodi infusionem: in fœmina vero intra nonagesimum a conceptione diem ex Aristotelicorum doctrina. Alii cum *le Grand. Instit. Philos.* P. 8. *c.* 4. statuunt rationalem animam corpori uniri in ipso conceptionis momento, sive eo ipso tempore, quo semina (sunt ejus verba) ita sunt in utero commixta, ut conformationis actio incipiat & augeatur. Alii demum indeterminate scribunt; adventum nimirum animæ tamdiu retardari, quoad materia in novum corpus abitura & lineamentorum effigie, & accidentibus requisitis, quæ nempe forma exigit, disposita sit &c. Nos quandoquidem actionum vitalium nullam absque præsentia animæ obtineri posse in superioribus insinuavimus; & autopsia interim patet fœtum in utero quotidie augeri, quæ augmentatio vitalis est actio, ut omnes norunt; tuemur propterea animam non infundi quidem in corpus antequam istius materia præparata sit: verum ex alia parte sustinemus etiam præparationem hanc celerius expediri, quam ut vel Aristotelici determinate, vel cæteri indeterminate perhibent. Nimirum ducto calculo a tempore prolifici congressus usque ad tempus erectionis tubarum ad ovaria, sex circiter horæ præterlabuntur: integris deinde quatuor aut quinque diebus eædem tubæ ovariis hærent defixæ; atque una saltem dies labitur, ut ovulum in utero debitam, quoad fœtus dispositionem & lineamentorum firmitudinem, perfectionem nanciscatur. Venit igitur concludendum animam circa diem septimum immitti in eundem fœtum: quod tempus correspondet tempori creationis primi hominis, quadratque cum illo carmine a *Joh. Russio* primo edito, dein vulgo tanquam pro adagio accepto, *Sex in lacte dies* &c. Vid. hujus distic. interpretatio apud *Ballonium Epid. l.* 1. p. 58. *Lanfrancum Doctrin.* 11. *tract.* 1. *c.* 1. *Chirurg. Ludovicum Bonacciolum*, alios. Suffragatur etiam *Hippocratis* auctoritati, qui l. de nat. pueri 2. 4. *Genituram*, inquit, *quæ sex dies in utero mansit*, *ipse vidi* &c. Cum

enim

enim in pellicula, h. e. ovo fibras quasdam albas & crassas cum cruore crasso & albo obvolutas adspexisse se testatur idem, credibile est talem fibrarum crassitiem sine aliquali accretione, h. e. vita, fieri non potuisse. Verum de his satis.

VI. Necessitate itaque interventus animæ spectata pro totali generationis consummatione, accedimus nunc ad primariam ejusdem operationem in materiam ita, ut dictum est, a parentibus præparatam, h. e. in fœtum. Notificatum jam vero fuit Disq. 4. animam esse divinæ auræ particulam, i. e. spiritum a Deo inspiratum: spiratio autem non fit, nisi cum impetu; ergo anima in dictam materiam inspirata debet in illam impetum facere. Nec diffitentur hoc ipsi primarum operationum in ovo scrutatores *Harvæus Bachius*, *Entius*, sanguinem, aut quasi sanguinem asserentes ad punctum saliens absque motrice & impultrice causa derivari non posse. Quamobrem prima animæ actio impultio aut motio est; subjectum autem sanguis, aut quasi sanguis, quatenus is ante alia omnia impellitur, movetur, animatur. Docent hoc item reliqui ejusdem ovi incubati inspectores. ***Fabritius ab Aquapendente***, ***Theodorus Aldes***, ***Coiter***, ***Langlii***, ***Schraderus***, ne plures nominem, ore unanimi confitentes sanguinem aut quasi sanguinem intra viginti quatuor horas moveri incipere in ovo; quando nempe in medio cicatriculæ circulus quidam quasi luteus halonis instar in vitelli superficie in conspectum venit a reliquo luteo intensione coloris satis distinctus, corde interea nondum saliente. Ergo subiectum animationis, primum animatum, sanguis est; id quod Malpighius ipse; cui alias intererat cordis & nervorum jura tueri propter suam de Cortice hypothesim, rei veritatem celare non potuit, quando de utriusque partis, sanguinis & cordis, quoad motum præexistentia pronuntiare debuit. Sic enim is frigide satis, ac veluti coacte: ***Suspicari cogor, quin, ut innui, plexus integri vasorum umbilicalium præexistant in cicatricula; & subintrantis liquoris turgentia & motu manifestentur.*** Hæc turgentia probet etiam actionem animæ spiritualem quasi ανε ιω:επαν, i. e. ventosam: cujus ratione sanguis aut quasi sanguis non tam impellitur, quam rotatur, & in suos globulos semper remanet divisus. Unde circulationis sanguinis vel Inventores, vel Assertores primi-

K pila-

pilares præfati, Harvæus! nempe, Bachius, Entius, postquam ut supradictum fuit, enuntiarunt *sanguinem, vel quasi sanguinem ad punctum saliens derivari non posse absque motrice & impultrice causa, addiderunt circa istius effectum: quæ illius, nempe sanguinis, partes in perpetua mobilitate & divisibilitate contineat.* Quamobrem animatio, seu princeps animæ actio in materiam non tam in impulsione, quam in sanguineorum globulorum inflatione aut tumefactione consistit. Eat nunc aliquis Anemo-mastyx, & impulsionem hanc inflationemque partium sanguinis ab aura seminali, fermentatione aut calore deducat; nihil profecto proferet, quod hos effectus, a quibus tamen vita primario pendet, exhibere valeat: unde adeo concludendum est sine anima non esse vitam.

VII. Verum priusquam nos operationes ab ejusmodi sanguinis impulsione & inflatione pendentes, & in quibus in actu secundo vita est, deducamus, e re fuerit obviam ire quibusdam objectionibus metaphysicis, quæ in hoc passu a Recentioribus afferri solent; & 1. animam esse substantiam inextensam; non posse itaque ab ipsa impelli sanguinem & inflari. Sed huic objectioni data est responsio *in Disq. 3. art. 12.* ubi diximus animam esse substantiam activam, ergo extensilem, h. e. aptam se extendere, adeoque impellere & inflare. Verum autem hæc inflatio fiat immediate per ipsam animam, an mediante aere ubique obvio, hoc decidere non multum refert; certe spiritus est activus, & *nemo doctus attribuat actionem materiæ*, monet *Scaliger in 1. hist. animal.* f. 196. ergo nemo quoque doctus deneget spiritui extensilitatem, exigat in eo superficiem, ut dici debeat activus. 2. Sanguinem non esse partem corporis; ergo non esse subiectum animationis. Anteced. probant 1. quia est fluidus; fluidæ vero partes nullo jure tali titulo insigniri mærentur. Vid. *Bartholin. Anat. refer. pag. 2. Diemerbroek. pag. 2. folio 2.* quia fluidis non competit definitio partis a *Fernelio* data: cui nempe partes sunt corporeæ substantiæ in continuitate cohærentes toti ad functionum usum comparatæ. Resp. neg. antec. ad cujus probat. nego definitionem partis Fernelianam. Si enim essentia partis in cohæsione cum toto consisteret, fluvii ac piscinæ V. g. regionis partes non essent dicendæ; digitus vero sinister pedis

E.

E. c. pars esset auriculæ dextræ, quod tamen utrumque absurdum. Potius igitur partes definiendæ sunt, ex quibus totum constat, movetur ac modificatur: quæ definitio sanguinem non excludit, imo potiori jure ad ipsum pertinet. 3. Sanguinem non sentire, & per consequens esse ἄψυχον inanimem. Resp. neg. anteced. Tantum enim abest, quin sanguis sentiat, ut potius sine sanguine nihil sentiat, quemadmodum constabit ex *Paradox-seq. Partis*. Imo sanguis tam exquisite sentit, ut miasmata quæcunque solidas partes fugiunt, ipsum latere non possint. Adeatur *Pars* 5. Et revera globulosus, sive vesciculosus est sanguis proprie talis, pelliculisque tenuissimis præditus. Quid ergo? reliquæ in corpore fibrillæ minutissimæ sensu gaudebunt, pelliculæ vero istæ ejus erunt expertes! Falsitatem deinde illius consequent. aperte docet Scriptura *Vox sanguinis clamat ad Deum*: *Anima carnis sanguis ejus* &c.

Hoc stante, quum quæritur, quomodo anima uniatur corpori, illud potius quæri debet, quomodo anima uniatur sanguini? VIII. *Sanguis enim* (inquit *Job. Marco Marci Philos. Vet. restit.* P. 2. *f.* 4. *pag.* 133.) *est proximum subjectum animæ cujus gratia universum videtur fabrefactum; vitamque ex eo participat*. Pro responsione vero ad hoc quæsitum distinguendum est alias æquivocum unionis nomen. Vel enim denotat unitatem, sive continuitatem; & in hac acceptione anima non unitur sanguini. Substantia quippe immaterialis continuum quid efficire nequit cum materiali. Vel denotat adhæsionem, aut si mavis inhæsionem; & sic dici potest animam uniri cum sanguine per actionem suam continuam & substantialem, scilicet spiritualem aut inflativam inhærentem sanguineis globulis, & his mediantibus etiam fibris. Anima namque substantia activa agendo & extendendo sese, scil. spirando, in universum sanguinem huic velut inhæret, & ex hoc suam communicat activitatem reliquo corpori, fitque ubique quodammodo præsens. Sed jam hujus inflationis, in qua, ut dictum fuit, in actu primo vita est, effectus & operationes, in quibus eadem in actu secundo consistit, expendamus.

ASSERTIO IV.

Primum animatum est efficiens instrumentale primum corporis animati.

I. Effectus jam vero illi motus sunt vitales, qui vel primarii, vel secundarii: primarii, ut motus cordis [& arteriarum; secundarii, ut motus pulmonum & diaphragmatis. Operationes autem sunt functiones ex his motibus resultantes, adeoque item vel primariæ, vel secundariæ: primariæ, ut circulatio sanguinis, calor, nutritio; secundariæ, ut respiratio, chylificatio &c. de quibus seorsim agemus *in sequent.* Motus ergo cordis a sanguine sic, ut significatum fuit, inspirato, i. e. ab anima impulso & inflato provenire; ex eoque tum ejusdem sanguinis circulationem, tum corporis accretionem operari ut ostendatur, incipimus a formatione fœtus, quæ sane methodus Cartesio placet, quamvis naturalia visa sunt non multum illi placuisse.

II. Ad hunc vero finem præmittenda veniunt, quæ circa sanguinem, h. e. circa ejus globulos (hi enim soli nobis sanguinis nomine veniunt) observantur. Ita autem de his loquitur ipsorum inventor meritissimus *Leewenboek: Omnium figurarum capaces difformes fiunt ii globuli; maxime in longitudinem extenduntur, dum transeunt per arteriolarum angustias, & propter tenacitatem, cum in venas, utpote spatium amplius, transeunt, ad pristinam figuram redeunt. Et rursus: Sanguinis globuli possunt in locorum quorundam angustiis comprimi itaut figuram prorsus mutent & se accommodent præssuræ; tamen diu post possunt restitui ad integritatem, & pristinam figuram. Ac tandem alibi: Sanguinis globuli arctari possunt in unum cumulum, & tamen non frangi; & iterum solvi, ac pristinam integramque figuram assumere.* Ex quibus colligo sanguineos globulos animatos, i. e. inflatos natura esse elasticos. Est enim corpus elasticum, *quod ad quamcunque determinationem extra locum suæ quietis emotum in nullo alio puncto sibi iterum relictum quiescit, quam quo ante deductionem quieverat.* Sed sanguinei

guinei globuli oblungati, coarctati, compressi ad pristinam redeunt integritatem, ex observat. modo adductis; ergo globuli sanguinis sunt elastici; exemplum hujus elasticitatis, sed longe ignobiliori modo præbentibus vescicis bubulis inflatis, pilis lusoriis &c.

Præmittenda etiam, quæ circa fibras in corpore existentes, III. has videlicet item esse elasticas, suadente hoc experientia, nec diffitente hoc insuper toto Physiologorum choro. Fibræ autem Anatomicis sunt partes instar fili oblongæ, sed in latitudinem & profunditatem parum extensæ ad partes contexendas destinatæ. Hæc etenim sola sunt, quæ tanquam principia assumimus ad demonstrandum motus cordis mechanismum causasque proximas vitalium functionum, quæ a tali motu proveniunt, quemadmodum vel leviter attendenti fiet palam.

His itaque prænotatis venio ad rem. Docet Anatome com- IV. parata colliquamentum ovi statim atque moveri cœpit per binos tresve surculos, qui in aliud vas capacius, venam scil. umbilicalem terminantur, versus cor, quod in illo nempe ovo propter pusillitatem tunc punctum tantum audit, punctum hoc salire incipere, i. e. dilatari ac constringi. Quæritur ergo primo, quænam prima sit cordis actio, dilatatio ne, an constrictio? Sed si non movetur cor sine prævio motu colliquamenti versus illud, manifestum est, quod intantum movetur idem, in quantum quod colliquamentum penetrat in idem punctum; adeoque quod per illius adventum dilatatur idem punctum: superest propterea, ut investigetur, quamobrem ex ingressu colliquamenti in tale punctum, hoc ipsum punctum dilatetur? Sed res facile comprehenditur, cum appareat colliquamentosos globulos non posse ingredi in dictum punctum, absque quod in ingressu oblongentur & coarctentur. Ut igitur ingressi iidem statim expanduntur, ut pristinam figuram recuperent; ita ab hujusmodi expansione sequitur, ut idem punctum dilatetur. Explicant se se quippe ii globuli tanto fortius in puncti cavitate, spatio scil. libero, quanto magis antea fuerant constricti juxta regulam illam Mechanicorum usitatam: *Corpora elastica quo vehementius extra locum suæ quietis deducuntur, eo validius sibi relicta resiliunt, fortiusque percutiunt.* Definit tamen statim is ictus;

ictus; siquidem colliquamentosi globuli a resilitione illa protinus ad se redeunt, ut pristinam figuram recuperent. In quo proptęrea reditu puncti cavitas tanto vehementius renititur introrsum, quanto validius extrorsum fuerat diducta, efficitque contractionem: dumque introrsum descendendo contentos globulos eliminat per foraminulum priori e regione positum, novi per istud e vena umbilicali subintrant globuli, qui deinde illico se expandendo novam puncti diastole efformant; quam excipit alia systole, & sic deinceps; ita ut ex alterno globulorum nisu, & fibrarum puncti renisu alterna istius quoque dilatatio & constrictio contingat, & ex successiva hujusmodi alternatione motus cordis ex diastole & systole compositus perennet & crescat. Nescio qui hæc mechanice revocari possit in dubium. Posito namque semel, quod alias pro indubitato habetur, sanguinem aut quasi sanguinem videl. colliquamentum, & fibras natura esse elastica, res se prodit manifeste: dum elucescit causa impellens, nempe anima; causa comprimens, nempe ostium venæ, quod ducit in punctum causa percutiens fibras puncti medias, nempe extensilitas globulorun; denique causa expellens istos e puncti cavitate, renisus scil. fibrarum: quæ omnes causæ ex utriusque potentiæ solidæ & fluidæ structura dependent, & sunt cum autopsia conformes. Illud duntaxat te vix percipere autumabis, quomodo alterna illa dilatatio & constrictio tam regulariter se excipiant, nisi fortasse admittere velimus alternam quoque colliquamentosi ichoris impulsionem. Verum non est necessaria hæc impulsio: siquidem dato aditu paucorum globulorum in punctum ut dilatatur hujus cavitas, ita constringitur illud ostium; & e contra dum illa constringit se se, istud dilatatur: quamobrem non nisi regularis esse potest ejusmodi reciprocatio. Nimirum sanguis, seu colliquamentum & fibræ sunt potentiæ æqualibus momentis in oppositas partes sibi contranitentes; inter æquales autem vires nulla potest intercedere inæqualitas. Sed hæc clarius patebunt ex dicendis infra.

V. Quod colliquamentosos globulos, quos modo dictum est expelli e corculis, seu puncti salientis cavitate tempore contractionis, palam est eijci eos in aortæ truncum per sinistrum ejusdem corculi orificium. Quippe tum parietibus ejusdem ventri-

culi

culi antico posticoque se vicissim osculantibus in medio non tam ejiciuntur illi, quam exprimuntur, i. e. comprimuntur: sicque coarctati per præfatum orificium transeunt in aortam. Dum vero huc micant utpote in ampliorem aream, protinus se expandunt, dilatantque ejusdem fibras: quæ deinde ipsos ad naturalem molem revertentes, cedente resistentia, a tergo velut insequuntur, exprimunt; tantoque magis ad se invicem accedunt, quanto plus ab invicem per illorum expansionem fuerunt remotæ. Quamobrem est etiam hic aortæ motus reciprocus ex dilatatione & contractione, diastole & systole compositus: quarum altera exhibet potentia extensilis, globuli nimirum ab anima inflati, alteram vero contractilis, nempe fibræ.

Qui hos motus primis tribus incubationis diebus in ovo adnotarunt, quoniam pluribus non contigit idem eodem tempore observasse (una namque hora in hoc subjecto structurationem multum variat) in diversa abierunt circa motuum illorum prioritatem. Extiterunt enim qui dextram auriculam, alii qui aortam, alii demum qui sinistrum cordis ventriculum præ aliis istius partibus pulsare voluerunt. Nolumus hisce litibus nos immiscere persuasi verioribus communioribusque observationibus punctum saliens esse ipsum dictum sinistrum ventriculum. Ratio insuper hoc probat. In puncto namque auriculæ nondum formatæ sunt; nec verisimile est appendices cordis, quales sunt auriculæ, a natura elaborari ante ipsum cor. Movebiturne ergo statim ab appulsu colliquamenti ad punctum, quod nondum est in puncto? Quoad aortam, si potentia movens sanguis est, & sanguis ad illam prius fluere non potest, quin cor sit prætergressus, ratio item dictat debere hoc moveri a tali potentia antequam ab illo moveatur aorta. VI.

Sanguis interea mediante systole aortæ expressus, dum ulterius iicitur, arteriosos isthmos in cicatricula delineatos fodicare pergit; proindeque arteriis, Coronaria imprimis, tum Carotidibus superiora versus, Bronchialibus, Intercostalibus, Phrænica, Cæliaca & cæteris versus inferiora excavatis colliquamentosus succus nutritioni idoneus ubique apponi & quoquoversum una cum portione globulosa didi incipit tum ad ejusmodi arteriarum augmentum VII.

tum

immisso vidi cum sinistrum ventriculum, tum dextram cordis auriculam distendi; liquorem vero ægrius ad hanc transire, quam ad illam, finesque venæ iccirco bifariam divisos. Nondum tum mihi adolescenti venerant in notitiam litigia, quæ inter Meryanos ac Tauryanos tunc quoque temporis maxime intercedebant; Secus de hoc phænomeno multo curiosior extiturus; quicquid ex alia parte nihil postea magis variare comperi in fœtu, quam hanc machinam, saltem donec dexter ejus ventriculus adhuc imperfectus est. Sed his relictis; sanguine ad dextram auriculam primitus appellente hæc ipsa pariter pulsare incipit: ratio est clara ex ejusdem structura. Cum enim in vestibulo sphinctere arcto atque valido gaudeat auricula, non potest sanguis ingredi in istius bursulam absque quod a tali sphinctere fortem in ingressu sustineat præssuram; ingressus vero ut ratione suæ extensilitatis tantum se explicare debet, quantum antea fuerat compressus, nequit non bursulæ sive auriculæ parietes amovere & ita ipsius diastole efficere, renisu fibrarum proprio contractionem postea inducente.

Cum de motu deinde ventriculi dextri sermo est, hanc conjecturam foveo, non ante moveri posse cavitates hujus lateris, auriculam videlicet ad ventriculum, quam foramen ovale fuerit obsignatum, si prout tenet Vir alias doctissimus meique amicissimus, hoc in septo utrumque ventriculum distinguente constitutum esset, non vero in sinistro ventriculo intra venam pul monariam & cavam, ut ipsa fert autopsia unanimi Anatomicorum consensu observata. Qui enim, amabo, extendere se se idem, & constringi posset vena ipsum, scilicet ventriculum, translabente. Vehitur ergo sanguis ad troncum venæ derivatus bifariam; partim scilicet directe in sinistrum cordis sinum per foramen ovale, partim oblique in dextram auriculam: qui novissimus sanguis mediante hujus systole comprimitur deinde atque expellitur in ventriculum ejusdem lateris præfatum per arctum iterum orificium; unde est, ut eo ingressus antea coarctatus idem sanguis micat illico, ac resiliendo medios ventriculi parietes hinc inde amoveat, ejus diastole producat, systole deinde consequente partim ob nisum globulorum se se restituendi ad pristinam suam stasim, partim ob renisum fibrarum co- X.

nantium se restituere ad locum suæ deductionis, ut supra jam locuti sumus.

XI. Jam vero ex hac fibrarum ad se invicem accessione interna præmitur denuo & emittitur ille sanguis superiora versus, qua iter est in canalem arteriosum hocce nomine idcirco insignitum, quod & ipse pulset instar arteriæ. Provectus quippe in eum sanguis ob exitum e dicto ventriculo rursum compressus explodit denuo sese dilatatque eundem canalem, fibris postea vicissim molientibus constrictionem: ex qua porro dilatatione & alterna constrictione sanguis in aortam denique promovetur. Hoc interim si quæratur in quem finem succus ille umbilicalis bipartito flumine partim ad ventriculum sinistrum transeat, partim ad dextram auriculam, indeque recolligatur in aorta, responsio est facilis; ne videlicet impetu continuo crescentis fluminis motus ejusdem sinistri ventriculi impediatur aut præfocetur. Luctatur enim indesinenter & quotidie magis uterus per venam umbilicalem ope dilatationis ejusdem anthliæ cardiacæ. Tam copiosus ergo latex quomodo a perpusilla, & quæ juxta illius exarescentiam augeri non potest, cavitate salvo ipsius regulari motu admitteretur? Tenuis idcirco est, fibrarum nempe teneritudini ac novorum hujusmodi sinuum capacitati proportionatus, qui latex ad dextram auriculam derivatur in principio; sed procedente tempore, cum augetur dilatatio tam auriculæ, quam ventriculi ejus lateris, ab his deinde tanta fit suctio, ut totus pene rivus ad extremum adipsasmet cavitates deducatur, ut postea exponemus. Cum itaque pulsatio dextri ventriculi debilis omnino sit ab initio (adeo ut in ovo incubato per longum temporis spatium vix percipiatur) proindeque sanguis eo devolutus inde longe expelli nequeat, institutus iccirco fuit a natura canalis ille, scilicet arteriosus, a quo ægre ejectus nec perpendicularem in projectione lineam describere aptus idem sanguis exciperetur atque ad aortam provolveretur.

XII. Hoc pacto adauctum arteriosum flumen cum jam jam totum excipi a cruralibus non possit, ut ad Iliacas ventum est, divertere quoque incipit in arterias umbilicales, quæ binæ numero una cum simplici toties laudata vena funiculum constituunt a loco insertionis umbilicalem pariter appellatum; per-

que

que has arterias iterum ſe recipit in placentam. Uſus hujus ſanguinis meo videri non eſt alius, quam ut globulorum ipſius mediante aortæ ſyſtole vibratorum pondere ac penetratione alimentoſus humor ab utero illectus & defluxus in placentam ibidem dividatur, agitetur, atque ita veluti flagellatus tanto facilius adigatur in venæ illius, nempe umbilicalis orificia, quanto avidius ab his exſugitur atque imbibitur. Hæc enim puri puti ſanguinis, nimirum globuloſi eſt actio, ut conſtabit ex dicendis.

Breviſſimus hic ergo eſt circulus ſanguinis in fœtu; quo XIII.
mediante maternus chylus in orbe proprio digeſtus, & in alibilem materiam converſus poſtquam iterum in placenta & fœtus corde elaboratus eſt, per arterias truditur ad partes pro ipſarum accretione. Qui vel ſola fœtus oſſa inter ſe comparabit (inquit *Kerkringius Oſteogenei fœt. c. 6.*) non ſine admiratione videbit priorem ſemper a ſequenti tantillo temporis ſpatio dupla proportione ſuperari: adeo velociter creſcit fœtus. Nec eſt tamen cur ſtupendæ hujus celeritatis cauſam prætendamus plaſticam ſive formatricem aliquam virtutem animæ aut materiæ inhærentem, non animæ, utpote quæ cœmentariam, ut ſic dicam, aut murariam artem ignorat: non materiæ, cui actionem nemo doctus unquam tribuit juxta *Scaligeri* effatum alibi adductum. Ut meam in medium proferam ſententiam: agnoſco in anima vim impulſivam & ſanguinis inflativam, i. e. ſpirativam: ſcio ſanguinem ſic inſpiratum & fibras hoc ſanguine iroratas eſſe elaſticas, & illum quidem impulſum niti aptum eſſe, has vero reniti, ſi nempe ſibi mutuo occurrant: denique hunc niſum & reniſum eſſe talis energiæ, ut in conicis præſertim tubulis cruenti globuli ſummo cum impetu ferantur atque impellantur non ſolum, verum etiam hoc mediante impetu findant, agitent ac validiſſime impellant ad quamcunque partem materiam quamlibet ipſis commixtam, ut in ſequent. reddetur manifeſtum. His itaque poſitis nec miror ego incredibilem fœtus in creſcendo celeritatem, nec in dubium revoco (prout facere plerique ſolent) *Kerkingii* obſervationes. Qui enim ovulum ex magnitudine fere ceraſi acidi majoris (quale in utero

tempore infusionis animæ observatur) in molem adeo immanem non plus octimestri spatio posset excrescere, absque quod uterinum illud tributum aucto singulis momento cum fœnore solveretur, totumque in mirabilis ejus ædificii constructione impenderetur. Totum, inquam, totum, si demas tantum portiunculam ejusdem maxime serosam e placenta deciduam (utpote quæ sanguinis arteriosi fugit impulsum in venas umbilicales) & inter uterum & chorion diffusam pro aquæ parturitionis portione. Chylus ergo matris nutritius, quantus a fœtus venis umbilicalibus absorbetur, totus in illius accretionem cedit, postquam scilicet in corculo præparatus & in arteriis ulterius divisus magno istarum constrictionis nisu, brevi via ad partes fuerit transmissus istarumque fibris interjectus vel appositus.

XIV. Quo artieriarum vectigali mediante adaucta pariter cordis mole juxta crescit auriculæ ac dextri ventriculi resistentia. Hinc quemadmodum per repetitam circulationem sanguinis vis invalescit, ita altera potentia alteri redditur continuo proportionalis; adeo ut quo major est potentia dilatans, eo quoque validior sit potentia constringens: & sic hæc in dextro ventriculo robusta facta illum, nempe sanguinem in sua actione longius, quam antea expellat. Projicitur ergo sanguis ultra hiatum canalis arteriosi ventriculo illo jam robusto facto, seque in systole fortiter constringente: at tum porro pulsare incipit arteria pulmonaris. Quippe nimirum globuli sanguinei a compressione illa & in exitu per superius ventriculi orificium antea coarctati in projectione, deinde in arteriam facta denotant seu resiliunt, resiliendoque dilatant istius parietes, qui a resilitione ista postmodum ad se redeunt efficiuntque contractionem.

XV. Sic itaque sanguis truditur in pulmones per successivam hujus nominis arteriæ contractionem præfatam, ibique a surculis venæ pulmonariæ pariter urcatæ exceptus ad sinistram tandem auriculam introducitur. Verum siquidem istius ingressus arctior adhuc & difficilior est, quam in dextra teste ipsius parvitate respectu magnitudinis dextræ auriculæ, multum comprimi is & coarctari debet in tali introitu; unde est profecto, quod ingressus

gressus deinde in sacculum vehementer resilire quoque debet, insignemque idcirco ejusdem sacculi dilatationem producere, non sine æquali deinde succedente constrictione propter validam fibrarum resistentiam ex parte auriculæ; ex qua tandem ille, nempe sanguis insigniter denuo constrictus tandem pellitur in ventriculum ejusdem lateris.

Ut vero dum novissimi hi duo motus, arteriæ scilicet pulmonariæ ac ventriculi sinistri, celebrantur, sanguis pulmonum parenchyma in magna copia farcit; ita ex hoc pondere fœtus, qui antea (ultimis saltem mensibus) salvus quasi ordinario manebat, capite & collo submisso, genubus versus genas, & calcaneis ad nates retractis, provolvitur atque inclinatur versus uteri orificium, & hinc prono capite exitum molitur. Dixi præ pondere pulmonum. Notum est enim pulmones non respirantium aquæ immersos fundum petere; non sic illorum, in quibus tale parenchyma inspirati aeris ingressu in suas lamellas idest vesiculas fuit veluti separatum: alias dixissem etiam propter pondus cerebri suis quoque numeris tunc temporis absoluti; cum antea (primis nempe mensibus) non esset, *Kerkringii* dicto, nisi bulla vento inflata. Utrumque enim hoc pondus partum sollicitat; dum fœtus, capite uteri cervici incumbendo, istam aggravat, quemadmodum (servatis servandis ut dicitur) adgravant ani sphincterem alvinæ fœces (neque enim aliter habet sese illa cervix ad uterum, quam sphincteris loco) & hinc mater gravedinem illam percipiens nisu suo conspirat ad illius excretionem: ne dicam præterea aquarum evacuationem præssis secundinis a tali pondere procurari &c. Brevissimus interim ille tractus venæ umbilicalis, qui inter cavam & ovale foramen una cum arterioso canali exsiccatur; placenta submovetur; venæ item portio, quæ inter hanc & hepar interjacebat, elanguet, flacescit, altera ammisso cum insertione nomine cava facta, inque egressu ex hepate partim venam portæ, pro viscerum in abdomine contentorum ulteriori nutritione, constituente, partim venam ascendentem; & arteriæ denique umbilicales, sanguine in crurales rapide jam fluente, omnino concrescunt. Jamque ex hac historia formationis fœtus satis liquere XVI.

quere opinor instrumentum ejus fabricæ præcipuum esse sanguinem, prout positum fuerat in thesi.

ASSERTIO V.

Motus in machina animali ad vitam præcise spectantes omnes sunt reciproci.

I. Reciprocus autem motus est corporis cujusdam itus reditusque per eandem ultro citroque viam: Motus igitur, quotquot hoc modo fiunt in nostra machina, ad vitam pertinent, & viceversa, quotquot ad vitam pertinent, tali modo fiunt, in quo consistit vitalium motuum distinctivum ab aliis non ipsis. Porro, quæ in illa, nempe machina, sic moventur partes, si ad fœtum respiciamus: sunt ventriculi & cordis appendices, valvulæ, auriculæ, arteriæ; præterea dura mænynx & sinus venosi: si vero ad fœtum, sive jam natum, sunt insuper pulmones, diaphragma, pectus in media cavitate, & in infima musculi abdominis, imo tota istius membranosa portio, ventriculus & intestina. Dixi moveri in corde ventriculos & appendices ejus, non vero cor, quod non sit tribuendum toti, quod est partis; jamque adnotatum fuit supra motum in corde primo esse simplicem, motum scilicet sinistri ventriculi; mox duplicem, adjecto motu aortæ; dein triplicem, cum dextra auricula quoque pulsat; post quadruplicem, quando movetur ejusdem lateris ventriculus; item quintuplicem, associato motu arteriæ pulmonariæ; ac demum sextuplicem, pulsante pariter auricula sinistra. Peculiares igitur motus communem aliquem non constituunt, nisi forte corpori largiri velimus, qui sunt proprii alicujus partis, motus V. g. manus &c. Obijcies observatum esse, quod in systole mucro cordis adducitur versus basim. Sed quidquid sit de fide, quam observatio hujusmodi mereri possit; dum contra reputando visum sæpius est a me cor pulsare citra talem retractionem, resp. 1. quod si contingat hæc adductio, ex diastole sinistri sinus sequi debet, h. e. ex hujus in medio dilatatione; per quam nempe extrema versus medium contrahun-

huntur, non vero versus basim. Ibi namque dilatatio fit; & in systole, quum in eodem loco parietes dicti sinus anterior, ac posterior sibi occurrunt, elongatur idem potius, quam abbreviatur. 2. quod una istius ventriculi elatio & depressio non probat totum cor uno eodemque motu moveri; quod & motuum in illo achronismus manifeste demonstrat. Praeterea cur illorum unus alio fortior, alius alio debilior est, si unus est motus?

Sed scio quid sibi vellint Phsiologi cum hac sua unicitate motus; quoniam scilicet rationem praestare non possunt hujusmodi differentiae, achronismi videlicet aut syncronismi, debilitatis aut fortitudinis pulsationum cordis; verum ipsam ab insiti aut influi spiritus actione indifferenter derivant; hinc satius arbitrati sunt unam ponere diastole, unam ponere systole, quae in corde ejusdem spiritus nutu regatur: nimirum ventriculi cordis (sic rem explicant) sanguine repleti influentibus spiritibus contrahunt sese quoad singulas fibras; itaut mucro basi adducatur, & ventriculorum sinus intus comprimantur & angustentur; deinde cum contractionem cordis immediate sequatur relaxatio fibrarum, descendit concesso spatio sanguis in ventriculos contractis auriculis; Quocirca statuunt diastole ventriculorum pendere a systole auricularum; systole vero a spirituum influxu. Capiat haec qui potest; quomodo nimirum influxus spirituum regularis nunc unum, nunc alterum ventriculum contrahat? an is pariter eodem tempore contrahat etiam auriculas; &, si diverso, quare uno tempore contrahit auriculam V. g. dextram & ventriculum sinistrum; altero sinistram auriculam & dextrum ventriculum? cur item ventriculi relaxantur a sanguine ab auriculis irruente, non vero extendantur, & e tali relaxatione diastole potius fiat, quam systole &c. Capiat, inquam, qui potest; ego certe tardiore ac paulo hebetiore ingenio sum. II.

Urgebis negari non posse dependentiam ad minimum motus arteriarum a motu ventriculorum. Sed contra est 1. quia illarum motus motui istarum est achronus: scilicet dum dilatantur arteriae, constringuntur ventriculi, & viceversa: contrarium autem non potest esse a contrario. 2. quia utriusque cavitatis, ventriculi E. g. sinistri & aortae substantia non eadem, III.

sed

sed diversa est: prioris carnea, posterioris carthilaginea, ac tantum non ossea spectatur; fibræ item illius ad conum contortæ in basi, unde ductæ sunt, spiraliter desinunt. Fibræ igitur istæ suumne motum communicabunt aortæ in illarum medio nascenti? Experientia quoque testatur; uti manu ad sinistrum thoracis latus admota e regione mammillæ ingens pulsatio persentitur. Estne vero hæc pulsatio ipsemet cordis pulsus, quod in medio pectoris situm ægre etiam oculis pulsare deprehenditur in beluis etiam majoribus sublato sterno?

IV. Quæres igitur 1. quales sint, unde & quomodo fiant ii motus? Sed circa genericam qualitatem responsum est in thesi, omnes nempe motus ad vitam præcise spectantes esse reciprocos; quoad specificam, i. e. uniuscujusque partis propriam, responsio dabitur inferius. Quod causam efficientem, dictum fuit *in superiori Assert.* pendere illos a potentiis elasticis sibi invicem contranitentibus. Nullus quippe in solidis fieri potest motus nisui eorum naturali oppositus, nisi ab apposito motore per mechanicum illud axioma, scilicet: *Omne corpus, quod in contrariam determinationem nisui suo naturali movetur, causam etiam ejusdem motus habet contrariam causæ naturalis tendentiæ.* Motor autem solidis oppositus non potest esse, nisi fluidus, i. e. sanguis, seu portio ejusdem elastica, videlicet globulosa: ostendimusque quomodo ex sanguinis & fibrarum actione opposita emergant motus ii vitales in fœtu; nunc quoad specificam motuum ejusmodi qualitatem in homine, seu fœtu jam nato, reproducimus alteram illam regulam Mechanicorum, quod nempe *Corporum elasticorum resistentiæ reciproce semper sunt proportionales viribus contranitentibus.* Ut igitur sanguis e partibus redux per cavam refractus veluti, emeritus atque effetus est, ita dextram auriculam ingredienti laxus quodammodo ac patens sphincter objectus. Quamobrem ille in transitu per hunc duntaxat leviter compressus dum deinde parum resilit in bursulam auriculæ admissus debilem hujus excitat dilatationem, viribus tamen ejus proportionatam. Cum enim tenuis admodum & laxa sit ejusdem bursulæ substantia, si proinde ingentem a sanguine dilatationem perferre deberet, vinceretur, nec resistere subinde, seu reniti posset pro expedienda ad motum

rum necessaria contractione. Hinc ergo motus dictæ auriculæ debilitas. Validior postmodum est motus ventriculi ejusdem lateris; quod nimirum globuli sanguinei ab illa ut ut debili contractione magis quam antea constricti, & in ingressu per angustius foramen ulterius arctati fortius quoque elaterem suum explicant in tali cavitate; quodque fibrosa istius potentia majoribus, quam in auricula momentis deinde contranitatur, ut contractionem efficiat. Ob hanc ipsam rem adhuc magis validus est motus arteriæ pulmonalis: quoniam scil. sanguis a tali ventriculo ejectus utpote compactior redditus tum ex illius contractione, tum ab exitu per isthmum angustiorem vehementiori explosione distrahit parietes arteriosos; hique vicissim parem postmodum exerunt renisum. Sed si hæc in parte cordis dextera, non minor deinde gradualitas observatur respectu languoris & vehementiæ motuum in sinistra: imo solus motus auriculæ istius lateris præcedentes omnes fortitudine superat. Causa est aer in pulmonibus insinuatus in præfatos globulos (de qua aereatione postea) ex cujus propterea adjunctione attracti per angustum sphincterem in sacculum talis auriculæ resiliunt ibidem validissime ii globuli, correspondente tamen protinus pari cum contractione eadem auricula propter texturæ suæ densitatem. Verum de insigni vi hujus auriculæ insigniori adhuc vi motus ventriculi pariter sinistri, & omnium denique insignissimo elatere aortæ plura exhibebuntur infra.

Hinc enim sufficit rationem innuisse, propter quam motus cavitatum in & juxta cor existentium pro totidem distinctis motibus habendi sint, nec ad simplicem ejusdem machinæ dilatationem & constrictionem referri debeant. Cæterum quod illorum achronismum & synchronismum; si contractio prioris partis causa est dilatationis sequentis, auriculæ V. g. dextræ constrictio causa est dilatationis ventriculi ejusdem lateris, quatenus nempe Sanguis ab illa impulsus resilitione sua dilatat hunc ventriculum, manifestum est motum præcedentis esse achronum motui sequentis partis, motum nempe auriculæ dextræ achronum esse motui ventriculi ejusdem lateris; & rursus, siquidem quo tempore constringitur hic ventriculus, dilatatur arteria pulmonalis propter eandem sanguinis ab illo expulsi resilitionem, aper- V.

te quoque liquet motum ventriculi dextri achronum esse motui arteriæ pulmonalis, motum vero auriculæ hujus arteriæ motui esse synchronum; quemadmodum deinde talis arteriæ motus achronus erit motui sinistræ auriculæ; motus vero dextri ventriculi erit illi synchronus, & sic deinceps, ita ut tandem eo numero momento, quo auricula dextra dilatatur, dilatantur etiam arteria pulmonalis, & ventriculus sinister; constringuntur vero ventriculus dexter, auricula sinistra & aorta: & viceversa eo temporis momento, quo hæ partes dilatantur, illæ contrahuntur.

VI. Quæres 2. ut moveantur valvulæ? Resp. elevari tricuspidales, & hinc introrsum flecti ad latera ventriculorum propter sanguinis in istos irruentis impetum tempore dilatationis; deprimi vero, & sibi relinqui propter accessionem anterioris & posterioris partis eorundem ad se invicem tempore constrictionis. Constat namque ex Anatome alligatos idcirco esse cuspidalibus carneos quosdam lacertulos aut columnas transversim tendentes in oppositum latus. Hinc igitur in diastole tenduntur hæ trabeculæ, & valvulas illas propterea dimovent ab ostiis venarum; in diastole vero laxantur; & valvulæ iccirco iisdem ostiis applicantur. E contra quoniam eædem trabeculæ mitralibus valvulis appensæ longitudinaliter ductæ sunt & in diastole relaxantur ventriculorum cavitate abbreviata, in systole vero trahuntur eadem elongata; sequitur ex hoc, ut conniveant illæ, nempe mitrales valvulæ in diastole, & amoveantur in systole. Ubi illud occurrit adnotandum, falso dictitari ab Anatomicis quod in systole abbrevietur machina cardiaca, in diastole vero elongetur; cum suadente autopsia duo funes simul antea contortæ postque in medio ab invicem diductæ clare demonstrent non tam decurtari illarum extremitates, quam partes contortas tanto magis accedere ad se invicem, quanto plus singulæ hinc inde fuerint diductæ: pateatque idcirco in diastole semotis parietibus ventriculorum abbreviari hos, non autem produci. Situs itaque seu dispositio fidicularum valvulis in corde existentibus appensarum in causa est adductionis istarum vel abductionis, quatenus nimirum intenduntur illæ aut relaxantur, h. e. obsequuntur dilatationi aut constrictioni ventriculorum. Et quod illas, quæ arteriis coronariis sunt appositæ; argumentum ex

per-

perhibent non leve, nempe autopticum de peculiari, a motu sinistri ventriculi distincta pulsatione. Quem enim in finem a natura constitutæ fuissent ibidem, in ingressu talium arteriarum dictæ valvulæ, nisi, ut in aortæ dilatatione distentæ non obstarent explosioni globulorum; in contractione vero relaxatæ eosdem admitterent. Verum de motibus cordis & appendicum ejus jam satis.

Quæres: 3. quorsum deducendus sit motus duræ meningis. VII.
Resp. missa spirituum animalium hypothesi in hac parte muta, aut, si loquatur, absurda, non defuisse hoc sæculo inter illos, qui se Mechanicos appellari gestiunt, quos dum præsertim ex Italia nostra oriundos, qui censuerint meningem illam abs sese cordis cerebri elogio mactatam non modo fore alterum cum corde motus principium; verum dubitandum esse, an ipse cordis motus ab ejusdem duræ meningis motu dependeat. Ratione quippe miræ ex trium ordinum fibris texturæ, ejusque lacertorum, & summæ contractilitatis illam sese & cætera movere posse contendunt: adeoque data hacce duræ meningis fabrica non aliunde, quam ab ipsamet meninge quærendam esse autument motus causam, minime vero a corde aut arteriis, quas paucas esse perhibent & ad hoc munus, (movendi scilicet meningem) prorsus ineptas. *Quare ex his omnibus* (concludunt sic demum rem hanc) *& infinitis propemodum resistentiis, qui eidem meningi occurrunt concludendum censent majorem valde hujus quam cordis esse compulsivam vim &c.* Ridicula consecutio, nisi horum insufficientiam mox deprehendens ad alia respexisset. Verba, quæ adjunxit *Bagl.* sunt sequentia, scilicet: *Motum oscillatorium dependere partim ab elatere duræ meningis admirabili, partim ab æquilibrio fluidorum per eam circulantium, cum dictis fibris elasticis.* Quæ cum attentius considero (inquit *Christian. Strom. Nov. theoremmat. prop.* 3.) vix concipio quid suo velit æquilibrio; tantoque minus induci possum, ut credam illud motuum causam fore, quanto certius persuasus sum veriori mechanice æquilibrium unicum esse, quod corpora ad quietem reducit. Exemplo poterit esse bilanx, cui æqualia imposita pondera nunquam in æternum moventur nisi ad alterutram nova accedat vis dictum destruens æquilibrium.

&c. Principium itaque reciproci sive oscillatorii motus, ejusque durationis neque in elasticitate duræ meningis, neque in liquidorum cum eadem æquilibrio quærendum est; sed remotiore adhuc dum opus est motore, qui mediante liquido eam nunc moveat extendendo, nunc ad se contrahendam liberam sinat. Illud autem motum trunci aortæ esse debere omnis nobis suadet ratio. Nam si ponamus (quod alias haud negandum est) solida & fluida cum in omnibus mobilibus humani corporis partibus, tum vero in dura meninge esse corpora æquilibrata, eorumque idcirco resistentias esse inter reciproce proportionales, ponendum quoque venit, quod ad corporum æquilibratorum motum minima in alterutro sufficit mutatio additione vel subtractione vis infinite parvæ facta. Tale vero momentum addit in nostro casu motus aortæ ac arteriarum duram meningem perreptantium: ab illo igitur momento motus duræ meningis ex elevatione ac depressione compositus est augurandus. Credideram ego solus hujus motus causam attigisse; verum renuntiatum est deinde idem jamdiu *in Transact. Angl.* A. 1703. fuisse definitum, motum nempe duræ meningis a pulsu arteriarum cerebri provenire; sed vereor, num in hac sententia effectus pro causa sumptus sit &c.

VIII. Quæres demum quid sint, & unde moveantur sinus venosi? Resp. de existentia istorum sinuum, qui sunt ductus, in quibus arteriæ committuntur cum venis a multis hactenus fuisse dubitatum; ratione dubitandi ducta ex eo, quod nullum usum præstaret circulatus sanguis in nutritionis actu, si suis tantum inclusus canalibus (transcolatio enim per horum tunicas minus credibilis videtur, minusque commoda) in corpore circumgyraretur. Verum donec nullitas hujus rationis clare manifestetur *in seq. Assert. loc. de Nutrit.* suppono globulosam sanguinis portionem nullatenus impendi in negotio nutritionis, adeoque hanc partem non per porros, sed immediate ex arteriosis transire in surculos venosos. Quo stante perspicuum est debere dari anastomoses quasdam inter dictos surculos & per consequens existere tales sinus: quod spectat alteram quæsiti partem est etiam evidens exiguum & tamen apparentem illorum motum provenire ex consensu & communicatione extremæ arteriosæ substantiæ in ve-

venas abeuntis, itemque ex alterna arteriarum evacuatione. Consensus quoque hujusmodi in causa est pulsationis venæ portæ in hepar ingressæ, venæ pariter pulmonalis, atque cavæ prope cor, ut suo experimento testatur *Walæus in Epist. de Motu chyli*. De vitalibus ergo motibus primariis, i. e. ab animato primario instrumento, nempe sanguine, initium capessentibus hactenus.

Accedimus ad secundarios, qui nimirum ab inanimato principio ortum habent, nempe ex aere; quosque dictum est esse motus pectoris, pulmonum, diaphragmatis &c. Priusquam tamen horum mechanice adornemus, libet adhuc paulisper animadvertere circa priores, in motum auriculæ sinistræ, quem in fœtu nondum edito novimus accidere omnium postremo. Novimus, inquam, & causa patet; quoniam nimirum fœtus nondum respirat. Etenim si ante respirationem pulsaret ea auricula, nullus esset pulmonum infartus, nulla causa inclinans fœtus superiores partes ad arietandum in uteri orificium. *Conferat.* 15. *assert. præced.* verum in situ suo & loco pristino perseveraret citra ullum ad exeundum stimulum; quod cum non accidat, sed pulmonibus sanguine turgentibus, fœtus ad exitum ab utero impellatur, manifestum est e pulmonibus ad sinistrum ventriculum sanguinem nondum deduci in fœtu dum in matris utero hæret, ac per consequens auriculam præfatam nec dum pulsare, confirmante hoc experientia; siquidem foraminis ovalis & canalis arteriosi vestigia in adultioribus non raro subjectis testantur eorum patulos meatus nondum adeo præclusos esse ultimis gestationis diebus, quin sanguis eosdem repetere, & per canales hos intactis pulmonibus circumferri queat. Motus igitur sinistræ auriculæ est omnium, qui in corde fiunt tempore postremus: & si vero scisciteris, quamobrem in pulmonibus contingat infartus ille sanguineus, in reliquis vero partibus non ita; resp. discrimen provenire ex pulsu aortæ longe vehementiori, quam pulsus arteriæ pulmonalis. Sed his missis IX.

Certum est, cum primum infans aeris delicias delibare incipit, gliscere hunc in pectus & tracheam tum late patentes vias, totumque viscus ejus pneumaticum pervadere. Describitur aer elementum subtile, fluidum, particulis elasticis simplicissimis conflatum. De subtilitate ipsius & penetrabilitate nemo un- X.

unquam dubitavit; elasticitatem nupero hoc sæculo detexerunt atque innumeris experimentis comprobarunt *Guerike*, *Boyle*, *Sinclarus*, *Sanguerdus*, *Sturmius*, alii: adeo ut nec de hujusmodi illius proprietate hodie ambigere cuipiam permissum sit. Quin imo frequentia observandi hos aeris effectus ita nonnullorum mentes fascinavit, ut existimarent pleraque corpora ex partibus elasticis & flexilibus concrevisse; quod si verum esset, vel ex hoc titulo sanguis & fibræ dubio sine pro elasticis habendæ forent. Quicquid sit; elasticitas in quo consistat *in præcedent.* declaratum fuit: aeri autem propria consistit in visu ad se expandendum pro locorum, quæ subintrat, conditione aut qualitate diverso; dum in calidioribus magis sese dilatant illius moleculæ, in frigidioribus vero contra; & sic ubi major est ille calor, ibi adeo se expandunt eædem, ut ulterius niti nequeant: id quod priscis rarefactione attributum fuit: sed improprie (inquit *Otto Guerike*) quia aer non ita extenditur, ut fiat per se rarior, tenuior, aut subtilior ad penetrandum aliquid durum, sed saltem ad majus occupandum spatium: unde evanescente calore, iterum constringitur, vel minuitur: proindeque non fit plus aut minus aeris, sed calor est, quem aer majori vel minori gradu adsumit, vel etiam deponit, quando scilicet calor evanescit. Verbo a calore magis aut minus intenso magis minusve extenduntur dictæ moleculæ & magis minusve rectam lineam describunt; a frigore magis minusve arcuantur; nec calidus aut frigidus dicendus est aer, sed atomi aut effluvia per aera volitantia, quæ pro motu, figura, mole frigus aut calorem inducunt. Verum hæc per transennam.

XI. Itaque in recens nati pectus insinuatus aer locum subit calidum, & in quo idcirco nulla datur resistentia ex parte effluviorum, utpote quæ ibidem non nisi tenuissima reperiuntur: quo fit porro, ut illic protinus se expandat, sive in majus se extendat spatium, & quidem eo momento omnium validissime; quo major est resistentia talis tunc dicenda, quum amplius elevari non possunt costæ. Tum igitur pectoris lateribus extrorsum præssis, simulque eo toto, quod cedere potest, parenchymate videl. pneumonico, pleura, musculis, verbo, universo pectore pulso ad eandem exteriorem plagam, accidit Thoracis dilatatio: quæ cum

diu

diu perdurare nequeat, aereis moleculis nisu suo defunctis, costæ ac reliqua annexa natura ad contractilitatem disposita ad locum, unde emota fuerunt citra ullam resistentiam revertuntur, contractionem hanc nova postmodum subsequente dilatatione statim novus item aer irruens in expulsi locum ibidem iterum se expandit, & sic deinceps. Quæritur quo pacto in thoracis contractione, dum victus veluti ille aer, qui dilatationem ejus exciverat, inde egreditur, recens alius per eandem viam eo intrare valeat. Verum non eodem tempore hic ingreditur, quo ille egreditur; secus nulla foret contractio; sed tum ingreditur, quando illa jam absoluta est, & costæ introrsum tantum accesserunt, quantum pulsæ fuerant extrorsum per regulam alibi traditam, *corpora nempe elastica quo vehementius renituntur, eo etiam velocius sibi relicta resiliunt, validiusque percutiunt.* Post prioris ergo aeris egressum subintrat posterior; & hinc expiratio tardius perficitur inspiratione.

Comitatur motum pectoris motus pariter diaphragmatis, sed XII. inverso modo, ita nempe, ut dum illud elevatur, hoc deprimatur, & e converso. Si Mechanicorum placitis hærendum foret, causa motus ejusdem diaphragmatis quæri deberet in structura ipsius firma ex plurium ordinum & diversæ naturæ fibris composita, cujusmodi est etiam duræ meningis fabrica; & sic ex illorum doctrina ut ista cor cerebri, ita diaphragma, cor, aut ad minimum meninx abdominis salutandum esset: atquandoquidem principium motus a conformatione non est, ut supra artic. 7. fuit demonstratum; hinc motum diaphragmatis aliunde petimus, nempe ex aere; qui pectus ingressus dum se extendit istud concamerat, i. e. costas partesque annexas elevat; diaphragma vero deprimit unaque simul ventriculum, intestina & reliqua in abdomine contenta: cum autem exit, ista sibi relinquit, adeo ut deficiente resistentia tam ex parte aeris, quam diaphragmatis, eadem viscera sursum assurgant. Sunt enim elastica, & omne corpus elasticum elastico oppositum nunquam, nisi in loco æquilibratæ deductionis a centro quietis quiescit. Quamobrem resiliendo & tantum, quantum pressa fuerant, premendo diaphragma cogunt in thoracis cavitatem; unde istius elevatio.

Sed

XIII. Sed ventriculo & intestinis ascendentibus in diaphragmatis elevatione, musculi abdominis, simulque totum id, quod iis adhæret, peritonæon scilicet atque externa integumenta introrsum tendunt eo velocius atque validius, quo magis antea in ejusdem diaphragmatis depressione per eorundem intestinorum concidentiam extrorsum fuerant adacti. Nulla igitur his musculis inest propria vis ad se movendum, sed adducuntur & reducuntur vi intestinorum immediate, mediate vero per diaphragma, quod dictum est obsequi aeri influo & refluo e thorace: id quod & de musculis pectoralibus venit adnotandum. Eo propter fidem nullam promæretur *Pitcarnius*, quando tantum roboris affingit dictis musculis, ut ex eorum & diaphragmatis simultaneo concursu, & alterna compressione fiat quædam quasi pistillatio ciborum in ventriculo, cujus ratione illorum digestio & in chylum mutatio sequatur. Musculi namque abdominis in depressione non reflectunt supra stomachum, sed supra intestina; & ratio quam is adducit *ex Borell. prop.* 126. desumpta, potentiam nempe flexoris pollicis æquare libras 3720. non militet in nostro casu, ubi sermo est de instrumentali potentia, quæ nullam proportionem dicit cum animali. Conferatur etiam ***Lister de Humor.*** c. 17. & alibi, itemque ex Recentioribus alii passim; quorum argumenta adversus dictam ciborum attritionem fortassis attingentur infra. Quæres hic ergo tantum, quamobrem motus abdominis synchronus sit motui thoracis? sed responsio patet ex dictis. Dum enim ventriculus & intestina ad superiora vehuntur, diaphragma ascendit in thoracem. Deficit ergo hic aeris renisus propter expirationem; & hinc constringitur uterque venter; dum e contra diaphragmate in abdomen descendente, pro ut fit in inspiratione uterque ampliatur, thorax ob aeris nisum, abdomen ob nisum intestinorum.

XIV. Potius igitur, si Pitcarnii sententiæ de vi compressiva diaphragmatis & musculorum abdominis adhærendum sit, augurarer ex ea causam motus non pistillatorii in ventriculo, sed peristaltici intestinorum. Longitudinales quippe istorum fibræ, a ventriculo ad anum usque protensæ, quæ tunicam illorum musculosam magna ex parte constituunt, ut intestina a diaphragmate depressa sunt, nequeunt non contrahi propter præssuram, & pro-

propter extensilitatem iterum assurgere cessante eadem pressura, quo fit ut ex alterna hujusmodi contractione & extensione motus in intestinis excitetur ille, qui vermicularis audit, vel peristalticus, tunc tamen maxime conspicabilis, quando existunt in illis corpora annulares tunicæ ejusdem musculosæ utpote viciniores fibras prementia; nam ex istarum cum longitudinalibus mutua pressione intestinorum corrugationes tum fiunt manifestæ. Quo circa de hoc, nec non de motu Gulæ, qui similiter circumpressorio, sive peristaltico modo se habet, alibi opportunior dabitur loquendi occasio, loco nimirum de ciborum in ventriculum & chyli in lacteas protrusione.

Restat itaque, ut colligamus vitales omnes motus esse reci- XV.
procos ex alterna se moventium potentiarum extensione & contractione pendentes, quarum aliæ nituntur, aliæ renituntur. Nituntur sanguinis globuli inflati respectu motuum primariorum, aereæ autem moleculæ respectu secundariorum: renituntur ubique fibræ; & sic hæ passive se habent, illæ vero activæ, nisi, quatenus ab anima & aliunde moti sunt (vid. dicta de motu elementorum) & quælibet materia, ut materia est, ab alio movetur, catenus sanguis & aer passive pariter se habere dicendum est.

ASSERTIO VI.

Explicantur Functiones a motibus reciprocis præfatis provenientes.

FUnctiones sunt actiones, quæ consequuntur motus vel me- I.
diate vel immediate; mediate ut circulatio sanguinis, quæ supponit cordis motum; immediate, ut inflatio globulorum, quæ est causa ejusdem motus, & quæ tamen ab anima fit. Erunt itaque prioris generis functiones omnes vitales, quæ consequuntur reciprocos motus a motu animæ inspirativo dicto pendentes; posteriores vero animales, utpote motus animæ insequentes; Sed istarum encheiresim, missa inspiratione (quæ insequitur actum creationis, seu divinæ inspirationis, quamque agnovimus esse causam principalem motuum reciprocorum *ex Asser. 3.*) exhibebimus *in seq. Parte*: de functionibus autem vitalibus, quæ a mo-

N ti-

tibus reciprocis, ut dictum est, oriuntur, agemus impræsens. Nec vero disputo utrum vitales appellari debeant hæ functiones, an naturales. Neminem quippe fugit, quod juxta naturæ ordinem procedit, naturale esse, & quod præter hunc ordinem fit, esse præternaturale; proindeque animales functiones, quæ secundum naturam operantur, æque naturales esse, ac vitales, quæ fiunt secundum naturam; nullamque idcirco esse distinctionem functionum in naturales, vitales & animales. Quod si nihilominus id nominis retinere placet, adeo ut pro naturalibus habendæ sint, quæ abdomini & ventri inferiori attribuntur, ut sunt nutritio prima & generatio, non repugno; nam & istæ sunt juxta naturæ ordinem. Sed sufficiat meam in hoc passu mentem aperuisse.

II. Utque a primariis incipiamus, quæ nempe functiones a reciprocis motibus primariis proficiscuntur, offert sese nobis ante alias Circulatio sanguinis. Quid sit hic circulus pauci ignorant: est nimirum fluxus sive itus sanguinis a corde ad partes per arterias, ejusdemque reditus a partibus ad cor per venas; quæ jam vero sit proxima ejusdem causa, mea quidem sententia adhuc latet. Volunt nimirum omnes systole ventriculorum cordis esse tale efficiens immediatum dicti circuli; ac si videl. illorum motus tanquam causa proxima motus arteriarum sit quoque causa proxima motus sanguinis. Sed motum ventriculorum non esse causam motus arteriarum *in superioribus* sufficienter declaratum fuit; sponte idcirco sua corruit ea opinio; nec sanguinis projectio ad partes systole ventriculorum cordis agnoscit authorem, sed arteriarum, aortæ scilicet in majore circulo, & arteriæ pulmonalis in minore. Dubitatum est deinde num contractio trunci sola sufficiat ad propellendum sanguinem usque ad arteriarum extremitates; an præterea requiratur in arteriis motus quidem peristalticus, cujus beneficio idem illuc promoveatur. Sed cum pateat arteriosos tubos esse conicos, vel conici similes, patet etiam exosculari se non posse trunci parietes in systole, quin per eandem contractionem parietes quoque extremitatum accedant ad se invicem: dari proinde motum illum peristalticum, sive compressivum tanquam fibrosorum corporum & elasticorum proprium in arteriis, & in hoc una cum dilatatione trunci ipsarum consi-

ſtere pulſum arteriarum: utrum vero hic pulſus inſerviat ſanguinis protruſioni, quis non videt, cum natura nihil fruſtra faciat. Quid? quod compreſſivam hanc ſeu impulſivam vim arteriis non modo denegarunt, ſed viciſſim tantum etiam cordis ventriculis conceſſerunt Phyſiologi, ut ex ea ſola crediderint ſanguinem ab eorum alterutro ad alterum transferri, ita ut motus ſanguinis per venas ab illorum ſyſtole unice habeatur. Verum ex quacumque demum parte ſanguini communicetur ea impreſſio, non crediderim illum ad cor revehi mediante hoc ſolo impetu poſſe: quippe cum in arteriarum finibus & initiis venarum conſtitutus idem nequit ex ſucceſſiva preſſione ita dirigi ut venarum ſuperet anguſtias, ſimulque tali cum vehementia redeat per venas, qualis interdum in iſtarum ſectione adnotatur. Inſuper falſum eſt ſanguineos globulos ſe mutuo inſequi per lineam rectam, cum e contra ſpanſi atque in diverſa palentes nullo non tempore conſpiciantur; ne dicam illos non tam ſphæricos eſſe, quam lubricos, adeoque mutuo ſe tangere in eodem puncto continuo non poſſe. Dato igitur utcumque eo impulſu in arteriarum venarumque capillaribus, poteruntne illi mutuo ſe præmere & ſucceſſive ſe impellere? non, ſed alii deſtrorſum, alii ſiniſtrorſum &c. tendent, & ita ſinus venoſos, aut ſi mavis poros partium farcient, opplebunt potius, quam ut ſe mutuo impellant; quare aliunde, quam ex putatitia illa cordis impreſſione repetenda eſt cauſa reditus ſanguinis ad idem cor. Tu vero, inquies, quam cauſam adſtrues ejuſmodi remigrationis? tuamne inflationem animalem? Reſp. nec adeo contemnendam eſſe hanc cauſam; Siquidem compertum factum fuit *Aſſer.* 3. quod ſanguis primitus ab anima movetur; quid vero ſi ab ipſa anima in circulum ſe moveret, juxta illud *Eccleſiaſt.* c. 1. v. 6. *pergit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur?* Nonne ab illa ſanguis quoque in circulum moveretur? Sed diſtinguo inter motum animationis, & motum projectionis. Motum animationis, i. e. inſpirationis ab illa pendet, non projectionis: & ſic circulatio ſanguinis non eſt ſub ejuſdem animæ poteſtate, quemadmodum ſunt voluntarii motus. His itaque relictis dico, aſcenſionem ſanguinis ad cor fieri mediante diaſtole auricularum, & ſucceſſive ventriculorum cordis, utpote per quam ſanguis trahitur per venas ad

idem cor. Non est necesse hic repetere similitudinem omnibus notam, quam præsefert cor cum anthliis; utque istæ per dilatationem aerem absorbeant, vel aquam: nec multo magis refert an ea tractio ad fugam vacui referenda sit, an ad defectum restibilium corporum in dictis cavitatibus; hoc tantum scio, quod cum ad implendas illas plures unciæ sanguinis requirantur, eo tamen nonnisi aliquot illius drachmæ transeunt; cæterum nihil aliud ibidem inveniri, quod aliorum corporum adventui resistat. Quo posito nonne ipsa sola aeris corpus ambientis præssura sufficeret ad cogendum sanguinem ad cor? prout docent, qui suctionis hodie mechanica præcepta tradunt. Nimirum idem est de auricula & ventriculo unius lateris cordis, quemadmodum de ore & pectore in homine. Ut enim clausis labiis, cavitatibusque his oris & pectoris ampliatis aer aut aliud liquidum attrahitur sive absorbetur per compulsionem aeris ambientis ipsum fluidum; ita & sanguis a corde, siquidem & in hoc diastoles tempore clauditur, seu solito magis constringitur orificium auriculæ, bursula vero ejusdem dilatatur &c. Et quoniam suctoria non modo anthlia, sed & pressoria est utraque cordis pars, hinc nec semper sugit, nec semper pellit utraque, sed distinctis momentis nunc sugit nunc pellit. Quo circa ne tempore pulsionis sanguis ad certum usque spatium aut lineam per tractionem elevatus in venis iterum concideret, dispositæ fuerunt in cava descendente quædam valvulæ, quæ eidem fulcri loco essent in dicta systolæ, quoad in diastole denuo resumatur, altiusque trahatur: ejusmodi mechanice observare est desuper in lymphaticis & lacteis, ut quæ istorum liquidorum sustentationi inservit dicto tempore impulsionis sanguinis ex dextra auricula. Dicta vero concidentia cum non sit metuenda ex parte venæ cavæ descendentis, sive superioris, opus haud fuit illis valvulis in hac vena.

III. Altera, imo primaria motuum cordis actio est sanguificatio. Hæc namque motui auricularum & ventriculorum ipsius cordis soli debetur proprie considerata, improprie etiam motui pulmonum. Quare nos quoque bifariam dividimus sanguificationem; in propriam, quæ est chylosorum, in sanguineos globulos conversio; & impropriam, quæ est horum a naturali figura & mole defficientium instauratio; in sanguinis confectionem, inquam,

&

& refectionem. De priori cum ſermo eſt, dixi modo materiam hæmatoſeos eſſe globuloſam portionem; addo non tantum chyli in jam natis, ſed & in ſucco matris nutritio, & in ovi colliquamento in nondum natis; lympha enim, ſerum & reliqua illorum ingredientia ad talem converſionem non ſunt apta, cum nimirum nequeant mutari in globulos purpureos quos unice intendit hæmatoſis. Quærendum ergo inprimis quamobrem contingat hæc mutatio. Non me latet, qui in hoc argumento verſantur, ad ſolam reſpicere caloris mutationem ac ſi nempe in hac tota ſiſtatur hæmatoſeos encheireſis; verum non tam calore; quam ſubſtantia globuli ſanguinei a chyloſis, nutritiis & colliquamentoſis multum variant. Hi enim ſimplices, illi duplices, triplices, in adultis etiam ſextuplices perhibentur, ita nempe ut eorum unus ſex alios in ſe complectatur; docente hoc præter obſervatorum inſpectionem eorundem ſanguineorum globulorum pondere ſeu gravitate, propter quam ad ima deſcendere & in craſſamentum coire ſpectantur e cunis educti, dum ex alia parte lactei aut chyloſi globuli ſero ubique æqualiter innatant. Sed nec ego propterea modum, quo ii globuli conficiuntur, explicare præſumo; quatenus nec ſenſibus quicquam hujus patet, nec de illo apud alios quidquam ſcriptum invenio; meras itaque conjecturas ut in hoc negotio uſurpem cogor. Et primo tamen non eſt deneganda cordis actio illa compreſſiva; quam dictum eſt reſpicere ſanguineorum globulorum expulſionem ab ejus cavitatibus. Oſtendit inſuper autopſia trabeculas, columnas, funiculos vibrantes, nec non ſulcos foſſulaſve ibidem ubique inſculptas pauciores quidem minuſque profundas in auricula dextra, numeroſiores magiſque cavas in ventriculo ejuſdem lateris, magis adhuc in auricula ſiniſtra, & maxime omnium in ventriculo pariter ſiniſtro. Hujus itaque artificii ac mechaniſmi uſus ſi quæratur, non alium ego aſſignare auderem, niſi ut in conſtrictione talium ſpecuum firmiores quidem ſanguinis globuli alias laxi utpote e longinquo, ubi plurimum fuerunt difformati, reduces obſtipentur, ſarciantur, & ad rotunditatem priſtinam reducantur; chyloſi vero, qui in circulo velut excocti fuerint in alios laxiores inducantur, aſſocientur, veſtiantur, inque graviores globulos, nempe in ſanguineos effingantur. Novit hanc piſtilla-

stillationem cordis jampridem *Cokburn. Œconom. animal.* p. m. 37. & *Robaultius* ex eo cor proinde non aliter fere concurrere ad sanguificationem asseruit *Physs.* P. 4. c. 21. quam stipes pistoris ad pastæ confectionem; verum neuter exposuit genuinum illius usum, i. e. sanguineorum globulorum confectionem; quam postea tamen observavit *Lister de humor. c.* 37. & gradualem quoque fecit. Verba ejus sunt sequentia: scil. *Hæc fluida jam parum unita ubi primum cordis limina subeunt, nempe auriculam ejus dextram, leniter rursus constringuntur, quod ejus magna capacitas laxitasque indicat: dexter autem ejus ventriculus illa excipit, quo fortiorem pressuram patiuntur; indeque ejecta per pulmones, latiusculum orbem circumlata, chyli amplius & magnum dispendium in pulmonum glandulis fit; mox in auriculam sinistram per venam remissa levem iterum compressionem sentiunt, & in sinistro tandem ventriculo recepta validissimam perferunt compressionem.* Et quamvis globulorum sanguineorum perfectionem concernere videatur hæc compressio potius, quam confectionem; si nihilominus postea respiciamus ad chylosos globulos partim in circulatione per orbem sanguinis jam excoctos, partim proxime, aut nondum tales; insuperque ad conformationem organicam quatuor omnino cordis cavitatum; facile deveniemus in cognitionem, qualiter ii vel carminati, vel dilatati sese invicem inducere aut obvolvere valeant, sicque facessere in substantiam sanguinis globulosam, in qua transformatione vera & propria, ut dicebamus hæmatoseos ratio consistit.

IV. Nam quod colorem attinet rubicundum, quo sic confecti illi globuli, nempe chylosi pedetentim in sanguineos mutati finguntur, quaque in mutatione essentiam hæmatoseos dictum est a Physiologis fuisse collocatam, linquo illorum opiniones, qui nunc a bile admixta ejusmodi colorem oriri autumant; nunc ex eo, quod oleosa & sulphurea concreta, qualis est chylus, digestionis menstruorumque convenientium ope facile rutilescant. Haud etenim controvertendum est, quod ipsum ovi colliquamentum statim atque egreditur e puncto saliente, inque aortam abit tali purpura vestitum apparere; quod tale punctum *Harvæo* punctum rubrum est, *Coitero* sanguineus globulus; quodque demum dantur alii tuberculi in corporibus cum humanis tum beluinis rubri, nigri,

flavi

flavi &c. per quos humor plerumque lymphaticus transiens illorum subit colorationem. Vid. *Differt. Anatom. Jac. Ver. Arch. Ped. de Gland. Œsoph. sect.* 1. *art.* 20. 21. Quid ergo hanc aliunde auguramur in sanguine? Nonne ipsum cor comprimendo in suis surculis illius globulos potest illius globulos purpura sua inficere, ut revera eosdem infici ex præfatis observationibus apparet? Sed non sunt glandulæ, inquis, in corde, a quibus talis fucus elaboretur, nec ulla in visceribus dantur insita fermenta. Verum non est nostra hoc loco disceptare circa usum glandularum. Structura certe istarum nihil præstat activi; tantum vel moram fluidorum, vel separationem certarum particularum ab aliis: quamobrem ab illa talis color non est expectandus; An igitur a fermento glandulis implantato? Minus de hoc dubito; Ut enim adfuit in cicatricula & fœtus idolo certa partium dispositio, conjicere fas est existere quoque potuisse in iis certum aliquod fermentum ad varios usus destinatum: etsi hoc, potuitne implantari istud in corde æque ac in cæteris visceribus, atque glandulis? Absit nihilominus, ut ex hac conjectura mea conjiciat alter ponere me in corde specificum aliquod fermentum a cujus contactu color & consistentia sanguinis oriatur, quemadmodum *Helmont. Tract. Spir. Vitæ septuplex digestio. Blas. humanum, Backius Tr. de corde Hogeland. Tract. de Flammula cordis Ettmuler. Instit. Medico Phys, aliique censuerunt.* Distinximus enim a principio consistentiam de qua *art. super.* a colore, de quo nunc agitur; adeoque posuimus discrimen inter sanguificationem & sanguinis rubificationem. Quis enim afferat tincturam tanquam accidens constituere substantiam. Longe propterea distamus ab illorum opinione, & cum dicimus ex pressura cordis globulos sive chylosos, sive alios tingi in colorem rubicundum, non ideo hoc dicimus, quod a tali colore & cordis actione ii vertantur in globulos cruentos. Observa itaque disparitatem; & quod calorem, si autopsiam iterum consulas, videbis cor pueri E. g. longe interiori rubore nitescere, quam cor senis; utque in reliquis visceribus, ita in corde fucum illum cum tempore languore. Objicies iterum ovi colliquamentum quo propius accedit ad cor per venam umbilicalem, eo magis flavescere, constareque ex observatis *Elsneri Zypæi* &c. chylum

ipsum-

ipsumque panem masticatum per se ad rubedinem satis esse dispositum. Resp. non loqui nos de evanido fugacique rubore, quem alba quæque corpora inducere apta sunt, sed de intenso & constanti, qualem sibi vendicat sanguis: qui cum non alibi, quam in arteriis adnotetur, manifestum est ex vi cordis compressiva sola illi fuisse communicatum. Talis itaque dispositio per se non sufficit, sed aliud quid præterea requiritur, esset utcunque illud ad instar granuli coccionillæ E. g. quod teste *Boyleo* visum est colorem suum quamvis valde languidum sex vitris aqua repletis impertivisse, quorum singuli quadraginta sex uncias & dimidium circiter continebant. Verum de colore satis.

IV. Illud item in sanguine considerari mæretur, unde fiat, ut pristini refecti, vel chylosi recens in sanguineos concreti globuli reddantur elastici? Elasticitas enim hæc, nisi experientiæ aperte contradicere velimus, iisdem globulis non est deneganda; dum vel ex hoc solo, quod rubrum sanguinis crassamentum minimos vasculorum recessus inire posse vix credibile est citra ejusmodi globulorum (ex quibus idem constat) oblungationem & contractilitatem, illius necessitas evidenter patet. Quorsum igitur hæc proprietas? At non fugit peritiores aerem non contactu mediato, i. e. interveniente pulmonum & vasorum substantia potentiam suam in sanguinem exserere, sed immediate per suam cum ipso sanguine commistionem; quod probatur ex eo, quod purpureus & spumescens magis inde profluit; nigricans qui pulmones influxerat; & præterea, quia sive manu, sive instrumento aliquo agitetur sanguis, in spumam elevatur; Secus tamen, quam ut ex his phænomenis deducant a tali aereæ substantiæ commistionem sanguinem, seu ejus globulos evadere elasticos, concludunt potius illum fieri vesciculosum, scilicet ad vesciculosam figuram evehi intra pulmones: ac si nimirum hanc non recepissent ex corde, ubi globulorum confectionem fieri supra declaratum est. Sed quidquid sit de istiusmodi consequutione, quæ certe vera est, si ponatur globulos sanguineos aere velut in vesciculas inflari in pulmonibus, haud hærendum est, quin sic inflati ii sint elastici. Atque ab hac porro sanguinis aereatione dependet ejus elasticitas, & per consequens ulterior ejusdem vel refectio, vel perfectio relate ad globulos, qui dudum aut nuper fuerint confecti.

fecti. Notificatum enim fuit supra sanguinem e partibus reducem ad cor, siquidem ingentes plurimasque præssuras sustinere debuit in transitu præsertim per angustias tubulorum capillarium, proindeque sphæricitatem suam amittere, ac fatiscere; institutam idcirco fuisse circulationem, ut qui talia passi fuerint globuli cordis beneficio postea gradualiter resarcirentur, & in pulmonibus subinde elateri pristino restituerentur, donec tandem in auricula & ventriculo sinistro molem, figuram, integritatemque pristinam recuperarent; noviter autem confecti debitam quoque aquirerent perfectionem. Dices aerem ultra intimam bronchiorum tunicam non pervadere, ac per consequens nec sanguinem afficere, nec pulmones præterire contra quod posuimus *art. 2. præcedent.* Resp. quoad sanguinem, aliud monere ipsius spumositatem splendidanque albedinem, quam dictum est in agitato eodem, nempe sanguine, observari; & quod illius transitum in thoracis cavitatem, res est manifesta. Nam thorace caute perforato, ne pulmo lædatur, flatus sive aer per vulnus evidenter exit, id quod confirmat ibi positam opinionem.

Major difficultas stat in hoc, quod aer non videtur esse unicum elateris in sanguine principium; dum in utero, ubi fœtus non respirat, sanguis tamen ejus non abstinet ab iis muniis quæ sibi jam aereato conceduntur. Vel igitur est superflua respiratio, vel si quæ utilitas ab ipsa expectanda est, collocari non debet in eo, quod aer sanguini suum tribuat elaterem. Tollitur tamen penitus hæc difficultas, si distinguamus inter sanguinem, qui nondum eget refici, & illum qui postulat refectionem. In fœtu adhuc immaturo sanguis tenellus pares ubique inveniens resistentias, non indiget majori elaterismo, quam qui ab anima inspirativo principio ipsi largitus a matre mutuatus, aut e compage sua contractus fuerit, de quo non disputo; sed in jam nato, quia majores ex parte cordis aliorumque viscerum adsunt resistentiæ, requiritur etiam in sanguine major energia & nisus ab aereis moleculis tanquam subsidiariis copiis idcirco præstolandus. Vires quippe & velocitates sunt inter reciproce proportionales, & hinc respiratio in isto; nempe jam nato fœtu necessaria est, in illo nequaquam. Illud itaque pro inverisimili duntaxat haberi debet, quod aer unumquemque glo- V.

bulum cruentum singulatim penetrare valeat absque quod ab invicem divisi sint, eorumque pelliculæ seu interiores vesciculæ ad illum recipiendum sint dispositæ: utpote cum aer utrumque hoc præstare nequeat, multoque minus ipsa arteriolarum in pulmonibus structura. Quamobrem exigitur ad hoc aliquod aliud principium, a quo iidem globuli in divisibilitate quadam & inflatione continenantur. Hoc & pridem & nuper novimus & nos esse animam, cujus inspiratione mediante singuli eorum ab invicem divisi sunt, & propelluntur animati, seu quodammodo inflati; tuemurque idcirco sanguinem tam refectum quam perfectum ejus actionis esse participem Confer. *Assert*. 3. vitamque porro hinc in sanguinis consistentia, inde vero in proportionali turgescentia & energia consistere. Huic conjecturæ non parum favere videtur, quæ circa virium disparitatem pro sanguinis consistentia dispari annotare solent Practici; mediocrem nempe illis conservandis ministrari, spissitudinem vero æque ac fluiditatem nimiam earum perpetrationi & potentiæ maxime obesse. Cum enim, quod vires vulgo dicimus, nihil aliud, quam turgescentia hæc vitalis sit, quæ si potentior, illas plures & integras; si remissior, vacillantes ac deficientes, vocamus: sive sanguinis resistentia fuerit major; sive minor, utraque ratione micatio seu oscillatio illa vitalis turbatur, i. e. vita & vires paribus passibus ambulant. Sunt verba *Bohnii Progymn*. 4. *de Principio vitali*.

VI. Quærit deinde hic Auctor, quomodo vita partibus etiam solidis communicetur, & exinde totum compositum vivat. Sic enim is: *Interim sicut non sanguis tantum, sed machina potius solidioris gratia motum illius contingere, ex superioribus repeti potest; ita dum a cordis vibratione per arterias sanguis turgescentia hoc vitali instructus omnibus membris impellitur, vitam ac inde hæc participant*, i. e. *ad motus varios apta redduntur. De qua participandi ratione neminem quidem scriptorum sollicitum, omnes vero in effectus veritate aquiescentes observo: quod si vero suspicioni locus, nec hæc in caloris influxu quærenda, prout quidam hactenus nobis obtrusum fuit, cum animalium nonnullorum carnes totamque substantiam solidam, piscium* V. g. *& serpentum, æque ac fluidam, gelidam sensus evin-*

evincat; sed stimulum potius magis apposite vitam hanc communicatam seu influam appellare licebit, quo cunctæ partes ad motus vitales præstandos continuo & intrinsece irritantur, licet impetus & vim movendi aliunde, scilicet a cerebro & genere nervoso petant. Non sufficit ergo ipsi (& quidem merito) sanguinis ex aere turgescentia: sed requiritur insuper stimulus, ille nempe impetus, qui ab anima, vitæ spiraculo, uti dicebamus, dependet. Revera namque motus vitales non concipiendi veniunt hoc loco, qui nobis reciproci tantum audiunt; sed quotquot etiam sensui & motui inserviunt animali. Quamobrem stimulus quoque ille de præsentia & activitate Animæ in sanguinem intelligendus est, ut qui sanguis elasticitatem, sensum & parem sequens vitam impertit membris, quemadmodum ostendetur loco de Sensu.

Colligitur interea minorem circulum ad elaterem sanguini conciliandum institutum esse; quid deinde transigatur in majori, nunc operiendum venit. Et primo certum est in projectitio motu, qui fit per contractionem trunci aortæ, cruentos globulos in spatium latum utpote transilientes magnifice expandi hinc inde, & partim carotides ingressi versus superiorem plagam, partim vero alias arterias versus inferiora non rectas in his lineas, sed transversas describere; in quantum quod ob summam elasticitatem dum ad unum latus percutiunt emicant, & ad aliud reflectunt, & sic deiceps, donec ubi ad arteriolarum angustias devenerint, defectu spatii, & pristinæ, quam possidebant, elasticitatis se mutuo duntaxat urgeant. Quippe ex illa ad opposita latera percussione dum sibi invicem recurrunt ii, seque intersecant, multum quoque de elatere suo amittunt, inque diversas inter se tendentias aquirunt, prout oblique, recte, majori aut minori cum impetu sese adinvicem percusserint. Testem hujus motus, intestini imposterum appellandi iterum advoco laudatum *Bohnium loc. cit.* qui ipsius existentiam probat his argumentis: quatenus nempe primo sanguinis massa ex variis diversæ texturæ & gravitatis moleculis coagmentatur; quas ut ut motu cordis (potius arteriarum. Tribuerat namque arteriis etiam suum peculiarem motum, *Progymn. 6.* his verbis: *Neque tamen arteriis omnis renitentia denegari, hinc* VII.

si non pulsus, ad minimum vis constrictoria, concedi debet, quæ earum fibræ musculosæ multiplici serie congestæ sanguinem ad spatiola usque partium exprimant seu expellant, ut accurate a Borello demonstratum fuit.) simul omnes versus eandem plagam abripiantur, diversis nihilominus ad & a se invicem tendentiis gaudere præter experientiam ratio suadet: dum non tantum globuli tanquam partes magis compositæ & sensibiliores portionem ejus rubicundam constituentes, quandiu hæc fluxum naturalem retinet, modo sursum, modo deorsum, modo ad hæc, vel illa latera feruntur, prout quidem per microscopia cernere licet; sed simplicissimas quoque & sensus nostros fugientes, particulas scilicet pingues, salinas, aqueas, terreas, ex quibus fluidum hoc coagmentari non improbabile est diversos suos impetus & motus babent; Deinde varietatem sanguinis partium harumque varios motus ac tendentias evincunt dispares adeo liquores, quos in animalis diversis colatoriis separari, & ex fonte hoc depromi experientia edocti novimus; utpote quorum heterogeneitatem, secessus, sine sui evolutione & motu intrinseco nec concipere quidem nobis possumus. Quibus denique accedit aeris activitas, quam nunquam non experimur fluidum hoc nostrum universale, quamque alias solidiora & compactiora corpora exagitare & commovere variis phænomenis contra Adversarios morosos (si tales augurarer) probare possem. Hactenus ille.

VIII. Effectus jam vero hujus intestini motus in sanguine calor est. Hunc ego non a fermentatione aut effervescentia aliqua in sanguine naturaliter se habente vix admittenda censeo derivandum; sed a præfata partium rubicundarum compressione & collisione, nec non ab aliarum, præcipue salinarum exinde proveniente affrictu atque attritione. Rubicundæ namque illæ vesciculæ haud concipiendæ sunt, ut aqueæ similesve moleculæ, quæ quomodocunque seu motæ, sive agitatæ nunquam incalescunt, sed ut solidiusculæ ac ponderosæ. Harum igitur qualitatum ratione ac summæ velocitatis, dum ad cordis & arteriarum parietes atque ad se invicem nullo non tempore impingunt, calorem non adsciscere atque inducere nequeunt; docentibus hoc *Democrito*, *Epicuro*; & cæteris atomorum assertoribus; dum volunt atomos caloris esse debere mole exiles, figura rotundos,

mo-

motu celeres: quibus si adjungantur insuper percussio & attritio non video cur in nostro casu desint requisita ad calorem tam excitandum, quam fovendum. Fovent autem illum pingues & oleosæ partes concursu globulorum interceptæ aliæque minus flexiles, i. e. salinæ, quæ ita pariter compressæ dissociantur & in fragmenta dissiliunt novam occursu, affectu, aut attritu mutuo caloris causam præbentia. Ut quid ergo istum ab aere, spiritibus, aut ingredientium sanguinis naturalium fermentatione accersimur? Non ero prolixus in his confutandis opinionibus, utpote quas (duas nimirum posteriores) doctissimi alii funditus jamdudum supplantarunt: Nam si aer ibi suum exerit elaterem, ubi calor est; & hoc defficiente idem non se exaltat; dicendum venit, quod calor sit potius causa expansionis aeris, quam quod aer sit causa caloris; & præterea expansio illa calorem non dat, sed vires tantum; per quas sanguis intrinsece moveatur, h. e. solam suppetit elasticitatem. Exemplo sit succus per arterias maternas devolutus ad fœtum utero inclusum: Ejus globuli antea in transitu per pulmones aereati elaterem suum adhuc servant in eodem fœtu; an ideo tamen putandum est talem elaterem esse ipsum calidum, & quod calor in aeris elatere consistat? Non, quia vis elastica est vis expandens globulos, non calefaciens. Res est evidens.

Quare transeo ad alterum effectum prædicti motus intestini, quem IX. ego colloco in humorum generatione. Vidimus quippe modo conteri, frangi, dividi, carpi & carminari per talem motum globulorum sanguinis reliqua ipsius ingredientia serum, lympham & salinam portionem; insuperque calefieri eadem atque effervescere per ipsum eumdem motum, contritionem, agitationem, conquassationem. Quid tum igitur? nisi ut chylosi globuli (materia namque illorum, scilicet ingredientium, imo & totius sanguinis, chylus est) seu vesciculæ chylosæ indurantur exinde & consistentiam firmiorem aquirant, pingues ac butyrosæ moleculæ partim abeant in floculos glutinosos; partim in viscidula seu lymphatica filamenta; serosæ item a suis involucris liberentur; & caseosæ demum in salia & terrestres particulas effingantur. Hinc itaque Humorum ortus, qui sunt vel primarii, vel secundarii; primarii, ut sanguis proprie dictus, seu globulosa substantia, serum, lympha,

talia:

ſalia : ſecundarii , ut ſuccus nutritius, bilis, & reliqua recrementa: illi ſanguinem in genere conſtituunt, ejuſque elementa idcirco vocantur ; hi ex prioribus tamquam mixta ſecedunt. Mutantur enim illa per continuas chyli per orbem ſanguinis circumlationes ; dum nimirum eorum alia antea calefacta mox elixantur, aut torrefiunt, aut denique in minima evaneſcunt ; alia antiqua depoſita novam figuram acquirunt &c. corde interim, quæ ſphæricitatis capaces ſunt, moleculas, ſeu veſiculas in cruentos globulos cooptante. Hæc mutatio Priſcis concoctio dicta eſt ſecunda ad differentiam primæ, qua alimenta in ventriculo vertuntur in chylum ; & naturaliter per gradus fit, pro ut ipſamet alimenta, nec non chylus recens in ſanguinis hoſpitium admiſſus illiſque per intervalla ſuffectus plures aut pauciores, fortiores aut debiliores in circulatoriis vaſis paſſi fuerint triturationes, diviſiones, coctiones & mixtiones, prout inſinuabamus.

X. Quod humores pertinet ſecundarios, qui nimirum ſecernuntur, vel excernuntur; prius quam in iſtorum geneſim inquiramus, libet iterum vias ſanguinis rimari. Significatum quippe duntaxat fuit *art.* 3. quatenus ejus globuloſa portio ubi promota eſt ad eos fines, ſive arteriarum ſurculos, qui illis excipiendis pares amplius non ſunt recta diverti in alios ſuo diametro æquales, ſcilicet in ſinus venoſos ; ibidemque dari tandiu controverſas venarum anaſtomoſes cum arteriis. Certe qui has negant, poroſque partium iis ſubſtituunt commiſſuris, ideo finxerunt tales poros, quod crediderint ſanguinem tota ſubſtantia nutrire; qua hallucinatione nulla poteſt eſſe craſſior, dum ponderoſæ, ſphericæ & pelliculoſæ veſiculæ nullum præbent corpori nutrimentum juxta ſaniorum Phyſiologorum ſententiam, & ex alia parte iis duntaxat uſibus dicatæ ſunt, quos docuimus, ad motus videlicet reciprocis in organis vitalibus, & in arteriis inſertos ad inteſtinum illum excitandum, de quo egimus paulo ſupra. Objicies cruentos globulos eſſe adeo puſillos, ut qua & quocunque permeare valeant; ergo & extremos ramulos arteriarum, adeoque falſum eſſe, quod propter diametri diſparitatem neceſſe habeant divertere tantum in majores cum venis, ut ſupponitur, communicantes. Reſp. differentiam ſanguinis arterioſi

teriosi a venoso, quoad molem, satis esse conspicuam: dum globuli aereo elatere perdito in venis subsidendo ad grumescentiam tendunt & massam nigricantem magis formant; intra pulmones sub respiratione denuo disjuncti ac magis distenti rubedine egregia splendent ac lympham sibi interfluam, quandiu per hanc agitantur, eadem ornant. Patet igitur ex hoc solo, quod arteriosi illi nempe globuli utpote aereati mole sunt majores, quam ut inducere valeant minimas arteriarum extremitates: proindeque quod neque extra orbem sanguinis expuuntur ab his; verum quod immediate excipiuntur a venosis finibus: tanta cum zelotypia illos conservante natura, ut ne ipsorum vel minimus e curriculo decidat. Instabis, sed si pori in partibus non existunt, non potest fieri appositio succi alibilis, in qua consistit nutritio. Ergo. Resp. nos non negare pororum, imo & intercapedinem in partibus existentiam quoad reliqua sanguinis ingredientia, sed quoad globulosam ejus partem tantum. Volumus nempe arteriarum finitiones esse diversi diametri, ita ut minimæ effluvia & vapores solum admittant; paulo grandiores serum tenue, aut succum nutritium; magis adhuc capaces serum crassum, sive lympham; & amplissimæ omnium dictam portionem globulosam. Hos igitur surculos eos esse dicimus, qui cum venis committuntur, non vero alios; & in tantum committi illos, in quantum quod ii globuli nullibi in corpore, naturaliter loquendo, vel secernuntur, vel excernuutur: id quod contingere non posset, si per poros partium transire deberent. Quo posito venio ad lympham aliosque humores secernibiles. Hi humores quo graviores aut leviores sunt, eo magis aut minus a sanguine subiguntur per motum suum intestinum; adeoque magis etiam aut minus eidem commiscentur. Omnium levissima, serosa, pinguisque aut butyrosa chyli portio, lac, nullo negotio adpellit, quo allicitur, puta ad mammas per suctionem; huncque adfertur mediantibus ramulis arteriosis minoribus cum ductibus lactiferis ibidem, in mammis, ad papillas usque continuatis. Ubi illud iterum adnotandum occurrit circa humorum secretionem, pelli ac devolvi istos mediantibus motibus arteriarum compressivo, & sanguinis intestino. Leviores itaque, i. e. subtiliores ac magis longiusculæ chyli moleculæ ta-

lium

in omnibus est homogeneæ naturæ, quì fieri posset, ut illæ adeo diversificarentur inter se, ut vel a canibus discerni possent, nisi forte peculiares in unoquoque hominum admittendæ sint fermentationes de eodem subjecto, scilicet chylo? Quod si e contrario ponatur ille concursus, ille motus intestinus, quemadmodum in singulis hominibus idem variat, ita ex varietate ista colligendum venit resultare exinde diversas exhalationes naturam animalis retinentes, & ideo tamquam hujus proprias a quocunque dignoscibiles. Et quod excretorios poros, quid opus glandulis in istis ad illarum separationem, si ab ipsis arteriis intra, extra, ubique desinentibus ubique foras ejiciuntur? Præterea ubi extremæ illæ arteriarum finitiones cum lymphæ ductibus minime tamen valvulosis, sed rectis communicant, humor illinc emissus ad tuberculos quosdam abit atros, gilvos, rubros, ibique eandem tincturam contrahit alibi adsportandum: ubi vero eædem hiant, nec cum aliis canaliculis committuntur, lympham quandam deponunt, ut in membranis œsophagi, ventriculi, intestinorum &c. ubi vero dehiscunt inter fibrarum angustias, ibi plus aut minus seri tenuis glutinosorumque staminum eructant, prout magis minusve exiles, magis aut minus fuerint angustatæ. Ac per hanc quidem succi hujusmodi viscidu li summeque excocti partium fit nutritio, quæ duplex est, vera, quæ cum molis incremento contingit; & notha, quæ humectationi ac distensioni partium organicarum tantum inservit. Quandiu namque parvula animalis junioris organa ex tenellulis atque exiguis staminibus congesta debitaque extensione destituta in fieri quasi adhuc sunt, eorum formationi mox parastata & comes individuus ac fidelissimus observatur nutritio, quæ singulorum illorum poris gelatinosam & ab harum substantia alienam massam infarcit non tantum; sed ipsorum staminibus congenerem quoque materiam, cambium alias dictum, apponit ac agglutinat, i. e. substantiæ propriæ particulas adhuc deficientes suggerit, hasque illis, quæ jam dum præsto sunt, combinat. Postquam vero tandem desideratam illam firmitudinem ac molem cuncta corporis membra contraxerunt, nihil his assimilari aut ulterius apponi potest; ac tum plane excoctus ille succus aliorsum flectens cedit in eos usus, quorum paulo supra men-

tionem fecimus, nimirum generationi: adeo ut perpetua succi nutritii elaboratio in arteriis, ut supra, facta perpetuæ generationis locum teneat, principio quidem proprii, mox vero corporis, imo corporum alienorum; quamobrem nutritionem cum generatione convenire non pauci dictitant: perinde quasi idem genere humor utrique actioni satisfaciat, succusque nutritius & semen nonnisi specie differant, quod nimirum ille immediate partibus apponatur, hoc propter morum in vasculis spermaticis fixum & fermentativum evadat. Moram, inquam; nam secus nullam video necessitatem ponendi in partibus sive glandulosis, sive alias parenchymatosis fermenta aliqua transmutativa ingenita & implantata, nisi fortasse, quæ ad colorem fluidis quibusdam impertiendum a natura ibidem sata fuerint, ut in corde ac tuberculis nonnullis passim in corpore existentibus, de quo colore supra *art.* 4. disputatum fuit; quæque fermenta nihilominus infectos humores substantialiter non transmutant. Et quamvis illic stagnantia, seu restitantia liquida menstruorum loco haberi possint; tamen ea minime sunt ingenita, sed adventitia & defectioni subjecta, ut in senibus, quando nutritius humor ad eas partes deferri desinit. Sed missis fermentis his innatis, quod superest de humoribus salivali, bilari, atrabilari, pancreatico &c. notum est horum alios præparationem subire antequam in suis receptaculis deponantur, alios non ita. Præparantur aliqui per moram & filtrationem in glandulis conglomeratis, parotidibus E. g. Œsophageis (Videatur *Dissert. Anat. Jac. Ver. Arch. Ped. de Gland. Œsophagi conglomeratis Humore vero digestivo* &c. An. 1711) capsulis atrabilaribus, renibus, atque hujusmodi aliis: quamobrem & hepar & splenem a munere quoque præparandi bilem non excludenda esse verisimiliter statuerem; dum sanguine in transitu per talia viscera calefacto, retento ac remorato, qui deinde per extremas cysticas propagines trascolat, succus in ductus hepaticum, cysticum, & cholidochum, nonnisi torridus, acris & amarus esse potest. Similiter in renibus, quo sanguis magno flumine fertur per emulgentes, quoniam hujus serum truditur in prope innumeras illarum desinentias, quæ deinde in substantiam eorundem viscerum tubulosam exonerantur, fit dicti seri copiosa secre-

cre-

cretio urinæ nomine, utpote quod id in pelvim & inde per ureteres ad vesicam decurrendo situm contrahat præsertim in vesica, ubi ob moram ejus salia evadunt magis fixa, sive lixiviosa. Verum quid opus multis? Ex dictis satis apparet humores omnes sobolem esse chyli magis vel minus circulati, adeoque magis minusve excocti, seu contriti aut conquassati per diversi diametri cappillaria a circulo exclusi, i.e. secreti, & nunc immediate, nunc mediantibus nonnullis excerniculis & colatoriis in certis quibusdam partibus emissi juxta fines a natura cuilibet præstitutos.

Hos inter, Functiones sunt tres insignes, Ciborum digestio, Chylificatio, & Generatio secundariis nihilominus accensendæ, quoniam ab humoribus secundi generis absolvuntur. Sed de ciborum digestione quod perficiatur admixtione liquidi subsalsi tempore deglutitionis e glandulis œsophageis destillantis in œsophagum, fuse ostenditur in *Differt. cit. Auth.* sub eodem titulo edita, ad quam propterea Lectorem remitto, illud nihilominus hic subjicere opportunum rati, quod alimenta per admixtionem fluidi digestivi solvuntur in ventriculo, adeoque transeunt in pultaceam materiam chymi nomine, nec tamen fermentantur, aut transmutantur. Hanc dissolutionem oculis ipsemet vidi; quum sectis, agninis pellibus ungulisque paraveram, famelicis canibus observavi deinde in ipsorum stomacho tales pelles atque ungulas per frusta ac tantum non integre devoratas abradi sensim atque abire in bullulas cum aliquali sibilo. Conf. *Differt. cit.* Extrahuntur itaque mediante digestorio menstruo & in fluorem vertuntur particulæ rotundæ ac flexiles; sicque a suis scoriis liberatæ una cum his pedetentim ejiciuntur per diaphragmatis pisturam extra eundem stomachum & per inferius orificium in intestina. Ex alterno quippe ascensu & diaphragmatis descensu leviores sursum elatæ veluti supernatantes tale orificium superare incipiunt, donec reliquæ magis magisque solutæ atque ejusmodi levitatem adeptæ similiter exturbentur. Non excludo etiam ab hoc munio attenuandi scilicet ac levitatem conciliandi solutis illis particulis tum aerem per œsophagum descendentem in ventriculum, ut qui chymosos globulos in bullas elevat; tum calorem ipsiusmet organi digestorii, XI.

P 2 ut

ut qui non tam activum magis reddit laudatum menstruum; quam solutas moleculas subtilizat &c. Quod Chylificationem; quo nomine indigitamus chyli a suis scoriis separationem; opus hoc indiget novo menstruo, quod nimirum chylosos globulos in ventriculo ab aere antea inflatos vindicet a fæculentiis quisquiliisve adhærentibus. Hujusmodi vero menstrum bilis est particulis prædita tam acribus, ut smegmatis instar se habeat respectu chyli; & ne forte in chylum paulo violentius agat, blando pancreatio succo, humoreque intestinali egeat contemperari. Hoc facto chylus numeris suis omnibus absolutus est, videturque nihil esse aliud, quam congeries particularum lactescentium & viscidularum ab humiditate oris atque œsophagi solutarum sive evolutarum, quæ huic ita combinantur, ut homogeneum equidem fluidum ostendant, tale tamen, quod ex globulis diaphanis per liquorem cristallinum agitatis microscopio armatis oculis compareat. Cætero ad chyli transitum in lacteas dum attendo, ab illis minime dissentio, qui villosam intestinorum crustam carthæ emporeticæ assimillant, per quam sincerus liquor penetrat, dum interea sordes ei commistæ transire prohibentur: quamobrem alvinæ fæces colorem utplurimum referunt assumptorum, ex quibus nempe chylus extructus est, hic vero albus continuo adnotatur; quoniam extractæ illæ scilicet moleculæ associando sese humori digestivo, per quem fuerunt solutæ, talem i. e. album colorem & non alium exhibere possunt; & præterea, quia globulorum ita elicitorum natura talis est, ut lucem reflectat ad albedinem, non vero ad alium colorem repræsentandum. Reliqua motum chyli concernentia peti possunt ex dictis de Cordis suctione. Huic suctioni si assensum nondum quis largitur suum causam doceat, cur aer, aqua, oleum, solida item corpora præsertim venenosa in alkool redacta & cuti affricta mortem inferant quandoque in sanguinem insinuata; quamobrem, inquam, huc pervadant? Nonne ad sanguineam crasim attemperandam, aut aliter invertendam instituimus balnea, fomenta, unctiones &c? Et si hoc in cute, cur idem non accidat in intestinis ubi venarum lactearum pori cutanei sunt patentiores? Sugitur ergo chylus ex intestinis mediante cordis diastole, quæ quia alterna est, ne idcirco in sy-
sto-

ftole ad inteftina denuo delaberetur idem appofitæ fuerunt a natura in dictis venis valvulæ femilunares, duplices; oppofitæ, a quibus talis refluxus retardetur tamdiu, donec redeat diaftole, prout nempe de ufu valvularum in lymphaticis & venofis ductibus alibi pronuntiatum fuit: dum vero fugitur, ita abforbetur, ut partes ejus leviores fluxilioresque in latus, ubi fuctio fit, venafque rapiantur, cæteris fubfidentibus tanquam fcoriis; quæ nihilominus in corrugatione inteftinorum intra plicas & valvulas retentæ ulterius velut exprimuntur, eumque fuccum exhibent vel chylofum vel ferofum; qui in lacteas adhuc rapi potis eft. Hinc itaque ad inteftina tenuia innumeræ, ad craffa pauciffimæ venæ lacteæ perhibentur. Expreffio aut ifta fit per motum periftalticum, qui primario confiftit in elevatione ac depreffione fibrarum longitudinalium quæ tunicam inteftinorum mufculofam extrinfece componunt, & in dilatatione & conftrictione annularium, quæ eandem formant intrinfece: prior motus, ut fuo loco dictum fuit, pendet ab operatione diaphragmatis, pofterior ab actione mufculorum abdominis; fecundario vero pendet idem motus partim ex fuctione venarum, quæ dictas annulares fibras in aliquali continet tenfilitate, partim ex contentis inteftina præterlabentibus, quæ in tranfitu talem fuperant tenfionem. Nec cunctandum eft ex alia parte, quin ipfamet inteftina ratione fuæ texturæ nerveo mufculofæ a ventriculo ad anum ufque protenfæ ac mirabiliter circumvolutæ per fe ad talem motum fint difpofitæ adeo nempe, ut coagentibus dictis caufis præfatus periftalticus five compreflorius motus contingere debet.

Periftalticus etiam eft motus œfophagi contingens in deglutitione: dum nimirum per os affumpta proprio pondere, viarum lubricitate, ac linguæ voluntario motu in fauces provoluta dilatant iftarum orificium, ingreffaque inferius adiguntur per infequentem ejufdem orificii, feu fphincteris contractionem; quo fit, ut illa magis deorfum pellantur, & fic propter reciprocam fibrarum extenfionem ab affumptis factam, contractionemque earum propriam (quum nempe fibi relictæ funt) motus ille continuatur, donec talia affumpta in ftomachum protrudantur. Aliis verbis *in Exerc. Anat. cit.* defcripfit Auctor, quæ funt ifta XII.

fci-

ſcilicet: *Conſtrictio œſophagi, adeoque cibi potuſque protruſio ulterius continuatur uſque ad ſtomachum per dilatationem fibrarum annularium tunicæ muſculoſæ, & per contractionem longitudinalium antagoniſtarum ita ut, quo tempore dilatatur per eundem cibum aut potum gulæ pars inferior, conſtringatur pars ſuperior per reditum fibrarum longitudinalium ad locum ſuæ deductionis: dum vero eadem muſculoſa tunica ampliatur, tubuli glandularum œſophagi conglomeratarum excretorii altius invaginantur a trochleis ſeu foraminulis exiſtentibus in tali membrana; dum vero illa conſtringitur, exprimuntur iidem tubuli ac veluti emunguntur propter receſſionem trochlearum, humore interim hoc pacto emuncto largiter in œſophagum collacrymante per plures poros, ſive miliares glandulas ubique in nervea ejuſdem canalis tunica diſſeminantes, cibiſque intime ſe commiſcente.*

XIII. Excretio hæc humoris digeſtivi in œſophago non differt ab excretione bilis & ſucci pancreatici in inteſtinis. Alliciuntur quippe & iſti atque ad exitum invitantur per motum illorum periſtalticum; dum ne in copia exuberent, atque in excretoriis ductibus hæreant coacervati: in quo caſu jugiter extillant, ut unda undam pellit, imprimis ſucci ſalivales: nec tamen hi per porros excerniculis pluriſariam diſtributis in præſtitutas cavitates tranſeunt, ut illi verum per patentiores ælices eo derivantur. Cæterum excretio proprie dicta fæces & reliqua excrementa concernit: ſed fæcum & urinæ excretio animalis ut plurimum actio eſt, ut oſcitatio & pandiculatio, de quibus ſuo loco; mucci vero narium, ceruminis aurium &c. naturalis, ut quæ a naturali ſecretione dependet.

XIV. Velificatur denique Generationi erectio penis & ſeminis ejaculatio in viris; in fæminis autem erectio clitoris, nympharum, cornuumque uterinorum. Arrigunt mares propter inſolentiorem paulo ſanguinis affluxum ad illam partem. Notum enim eſt deferri eo ſanguinem per binos arteriarum hipogaſtricarum ramos, revehi vero exinde non niſi per ſolitariam venam. Ut igitur is ſolito uberius influit in corpora penis nervoſa, tum reſumi nequit a vena, quæ unius ex arteriis magnitudinem non adæquat: quare ibidem reſtitare, & per dicta corpora late ſe dif-

diffundere debet idem sanguis, & ita penem inflare, rigefacere, atque attollere. Negotium hoc, ut vides, ipsa demonstrat autopsia: causa vero sanguinei illius orgasmi, nunc est liquidi illius vitalis tenuitas major, nunc flatulentia, vel crassities admixta, nunc plethora, nunc denique urinariæ vesicæ turgescentia. Sic pueri vegeti & eusarchi, quibusque lotio turget eadem vescica; juvenes quorum sanguis multus, elasticus, ac bene temperatus; & senes tandem chyli coctione peracta, matutino tempore, ob decubitum supinum renibus calefactis; aut propter ejusdem vesicæ inflationem incogitanter arrigunt nonnunquam. Unde vix audiendi sunt, qui proxima erectionis causa, i. e. sanguinis appulsu minime considerato illius efficiens statuunt partem inferiorem, sive animam materialem ex hoc solo, quod invita etiam parte superiore, seu mente, talis erectio contingat. *Si nec nivale frigus* (instantia est hæc *Augustini Rivini*) *extinguere Francisci cupidinem, nec urticarum spinarumque penetrantes puncturæ stimulis venereis, quos olim Benedictus sensit, resistere non potuerunt, facile liquat, quam parum obsequiosus menti sit appetitus sensitivus, & quanta inde pugna sæpius oboriatur.* Non enim cupido in illis, aut ulla venus aderat, sed erectio (si naturaliter loqui volumus) a flatibus, aliisve memoratis causis excitata, & quam proinde externa illa, nix, & puncturæ tollere non valebant voluntate utcunque etiam cooperante; siquidem motus sanguinis hujus imperio non est subjectus. Ergo nec aderat pugna inter animam sensitivam & mentem, sed actio tantum partium instrumentalium non nisi a cessatione coagentium principiorum & quidem materialium superanda. *Senex emeritus* E. g. (ut idem *Rivinus* ibidem, *Disput.* 8. loquitur) *cui uxor juvencula concredita est, malet dubio procul suo satisfacere officio damnum metuens quod ex negligentia sua oriri possit aut soleat, repugnant autem vires naturæ, eluditque spirituum imbecillitas voluntatis imperium*: i. e. repugnat defectus convenientis motus cum progressivi, tum intestini in sanguine ejusdem senis, inopia illius, nec non lymphæ prostratarum glandularum acrimonia sua vellicantis, eundemque sanguinem ad genitales partes allicientis pro ipsarum distensione.

Lym-

Lympha hæc, quæ in prostratis lamnata tentiginem, ut dictum est, inducti (unde & erotica audire solet) ac titillando sanguinem invitat, colisque idcirco elevationtm procreat in viris, idem similiter efficit in mulieribus; dum nimirum in uteri lacunis, in glandulis conglobatis sub frenulo versus anum latitantibus, & in arteriarum extremitatibus, quæ in totidem glandulas miliares ubique vagina, nymphis, & præsertim ad clitoridis glandem hiant, dispersæ sunt, coacervata acorem ibidem & acrimoniam propter moram contrahit, fixis suis moleculis irritare non cessat tales partes, proindeque nec sanguinem provocare desinit; quo fit ut tensio illarum, inflatio, & in clitoride elongatio contingat. Clitoris namque non secus ac penis componitur ex duobus corporibus nervosis, aut si mavis spongiosis, quibus unitis glans quoque in parte anteriori ei apponitur. Quemadmodum itaque in pene sanguine fartis iis corporibus inflatur & obrigescit ille; ita & clitoris, quando talia corpora ex consimili fartura turgescunt &c. Tandem fallopianarum tubarum erectio quod ex eodem principio, sanguinis fartura habeatur, ostensum fuit *Assert.* 1. confirmaturque experientia. Tales quippe tubæ ratione suæ substantiæ fibroso spongiosæ texturam corporibus penis nervosis similem fovent, proindeque natura ad turgescentiam dispositæ sunt, inquit *Bohnius Progymn. Anatom.* 1. Quamobrem hic, unde initium hujus Partis auspicati fuimus, finem faciemus, concludemusque functiones vitales omnes a motibus reciprocis *Assert.* 5. expositis proxime provenire.

S C H O L I O N.

HOs motus, has ex istis provenientes actiones, seu Functiones dum secretius examino, illud observo, voluisse ipsummet DEUM vitæ largitorem, sive dispensatorem se sistere. Cum enim talium motuum, taliumque actionum exercitio vita constet; nec citra divinam spirationem illi incipere ac perennare valeant *per Assert.* 3. sequitur neque citra divinam voluntatem, dictamve spirationem vitam obtineri posse. Quamobrem patet ratio, cur mens seu humana, seu bruta nul-

nullum imperium in præfatos motus exerceat. Ex ea namque non, nisi quatenus spiritus est, dependent, & hæc spiratio ejusdem Numinis actio est, non mentis, cui liberum haudquaquam est non esse spiritum; cui idcirco competit sanguinem inflare, eosque motus per consequens exerere, qui vitales audiunt, quorumque ethiologiam hucusque verbis fuimus prosecuti.

PSYCHOLOGIÆ MEDICÆ

TERTIA PARS

De Motibus Animæ Internis.

ANTELOQUIUM.

I. MOtus ab extrinseco, impetu nimirum Animæ, procedentes Externos nuncupati, qui fiunt ab intrinseco, per essentiam ipsiusmet animæ, Internos appellare non ambigimus. Vulgo audiunt Animales, nec motus quidem isti, sed vel actus, vel functiones a Philosophis vocari consueverunt prorsus, quasi ad vitam conducentes motus, Vitales ideo appellati, ab anima non sint, habeaturque vita sine anima; deturque actio, aut functio sine motu. Quicquid sit, Theoriam motuum animalium exhibere intendimus in hac Parte, non Metaphysicam illam, qualem hactenus Auctores præstiterunt, sed Physicam, a suis causis naturalibus deductam; qua proinde actus & fun-

II. ctiones omnes ejusdem animæ a suis principiis eruentur. Hanc enim inter motum & actum ponimus differentiam, quod actus con-

continuari queat absque motu, inchoari non queat; motus vero sit successivus, & utrumque actio, functio, vel operatio sequatur. Diximus nimirum *in Def.* Animam esse ens a se mobile intuitivum: potest igitur eadem perseverare in intuitione, & per consequens agere, unde actus, nec tamen incipere intueri sine motu erga objectum suæ intuitionis. Unde, quoniam motus tempore prior est actu, vel actione, vel functione, de Motibus inscribi debuit hic Tractatus potius, quam de actibus, aut functionibus animalibus. Res exemplo fiet magis manifesta, imprimis ex Sensu, functione omnium universalissima & principalissima, utpote sine qua nullum existere potest animal, nullaque alia functio vel actio ab eodem exhiberi. Ad hujus itaque, & aliorum actuum encheiresim analytice demonstrandam nihil aliud exigo, quam definitionem Animæ modo traditam, *in Parte* 1. *Disq.* 3. probatam, & in toto hujus Tractatus decursu III. ulterius confirmandam, quod nempe illa sit substantia a se mobilis intuitiva, ita ut motiva potentia cum intuitiva essentialiter conjuncta sit: insuperque quod subjectum unionis animæ IV. cum corpore ejusque organon immediatum sit Sanguis *per Assert.* 3. *præcedent.* quæ assertio ulterius pariformiter confirmabitur præsertim in Parte 5. Unde adeo tanquam in aliud principium statuo

THEOREMA I.

Sensio est actio Animæ intuentis corporeas passiones.

HÆc definitio est *Divi Augustini*. l. de Quantit. Animæ illam efferentis sub his terminis: Sensus est passio corporis non latens animam, hoc non latens explicando per id, *quod videtur*, ac sic nempe sensus ejus definitionis fit, quod sensio est passio corporis quæ videtur ab anima. Proposuerat namque alibi idem S. Doctor, prout notificatum fuit *Disq.* 3. *art.* 4. animam esse intuitivam, triaque hæc visionum genera in nobis manifesta esse, Corporale, Spirituale, Intellectuale. Hinc igitur definivit Sensum esse passionem, quæ videtur ab ani- I

ma. Sed nos bonam sententiam invertere maluimus, ut genus proximum in definitione ostenderetur.

II. Est ergo sensus actio animæ, & ideo supponens ejus motum, utpote sine quo non est actio, ut supra dicebamus. Eo sane tantum abest, ut sensus dari possit absque motu, ut in hoc potius ejus essentiam collocandam esse sanciverint quamplures, ut *Lucretius* sequenti carmine:

> *Quod superest, si quis corpus sentire renutat,*
> *Atque animam credit diffusam corpore toto*
> *Suscipere hunc motum, quem sensum nominitamus, &c.*

III. Cujus vero speciei hic sit motus, facile apparet; dum nemo videre, nemo audire E. g. potest, quin se convertat ad objectum visibile, audibile &c. Est ergo motus iste animæ conversivus ad objectum, præceditque sensum, qui prosequitur cum intuitione: & sic in hac, & in præcedanea conversione ad sensorium consistit actio animæ sensitiva.

Dico ad sensorium; propterea quod proximius est obiecto afficiente ipsum sensorium, nec anima sic conversa videt obiectum, sed videndo affectiones sensorii ab obiecto factas videt obiectum. Sensorium vero duplex, mediatum & immediatum: illud est organum externum, hoc autem sanguis; illud est particulare, hoc universale: nam anima, ut dictum est,
IV. hæret in sanguine, non in fibris oculi, auris &c. Causa igitur proxima conversionis animæ ad sensorium est affectio sanguinis, remota vero fibræ per rem sensilem affectæ, & inde afficientes ipsum sanguinem, adeo ut causa sensus consistat radicaliter in
V. hujus, nempe sanguinis commotione, propter quam postmodum
VI. anima se convertit ad sensorium. Miraris dogma hoc tanquam inauditum; sed novum non est primo, quod anima stet in sanguine. Adeatur *Assert.* 3. Deinde, quod sanguis sentiat; ad quod facit *Bartholini* observatum quod de nervorum usu edocet: nimirum canis vivi vasis cruralibus vinculum injicit, & illæso nervo sub ligatura utraque vulnerat, totumque sanguinem educit; imo pro reliquiis ejus abstergendis per arteriam aquam tepidam toties injicit, donec omnis tincturæ expers per venam redeat: qua ratione equidem in initio motus ali-

qualis

qualis carnium adhuc deprehenditur, quandiu aliquid adhuc sanguinis restitat, hoc vero plane exhausto motus omnis cum sensu perit. Verum sanguinem esse immediatum sensus organum adhuc *in Parte* 5. demonstrabitur tam clare, ut nullus amplius futurus sit dubitationi locus. At, inquies, sensoria externa non communicant cum sanguine in arteriis V. g. concluso; ergo illum afficere non possunt utcunque ipsa ab externis obiectis sint affecta. Resp. ad sensum externum non esse necessariam, imo noxiam communicationem illam, quæ fit per contactum immediatum. Cum enim globuli sanguinei perpusilli sint ac natura lubrici tangi certo modo non possent, ut objecti qualitates exprimant, sed istud potius fugerent, elaberenturque impactas fibras. Quocirca optimo cum naturæ consilio factum est, ut in sensoriis sanguis arteriosis vasculis includeretur, quæ alicubi cancellato, alibi conglomerato, reticulato, orbiculato, aut aliter distincto opere disposita; insuperque pro rerum sensandarum exigentia alibi tenui, alibi solidiori textura donata cum essent, primo globulorum motum retardarent; tum in eos blande, fortiter, aut alio modo percutere; ac demum adytum etiam concedere alicui materiæ in sanguinem, aut denegare apta forent. In oculo E. g. diversigenæ ejusmodi dispositionis & compagis ductus observare est, & quorum alii limpidum, ut in scelerotica membrana, alii crassiusculum, ut in choroidea, alii mixtum, uvea & in iride, alii denique rubicundum aut etiam nigrum humorem deferunt; quare? quia radii lucidi diversimode reflecti debent, ut cruentos globulos hic uno, illic alio modo percellant juxta varias distantias & directiones ad colorum repræsentationem requisitas. Propterea si VII.
quæratur, ad quid inserviunt sensoria externa, respondebo ego inservire eadem ad modificandum atque attemperandum externorum corporum contactum & impressiones in sanguinem faciendas, ne videlicet hic plus aut minus, quam par est perculsus atque motus efficiat, ut anima ipsius incola videat non videnda, rerum scilicet qualitates a statu suo naturali diversas. Postremo rationem sen- VIII.
sorii principalis quærendam esse in sanguine docent febricitantes, quibus colores, sapores, odores &c. immutati sunt non propter externorum organorum, sed propter sanguinis mutationes: do-

cent

cent item animi deliquia, syncope, asphyxiæ ex odoribus gratis, vel ingratis; dum ejusmodi pathemata ex male affecto eodem sanguine provenire demonstrabitur *in Part. 6.* docet denique ipsum senium, in quo propter sanguinis vapescentiam deficiunt sensationes &c.

IX. Causa ergo proxima motus conversionis animæ ad sensorium est contactus, motio, aut perculsio sanguinis; remota, organon sensationis, seu mavis sensorium externum ab objecto, aut sensibili quadam istius qualitate affectum. Sic vero conversa anima intuetur hujusmodi, quæ in corpore transiguntur, affectiones, seu passiones, & quandiu intuetur, tandiu sentit, in quo consistit prosecutio actus, sive sensus; inque hac prosecutione actus videt affectiones corporis non solum, sed & qualitates rei afficientis: qualitates, inquam, nam res substantialiter videre soli substantiæ omnium creatrici datum est: utque earum qualitatum aliæ indigent medio, ad hoc ut deferantur ad sensoria, aliæ non indigent, media vero hæc sunt lux & aer; ita in humano corpore alia atque alia organa

X. fuerunt comparanda. Nempe hunc in finem fabrefacti sunt oculi, ut quando istorum pupillæ humoresque ita sunt dispositi, ut radii lucidi intus admissi globulos animatos in vasculis mirabili modo per internas illorum partes distributis percutiunt, anima ex taliter affecto hoc sanguine videat & discernat colores, dimensiones, cæterasque objecti colorati qualitates undecunque, & quoquo modo ii radii ab hoc objecto fuerint reflexi.

XI. Similiter structuratæ sunt Aures, ut radius phonicus, sive sonus ex aeris vibratione formatus quando ad illas emittitur, ubi tympani, tunicæ, officulaque annexa quatiuntur, commoto aere subtus latitante, & hoc mediante etiam sanguine in ejusdem tympani & cochleæ membranis oberrante, anima huic sanguini adstans pro varia ipsius motatione, ictu, præssura, percussione varios pariter percipiat sonos. Tertio Nares item datæ sunt,

XII. ut quando miasmata odorata cum aere inspirato illarum interstitia subintrant, motitantque, feriunt, aut titillant parvos villos ex succingente membrana instar lanuginis exsurgentes ductibusque sanguineis implantatos, commoto pariter ibi, in iisdem vasculis leniter perreptante sanguine, anima ejusmodi motationes,

nes,

nes, irritationes, titillationesve deprehendens diversorum corporum odorosorum indolem, quodnam scilicet suavia, quodnam adversa effluvia, sive odorem, emittat, intuetur. Quarto Lingua eum quoque in finem posita est, ut cum particulæ sapidæ se se insinuant papillulis latera & apicem ejusdem linguæ copiose occupantes, necnon insuper aliis poris in subjecta vasa tendentibus, eaque pro varia sua configuratione & textura specifica diversimode afficiendo circum repetem sanguinem agitant, mens talis modi agitationes advertens varias quoque afficientium particularum constitutiones deprehendat, hoc est sapores. Quinto demum concinnata sunt corpuscula pyramidalia undique a Cute, copiosissime tamen in digitorum apicibus eminentia. Ex horum itaque & fibrarum circumjacentium commotionibus per diversa corpora diversiformiter mota & figurata excitatis ac sanguini communicatis discernit anima, durare sint illa, nempe corpora, an mollia; solida, an fluida; humida, an sicca; aspera, an levia; frigida, an calida, aut alius qualitatis. XIII. XIV.

Dices concipere te non posse, quomodo anima utcunque intuitiva videndo in minimis arteriolis diversas sanguinis commotiones videat tangentium corporum diversas qualitates. Verum non potes concipere, quod soles concipere: soles concipere qualitates & accidentia, non rem aut substantiam: qualitates autem illæ sunt affectiones propriæ, & tam ad tactum pertinet, quam ad corpus tangens; ergo quales in illo, tales sunt in isto, & visis hujus affectionibus videntur illius affectiones; ergo ex visione sensuali organi tacti, seu ex affectionibus istud moventibus spectatis anima videt affectiones tangentis, sive ipsum tangens, quemadmodum viso effectu videtur causa &c. Major difficultas stat in hoc, quod cum sensibilium corporum affectiones pene sint innumeræ, affectiones vero sanguinis longe pauciores, quomodo ex his paucis anima videre possit illas innumeras. Sed exequatur eadem 1. animadvertendo, quod myriades illæ affectionum ad quinarium reducuntur, quot nimirum sunt externi sensus. 2. quod aliarum commotionum capax est sanguis in oculo E. g. existens aliarum is, qui in aure, cæterisque sensoriis degit pro diversa scil. vasculorum in his organis varietate quoad texturam, distributionem, contentorum globulorum substantiam, horum XV.

rum motum &c. Mitto, quod hæ, aliæque consimiles difficultates alienas hactenus usurpatas hypotheses magis feriunt quam nostram. Nam, quod posteriorem, scilicet difficultatem, videturne magis verisimile, quod diversi animalium spirituum refluxus per nervos, variæque fibrarum undulationes sensum dare queant potius, quam diversæ fibrarum in & circa vasa sanguifera, vel titillationes, vel commotiones, corporumque tan-

XVI. gentium introductiones? Verum falsitas illorum dogmatum ulterius declarabitur infra; & jam patet effati nostri veritas, Sensum nimirum esse actum animæ, intuentis corporeas affectiones.

THEOREMA II.

Non datur commune sic dictum Sensorium.

I. POstquam in scholis decisum fuit animam aliqua in parte corporis hærere affixam, cerebrumque ad hoc munus electum est, increbuit etiam opinio, quod anima sentiat in cerebro vel toto, vel secundum aliquam ejus partem tantum, puta in corpore calloso, in glandula pineali, centroovali, aut in aliqua cavitate, quodque universæ impressiones externæ sub forma idearum, imaginum, aut, qui Terminus *Aristoteli* placet, specierum eo idcirco deferantur tanquam ad tribunal, ubi anima, quæ ibi Judicem agit, sententiam de singulis dicit, & quid ulterius cum illis agendum sit pronuntiat; locum igitur istum sedem animæ & commune sensorium appellitarunt nostri,

II. sollicitique fuerunt in excogitandis modis, quibuscum nobis obtruderent hanc fabellam deligendo alii spiritus animales, qui nunc instrumenti vice se haberent ad impressionem in sensoriis factam continuandam usque ad cerebrum, nunc loco causæ principalis, ac si nempe soli sentirent in sensoriis & in cerebro, alii eandem solam impressionem organo factam, & ad cerebrum usque mediantibus nervis communicatam, &c.

III. Verum quis non videt sentiendi modos esse pure fictitios? Primo namque non dantur spiritus animales, ex *Disq.* 2. Deinde etsi darentur, mens tamen, quæ cum sit ens cogitans con

scia

ſcia fieri debet perceptionum ex *Carteſii* doctrina, debet quoque videre ſpirituum ſenſationes: quæ vero major ratio dicendi, quod eas videre debeat in ſpiritibus, potius quam in ſenſoriis. Et quod attinet illorum hypotheſim, qui volunt rerum ſenſatarum imagines acceptas ex ſenſibus devehi ad cerebrum per nervos; ejus impoſſibilitas evincitur ex eo, quod cum ex cunctis ſenſuum externorum organis ad talem judicii ſupremi & unici locum deportari debeant ſpecies illæ, aut ideæ, abſque inſigni earum confuſione id fieri poſſe haud credibile eſt, imprimis ſi diverſi colores, odores, ſapores, ſoni & ſpecies tangibiles ſimul advolant. Tale autem quid metuendum non eſt, ſi multiplex ſtatuamus organon ſenſus, h. e. aliud in oculis, auribus, lingua, naribus, cute &c. quibus præeſt ſanguis organon animæ immediatum. Dum enim principium ſenſationis in unoquoque reperitur, commodius illud ſua inibi diſcernet objecta: adeoque etiamſi cum momento manus dextra ferro candefacto, ſiniſtra glacie tangatur, ſine ulla confuſione in hac frigoris, in illa vero caloris ſenſus percipitur. Evincitur item ea impoſſibilitas ex nervorum ſtructura, per quorum tubulos huc illuc mitti ſpecies iſtæ debent ex Adverſariorum ſententia. Nam ſi vel unice compactiſſimam nervorum conſideremus ſubſtantiam, hypotheſis dicta ruet ſponte ſua. Lucidus enim radius per opacos illos tubulos miſſus ſuamne ſervabit indolem? Et hoc judica quoque de ſaporibus, odoribus, radiis phonicis &c. Tandem nec motus nervorum tremulus ab impreſſione in ſenſoriis externis facta concitatus per quem ſenſum gigni adſtruit *Carteſius*, admittendus eſt. Non enim libere hærent nervi, uti chordæ in inſtrumentis muſicis, ſed undique aliis partibus firmiter adnaſcuntur. Prout ergo chordæ motus ultra magadium, in teſtudine aut pandura, & in Lyra ultra jugum non continuatur, ita nec nervorum motus tremulus in ſenſoriis excitatus ad cerebrum pertingere poteſt, niſi forſan violentiſſime afficiatur: ne tangam illud, quod; cum unus ſit hic motus tremulus, nec niſi ſecundum magis aut minus differat; differentiæ vero ſenſationum ſint propemodum innumerabiles, non videtur veriſimile, quod tot objectorum repræſentationes ſive imagines ab unico illo motu audiri valeant; id quod ex alia parte corroborare

IV. V. VI.

pergit præcedentem nostram conclusionem, qua posuimus animam ex diversis commotionibus in sanguine ab objectis intra sensoria moto excitatis diversiformes videre seu sentire eorundem qualitates.

VII. Quæ cum ita sint, facile patescit nullitas sententiæ statuentis commune hoc sensorium, nempe cerebrum, aut aliquam ex ejus partibus, puta glandulam pinealem. Cum enim eo deferri nequeant externorum corporum impressiones in sensoriis factæ, unde mens in tali fabulosa regia constituta habere potest, quod sentiant? Subscriberem ergo potius *Aristotelis* opinioni ponentis animam in corde, utpote per quod sanguis transit, in eoque elaboratur; aut, quod melius, opinioni *Cardani*, *de subtil. Exerc.* 307. *Conrad. Victor. Schneideri*, & aliorum, qui dudum sensationes has non intra certos cerebri loculos, sed in universis corporis partibus, (quorsum nempe tendit sanguis) præprimis tamen in sensoriis externis fieri docuerunt. Militant prætea

VIII. rea contra tale sensorium experimenta *Disq.* 2. *art.* 4. allegata, & aliud, quod affert *Joh. Marc. Marci* de quodam homine decollato, cujus truncus non solum contraxit pedes ad sensum doloris per acus puncturam excitatum sed quoque aliquandiu adhuc ambulavit: ac tandem absurditas sententiæ hujus innotescit, quod hac stante opinione nec auris, oculus, dens, stomachus, colon, renes, manus, pedesque recte dicantur dolere, sed de omnibus his partibus, si forsan lædantur, asserendum erit, non illas, sed caput tristem pati sensum; quod assertum certe non acumen philosophicum, sed potius maximam stoliditatem prodit.

IX. Objicies 1. quod læso cerebro munia mentis turbantur, h.e. oritur delirium, oblivio &c. 2. quod studio diuturno aut alio ejusdem mentis exercitio dolor capitis oritur. 3. quod medica-

X. menta debilitati memoriæ inservientia capiti applicantur &c. Sed aliud sensus, aliud est organon phantasiæ, memoriæ, cogitationis, aliarumque functionum animalium. Demus igitur istud esse in cerebro, in specialibus vasis sanguiferis postea determinandis, minime vero illud; & sic delirium, oblivio, consimilesque functionum prædictarum læsiones contingunt equidem læsis vasculis præfatis; non autem sensus læsio, ut qui in deliris &

in

in obliviosis integer nunquam notatur. Dolor deinde capitis à studio nimio non procedit ex eo, quod sedes sensus sit in capite, sed quia in sanguine per studium nimium calefacto sive aliter alterato in dictis vasculis horum tunicæ, partesque annexæ irritantur. Et quod tertium, iterum & nunc fallacia committitur. Nam ex falsa præconcepta hypothesi nata est illa consuetudo apud Medicos, ut pro memoria juvanda occipiti adhibeant remedia, etiamsi effectus rarissime respondeat optatus; nisi forte in propagines carotidum arteriarum insinuentur illa. Quamobrem alii prudentiores solis internis medicamentis sæpius fælicius occurrunt istis læsionibus &c.

THEOREMA III.

Prima rerum sensibilium Perceptio fit ex sanguine ab iis mediate, vel immediate affecto.

Duplex nobis est perceptio; altera sensualis, sive rerum sensibilium, altera intellectualis, sive earum rerum, quæ non cadunt sub sensum. Prior itaque, de qua nunc loquimur, dicitur perceptio prima, & nihil est aliud, quam sensatio in actu secundo. Novimus quippe sensum constare duplici actu, altero conversionis ad sensorium, altero intuitionis. Erit igitur perceptio prima Visio rei sensatæ. Sed, inquies, aliud est videre, aliud vero percipere. Perceptio namque est apprehensio objecti, quæ fit cum retentione. Resp. apprehensivam pariter esse dubio sine hanc visionem. Est enim visio substantialis activa, quatenus actio est animæ substantialiter intuitivæ: & sic non est de ista, quemadmodum de speculo materiali & passivo, quod remoto objecto destituitur imagine in se repræsentata; sed quemadmodum de speculo immateriali activo, speculo sine macula Divinæ Majestatis, ut phrasi utar Scripturæ. Quamobrem retinet in se species rerum sibi per sensus oblatarum. I. II.

Distinguo nihilominus inter Perceptionem & Apprehensionem, quod illa magis late pateat, quam ista. Nam apprehensio est objectorum, perceptio etiam commotionum. Quoties enim contingit, ut percipiamus aliquid ex sola sanguinis commotione: III. IV.

de qua Præsensione ex professo agemus *in Parte 5.*? Præterea apprehensio est actio libera; utpote quæ potest deseri vel intermitti, quemadmodum & sensatio externa: perceptio vero sæpius tantum non coacta est, ut in sanguinis commotionibus præcitatis. Non igitur omnis perceptio est apprehensio, & ideo posuimus in Conclusione, quod perceptio prima fit ex sanguine mediate, vel immediate affecto; mediantibus nimirum sensoriis externis, vel absque his, quando nempe sanguis afficitur a rebus in venas immediate illapsis, ut ab humoribus, medicamentis, cibis, & venenis: dum apprehensio est duntaxat objectorum per organa externa affecta lustratorum, ut modo monebamus. Verum de hac paulo inferius.

Dividemus quippe, hac stante distinctione, objecta in ea, quæ sunt a sanguine extrinsece, per organa externa affecto; & in ea, quæ fiunt a rebus, seu corpusculis intrinsece & immediate ipsum sanguinem afficientibus: & quandoquidem demonstraturi sumus (nisi forte hoc per se jam demonstratum sit) animam non agere, nisi circa & propter objecta (est enim intuitiva, & de ratione intuentis est, ut aliquid intueatur, nempe objectum) dividemus propterea Tractatum hunc de Motibus ani-
V. mæ Internis in duo membra, quorum alterum erit de motibus animæ, qui fiunt ab objectis extra corpus; alterum de motibus, sive actibus, actionibus, aut functionibus, quæ fiunt ab objectis in corpore existentibus. Priori argumento operam dabimus in præsenti; Posteriori autem in Parte 5. Quare jam fit

SECTIO PRIOR.

De Motibus animæ ab objectis extra corpus.

I. QUi negant objecta quæque naturalia a sensibus hauriri, vanæque cogitationi inhærentes ea putant nobis esse vel innata, sicque a mente pedetentim cum tempore explicari; vel a Deo pro data occasione infusa: illud fateantur necesse est, sensus nobis esse inutiles; inutiles pedes, manus, oculos, linguam, aures &c. Nam si cunctæ ideæ, sive species evolvuntur in mente, & statis quæque temporibus extricantur: etsi Deus est,

est, qui nostris animis pro re nata illas infundit, superfluæ sunt disciplinæ, studia, documenta exercitia &c. Conferentiam quæ contra posteriorem hypothesim attulimus argumenta *in Disq.* 2. *art.* 2. & quod priorem, quæ tradentur *in Part.* 5. de vi ingenita, sive Ingenio. Quibus non obstantibus ad hos errores ulterius submovendos proponimus.

THEOREMA IV.

Nihil est in Intellectu, quod prius non fuerit in Sensu.

HOc effatum a nullo antiquorum Philosophorum in controversiam positum novissime revocavit in dubium, falsumque asseruit *Renates Cartesius*, & plures post ipsum. Conatur autem Author probare, tantum abesse, quod prima notitia rerum desumi debeat a sensibus, ut potius cognitio omnium prima & firmissima debeat esse circa res spirituales omnino insensibiles, quaque uti debeamus ad confirmandas notitias rerum materialium acceptas per sensus. Sex Meditationes conscripsit, quas de prima Philosophia inscribit, in quibus Dei existentiam & realem animæ rationalis a corpore distinctionem demonstrare conatur, post quæ ad materialia descendit, probatque eorum existentiam ex ipso Deo tanquam ex medio. Nolumus nos hanc methodum impugnare, ut qui non existendi causam quærimus, sed an notitia existentiæ sit ex Deo, an potius ex sensu. Quo in passu haud multum laborandum est, ut pateat notitiam existentiæ a sensibus pendere, cum manifestum sit illam abstrahi ab essentia per intellectum, de quo abstrahendi modo dicetur suo loco. Idcirco quoniam esse cujusvis rei materialis est sensibile, dicendum venit etiam τὸ existere esse sensibile, & existentiam fundamentum habere in sensu. II. III.

Sed his missis, probatur dictum effatum positive sic: Notitia corporis prior est notitia mentis, rerumque spiritualium. Ergo. Prob. antec. Nullus hominum in utero matris existens citra miraculum cognovit se ipsum, aut aliud quidpiam; ergo notitia rerum spiritualium pendet a notitia rerum sensibilium, sive, quod idem est notitia corporeorum prior est notitia rerum

rum intellectualium. Anteced. constat unicuique ab experientia. Probatur conseq. Si notitia rerum spiritualium non penderet a notitia rerum materialium citra ullum miraculum posset anima rationalis unita corpori adhuc existenti in utero matris si non res materiales & sensibiles, saltem res spirituales, vel ad minimum seipsam cognoscore; ergo si fieri id non potest citra miraculum, notitia rerum spiritualium pendet a notitia rerum
IV. materialium & sensibilium. Prob. antec. & quod anima rationalis non possit in eo statu res materiales intelligere, facile explicatur & evincitur ex eo, quod non potest anima rationalis unita corpori (intellige citra miraculum) intelligere res materiales; nisi eas sensu aliquo externo percipiat: nullius autem sensus externi usum habet, quoadusque ejusdem corpus rema-
V. net in utero matris. Quod vero spectat res spirituales, quæ nullo sensu percipi possunt, suadetur ex hoc, quod neque illas anima posset attingere, nisi cogitatio de rebus spiritualibus præsupponeret ante se notitiam rei alicujus materialis, sed hanc ex concessis non habet, ergo neque illam. Prob. maj. Si notitia rerum spiritualium nullo modo penderet a notitia rerum materialium & sensibilium, perinde se haberet homo adultus atque infans etiam tum existens in utero matris in ordine ad cognitionem rerum spiritualium; ergo ut anima rationalis hominis adulti, ita & infantis in utero matris adhuc hærentis posset citra miraculum se ipsam aliasque res spirituales intelligere. Prob. ant. discrimen inter hominem adultum & infantem
VI. non est ex parte animæ utpote indivisibilis & entitative immutabilis, sed tantum ex parte corporis; ergo si notitia rerum spiritualium nullo modo penderet a corpore hoc est a sensibus corporeis, perinde se haberet homo adultus atque infans etiam tum in utero matris existens in ordine ad cognoscendas res spirituales. Huc etiam facit id, quod labefactata organizatione corporis mens humana non sit tam apta, ut erat ante, ad discursum circa res insensibiles. Huc faciunt item somnia, amentia &c. quando remanente anima rationali, ut erat ante, non datur nihilominus in homine facultas expedita ad discursum; quæ omnia clare confirmant notitiam rerum spiritualium pendere a notitia rerum materialium accepta per sensus &c.

&c. Confirmatur præterea effatum aliis exemplis. Cæcus a nativitate Exemp. grat. non poteſt citra miraculum intelligere lucem, quam nunquam ſenſu percepit. Neque dicas poſſe a nobis intelligi etiam ea materalia, quæ nullo unquam ſenſu in ſe ipſis percepimus; ut poteſt quis formare ſibi ideam maris, quod nunquam viderit, nec ullo ſenſu preceperit. Nam reſp. poſſe quidem a nobis intelligi ea materialia, quæ in ſe ipſis ſub nullum ſenſum noſtrum ceciderint, ſed tamen aliquid ipſis ſimile perceptum fuerit a nobis per ſenſus; non vero ea, quæ nunquam in ſe, neque in alio ſimili percepta unquam fuerint per aliquem ſenſum. Sic Mare definiri poteſt congregatio aquarum ſalſarum circumquaque alluens terram: ex qua definitione poterit qui nunquam vidit mare nihilominus ipſum intelligere. Licet enim nullo unquam ſenſu mare in ſe ipſo perceperit, præhabet tamen ſpecies congregationis, aquæ, ſalſedinis; circumferentiæ, alluvionis & terræ acquiſitas per ſenſus; ex quibus formare ſibi poteſt ideam completam repræſentantem mare. Quare ſempre ſtat, quod ipſum mare intellectum, ſi non in ipſo, ſaltem in aliquo ſimili præfuerit in ſenſu. Hoc idem applicari poteſt reliquis. Quin etiam, ſi noſtras intellectiones recurramus, conſtabit utique maniſeſtiſſime nihil a nobis intelligi, quod vel in ipſo, vel in aliquo ſimili nullo ſenſu fuerit perceptum. Ipſa etiam ſpiritualia a nobis non concipiuntur, niſi ſub ſchemate materiali: Deus ſub forma lucis, aut corporis ſui generis (nam & dexteram, & oculos, & pedes Dei legimus, inquit *Auguſtinus*; nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione ſociantur &c.) Angelus ſub forma juvenis alati &c. quatenus ſic, & non aliter mente concipi per intelligentiam intuitivam poſſunt, ut ait *Gaſſendus*. Verum de veritate præfati axiomatis jam plura nimis.

VII.

VIII.

THEO-

THEOREMA V.

Anima rationalis non intelligit per suam essentiam, sed per actus inter se realiter distinctos.

I. Utimur hoc medio termino tum ad confutandam opinionem eorum, qui volunt omnes ideas nobis esse innatas; tum vero maxime ad probandam posteriorem partem nostræ
II. definitionis, qua posuimus animam rationalem esse perfecte intuitivam, quatenus per diversos actus pervenire potest ad intellectionem. Nam si non intelligit per suam essentiam, superest, ut dicamus eam intelligere per diversos se movendi & intuendi modos, hoc est per actus entitative distinctos; ergo ideæ non sunt ipsi ingenitæ, & anima rationalis non potest dici intelligens, sed intellectiva, tanquam in potentia ad intelligendum per suos actus perfecte intuitivos. Probo itaque primam partem nostræ conclusionis sic: Si anima rationalis intelligeret per suammet essentiam, implicaret contradictionem, quod ipsa non existeret, quin simul, & semel, & semper esset in actu secundo intelligendi objecta ipsi intelligibilia; sequela est falsa; ergo & id, unde sequitur. Maj. est evidens ex proprio lumine naturæ notissimo, idem non potest simul esse & non esse. Min. constat experientia; quia anima rationalis in primo instanti suæ creationis nihil intelligit; vel etiam transmitto, quod
III. aliquid intelligeret statim ab initio, manifestum est tamen non intelligere ea omnia, quæ progressu temporis intelligit: quod tamen accidere non posset, si anima intelligeret per suammet essentiam.

Secunda pars asserti facile suadetur. Nam si nulla alia superest via, per quam anima pervenire valeat ad intellectionem, nisi alius atque alius actus, ut modo innuebamus, liquido patescit eam intelligere per actus entitative distinctos. Præterea negari non potest, quin intellectio secundum se accepta sit per-
IV. fectio, & quidem in summo genere perfectionis: quandoquidem intelligere in actu secundo est ipsum Dei esse, vel saltem Angeli; & intellectiva superant toto genere non intellectiva: ergo in-

intellectio perficit intrinsece per se ipsam intellectum intelligentem. Ergo intellectus limitatus & ulterius perfectibilis non intelligit per suam essentiam, sed per actus realiter entitative distinctos: atqui anima rationalis habet intellectum limitatum & ulterius perfectibilem; Ergo. Prob. prior consequentia: si intellectus est limitatus & ulterius perfectibilis, melius se habebit intrinsece cum intellectione, quam sine illa; ergo si intellectio secundum se accepta est perfectio, intellectus intelligens plus perfectionis dicit, quam intellectus non intelligens, ex vi ipsius intellectionis superadditæ secundum se acceptæ; ergo intellectus perfectibilis per intellectionem, qua scilicet carere potest non intelligit per suammet essentiam. Quid, quod tantum abest, V. quod anima per propriam essentiam intelligat, ut nec judicet, nec imaginetur, nec recordetur, cogitet, aut cognoscat simpliciter per suam essentiam, sed per actus entitative distinctos, ut ex dicendis fiet palam.

THEOREMA VI.

Anima intrinsece nihil agit, nisi convertendo se ad phantasmata.

ADnotatum fuit supra, *in Prolegomen.* sine motu saltem prævio non esse actum, & *Theor.* 1. innotuit sufficienter animam non sentire, quin prius se convertat ad objectum. Idem nunc ergo dicimus de reliquis actibus internis, quod nempe hi nequeant elici absque animæ conversione ad ideas. Certum I. est enim potentiam intuitivam, seu mentem, esse inorganicam, scilicet nullo corporali organo uti in suis operationibus. Quare fieret, ut ipsa posset etiam dum est unita corpori suum objectum imaginari, memorare, cognoscere, intelligere &c. licet labefactato, ut in phræniticis lethargicis, organo corporeo, nisi actus potentiæ intuitivæ præsuponerent motum alicujus potentiæ organicæ, ut est sanguis, unde perceptiones & ideæ eruuntur *per Theor.* 3. Insuper ipsa experientia constat nos nihil phantasiare, memorare, cogitare &c. nisi antecedenter habeamus aut formemus nobis quoddam phantasma, velut idolum, i. e. ideam,

in quod inspiciat mens nostra, adeoque ad illud se vertat. Hinc anima est a se mobilis & intuitiva juxta *Def.* & ideo se movet in actibus suis internis, quia se vertit ad imagines rerum
II. sensatarum, aut ad alias factitias &c. Quomodo vero eadem suas sibi paret, ac formet ideas elucescet ex dicendis de formalitatibus actionum.

THEOREMA VII.

Interni actus operantur in Plexu Choroideo.

I. UT perceptiones, quæ comitantur, vel insequuntur sensum, fiunt in sensoriis, & externi actus audiunt; ita cæteræ functiones animales a sensu quamvis originaliter pendentes *per Theor.* 4. extra sensoria externa celebrandas esse ratio monet. Quippe sensus perceptionesque illæ animæ impedimento forent, quo minus eadem ad sensoria conversa convertere simul posset se se ad suas. Et sane experimur nullo non tempore in nobis, quandiu sensationi alicui addicti sumus, nec imaginari, nec recordari, nec alia objecta nos intelligere posse, quam quæ sensantur. De necessitate idcirco absoluta videtur esse, ut detur in nobis locus, in quo tanquam in musæo a tumultibus & sensationum turba semoto, hi alii actus, Judicium, Phantasia,
II. Memoria, Cogitatio &c. celebrentur. Communissima etiam anticipatio & persuasio docet hunc locum esse cerebrum, quod nempe in isto mens judicet, imaginetur, recordetur &c. Sed an totum cerebrum indifferenter muniis illis vacet, an secundum aliquot partes tantum; &, si posterius, quænam uni, quænam alteri functioni inserviat nondum determinatum est.
III. Ferunt Anatomici Cerebrum stricte dictum spirituum animalium secretioni, & modificationi consulere: ejus vero partes incerti esse usus, quamvis dubitare ipsis non liceat, quominus alia phantasiæ, alia memoriæ, alia alii sensui interno suam operam præstet. Verum spiritibus explosis patet nullitas sententiæ de cerebri usu generali; & quod particularem, quod nec ventriculi, nec cerebellum, nec corpus callosum, nec sic dicta striata, medulla oblongata &c. sint organa vel memoriæ, vel phan-

phantasiæ, vel facultatis stimatricis &c. manifestabitur inferius. Remanet proinde, ut inquiramus, quamobrem tanta cerebri moles in homine, ut hoc fere triplo majus sit cerebro bubulo; & in quem finem tot in ea partes a natura destinatæ sint. IV.
Ut meam hoc in passu præferam opinionem, quemadmodum a nemine dissimulatur plexum choroidalem soli homini præ cæteris animantibus attributum esse, ita non videtur ambigendum, quin illius ab istorum cerebro in multis differre debeat, ejusque gratia præsertim dicta moles in homine constructa sit. V.
Hunc quippe in finem structuratus est cortex, ut serum nutritium per longa arteriosarum productionum seu desinentiarum ambages crassiusculum redditum hinc substantiæ medullaris nutritioni & humectationi faceret satis, inde vero per hanc ipsam substantiam quasi filtratum undequaque deplueret in ventriculos pro choroidei plexus ibidem existentis miti veluti balneatione. VI.
Secundo constituta est eadem medullaris substantia, ut propter compagem ipsius firmam cavitatibus in ea insculptis in suo situ & forma conservandis par foret, ne videlicet fatiscendo plexus in illis contentus obrueretur. VII.
Tertio fabrefacti sunt ventriculi ad eundem plexum, ut dictum est, balneandum, fovendum, custodiendum: eorumque fabricam sustinet ac conferruminat imprimis corpus callosum. VIII.
Quarto posita quoque sunt fornix & septum lucidum, ne alterutra alarum plexus in alteram impingendo negotium facesseret animæ sua munia in illis exercenti contacto sanguine vasa ejusdem plexus percurrente: in quem finem extant item corpora striata processusque medullares, ut nimirum eædem alæ in sua stasi & expansione contineantur. IX.
Quinto demum reliqua, sive ductus, aut ventriculi, sive rimæ, proturberantiæ, vel monticuli &c. stagnanti in anterioribus cavitatibus phlegmati supradicto vel derivando, vel elutriando inserviunt; necnon ad laudati plexus domicilium vel stabiliendum, vel fulciendum &c. X. XI.

Patet igitur autopsia, quanta esse debeat hujus plexus utilitas & prærogativa. Triplicem ejus usum faciunt iidem Anatomici. XII.
1. Ut partes circumstantes, quæ frigidæ augurantur, sanguinis in illo profluentis beneficio calefiant. 2. Ut sanguini arterioso ad cerebrum rapide tendenti pro diverticulo sit idem plexus.

3. Ut mediante hujusmodi diversione fiat separatio sanguinis serosioris a magis spirituoso: quæ opinio fuit ***Verebyeny*** asserentis propterea in arterias talis plexus speciatim amandari sanguinem magis serosum, ut interea reliquus glandulis cerebri afferatur purior ac materia spirituosa fœcundior. Absonos tamen

XIII. esse, ac naturæ intentioni minime satisfacere hos usus constat primo ex hoc, quod, si necessaria talis foret calefactio, non debuisset serum e corpore calloso undequaque deciduum in anterioribus cerebri sinubus lacunari: contrariæ quippe sunt refrigeratio & calefactio; ergo plexui circumjacentes partes vel refrigerari tantum postulant, vel tantum calefieri. Dices exigi calorem ad aquam illam residem in sua fluiditate continendam. Sed calor siccat potius, quam ut fluorem conciliet partibus aquosis: & ex alia parte qualem cumulare potest motum, seu calorem, sanguis, cujus globuli seriatim se insequendo in vasis illis plexus tenuissimis longe absunt a mutuo concursu, qui calorem excitat ***per Assert.*** 6. Deinde si diversorio opus erat sanguini per carotides excurrenti, cur non apposita fuerunt illi vasa capaciora minusque circumvoluta, quam quæ plexum constituunt. Ac tandem ad illud ***Verebyeny*** de separatione sanguinis purioris a minus puro non suffragatur autopsia; qua purissimus annotatur sanguis plexus choroidæi tum quoad substantiam, tum quoad colorem.

XIV. His ita intellectis subsumo rem sic; & primo, functiones animæ internæ fiunt in cerebro; plexus est hujus quasi nucleus; ergo functiones animales fiunt in plexu. Secundo, plexus nec sanguinis, nec cerebri causa constitutus est; ergo functionum animalium gratia duntaxat. Tertio in plexu nullæ fiunt sensationes, nec ullæ materiales perceptiones; ergo anima in plexu: vacat tantum idealibus operationibus; ergo plexus sedes est functionum animalium internarum. Quorsum tandem spectant argumenta a statu hujus plexus præternaturali petita; quod

XV. nimirum ventriculis, ubi idem habitat, exsiccatis, aut sero in quo innatat, bilioso reddito, aut aliter vitiato accedunt phrænitis, deliria, cephalagiæ &c. prout docebitur ***in Parte*** 6. Pervidit hanc plexus dignitatem ***Honoratus Fabri***, vagatusque est in eo existere sedem animæ regiam; at dum propterea impressiones

nes.

nes omnes illuc pervenire credit, ipſumque plexum ad ſentiendum eſſe omnino aptum, verum & genuinum ejus uſum non agnovit, penituſque ab omnibus deſertus eſt. Vide *Chriſtian.* XVI. *Johan. Langy Phyſiol. theſ.* 31. Dices animalia bruta phantaſiare, cogitare, cognoſcere, nec tamen plexu ejuſmodi eſſe prædicta; ergo nec rationalem animam iis muniis fungi in eodem plexu. Reſp. brutorum phantaſiam, cogitationem, cognitionemque utpote ſimplicem & materialem non expoſcere ut emittantur in organo humano æquali. Notum enim eſt nos non tam judicare ſimpliciter, imaginari ſimpliciter, cogitare ſimpliciter &c. verum etiam reflexe, adeoque nos ſimul & intelligere, & diſcurrere, & opinari. Ut itaque brutales operationes ſpecie o- XVII. mnino differunt ab humanis, ita & organon, in quo mens illas elicit. Brutis animalibus, quorum ſimplices, ut dictum eſt, & materiales ſunt internæ illæ actiones, rete mirabile aut aliud huic analogum conceſſum fuit, conſtatque experientia hoc analogum majus aut minus eſſe, prout bruta magis minuſve ſunt perfecta: in homine vero emicat dictus plexus duplici & orbi- XVIII. culari forma prorſus quod tum ſimplices tum reflexæ illius ſunt operationes. Quamobrem vel ex hac organica differentia non leve argumentum ſumi poteſt ad noſtri aſſerti confirmationem.

THEOREMA VIII.

Interni ſic vocati Senſus non ſunt Senſus, ſed Animæ Operationes.

NOmen Senſus interni ex tum vulgari cœpit, quum Philoſophi, præeunte *Alberto Magno*, conſiderato, quod corpori velut cuſtodes adſunt externi ſenſus, iniquum fore duxerunt, ni animæ ſuæ quoque excubiæ tribuerentur. Ob hanc igi- I. tur cauſam tantum fictio hæc de Senſibus Internis excogitata eſt, ex eaque ii errores prodierunt, qui etiamnum de uſu cerebri differentibus ſolemnes ſunt: quod nimirum ſub vertice habitet Phantaſia ſecundum aliquos; in cerebri vero pli-

cis,

cis, aut in corpore calloso, secundum alios: quod Memoria in occipitio, sive cerebello, excubet, penes istos, penes illos in sic dictis striatis: quod cogitatio stet in corpore calloso &c. & quod sensum communem, quam varia, quamque inepta de ejus sede a Physiologis deblaterata sint, vidimus *in Theor.*
II. 2. *Albertus* igitur præfatus, & cum eo *Avicenna* inferius majestate regia arbitrati, quod minori satellitio anima stipanda foret, quam corpus, hos internos sensus decreverunt esse ad minimum quinque, Sensum puta communem, vim Imaginandi (quorsum retulerunt Phantasiam) vim Cogitandi, facultatem Estimatricem, quinto Memoriam. Sed processu temporis, quum supervacanea videretur hæc militia, a melioris frugi hominibus exauctorari cœpit; & primo ad quaternarium redacta est, sublato Judicio seu virtute æstimatrice; tum ad ternarium, dem-
III. pta Cogitatrice; deinde ad binarium auctore *Jacobo Forolivien.* qui Sensum communem, & Memoriam tantum admittendam esse censuit, Phantasia sub priori contracta: donec tandem unicus relictus est sensus internus, videlicet Communis. Vid. *Hurtadus Wecbeler*, aliique. Unde vides hosce sensus per se peni-
IV. tus concidisse. Insuper ad sensum requiruntur quatuor, sentiens, sensile, medium, & applicatio activorum ad passiva, ut inquit *Scaliger*. Ubi vero sentiens? in substantia medullari, aut in corpore calloso, quorum substantia in sat larga quantitate licet sublata, in vulneribus scilicet capiti inflictis nullum unquam nocumentum visa est attulisse vel phantasiæ, vel cogitationi! Confer. *Horstius Exerc. de Nat. humana*, *Hoeffer. in Hercule Medico*, & alii non pauci. Ubi sensile? an lapilli, aut alia corpora præter naturalia in glandula pineali, alibique non raro comperta? Ubi medium, seu organon? Ubi denique applicatio? Dicam cum *Plauto*: Nugæ theatri.

Postremo, si Cogitatio, Judicium, Imaginatio, Memoria &c. sunt sensus, Intellectio, Scientia, Voluntas erunt etiam sensus. Nulla est enim potior ratio dicendi, quod Cogitatio sit sensatio, quam quod Intellectus item & Voluntas sint sensiones; adeoque quod ut sensationes sunt materiales, ita & Intellectio & Voluntas, cæterique interni actus: id quod Epicureum dogma sapit, quo ponitur substantia intelligens omnino materialis, po-

potius quam sanam Philosophiam. Secunda igitur nostri V.
asserti pars facile suadetur. Nam si Phantasiatio, Memoria, Cogitatio &c. non sunt sensus, reliquum est, ut pro actibus habeantur, pro operationibus, inquam, animæ alio atque alio modo intuentis species, ad quas se convertit, prout *Theor.6.* factum est palam, liquescetque ulterius ex dicendis. Nec valet dicere, quod Phantasiatio, Memoria, Cogitatio competunt etiam brutis, & per consequens quod sint actus omnino materiales, sive sensationes: quandoquidem nos non tam simpliciter imaginamur, recordamur, cogitamus, ut bruta, verum
etiam reflexe; & judicium quidem, imaginatio, memoria &c. VI.
simplex sive materialis homini data est, inquantum quod homo cognoscit etiam materialia, judicium enim & reliqui simplices actus dati sunt in ordine ad cognoscendum, inserviunt rerum materialium cognitioni, quemadmodum & brutorum animalium perfectiora. Verum hoc dilucidabitur inferius: & jam Isagocicis finem imposituri, quoniam dictum est in principio actionum animæ alias continuari cum, alias sine motu, subdividendam duximus sectionem hanc rursus bifariam, ita ut altera pars posteriores exponat, altera priores. Sit igitur

SUBSECTIO I.

De Actibus Internis, qui continuantur sine motu.

Notificatum enim fuit cum alibi, tum imprimis *Theorem.* I.
6. omnem actum inchoari cum motu, quod citra hunc non detur actus; posse nihilo minus a motu seu conversione mentis ad phantasma, continuari actum, per solum ipsius mentis intuitum in aliquod ex ejusdem idolis per sensus depromptis. De his itaque actibus loquetur in hoc articulo.

PRÆNOTANDA.

Communi hoc vocabulo censemus definitiones & declarationes terminorum, qui usuvenient in hoc paragrapho. Claritatis amor

amor id ſuaſit; quia nempe hac ratione plura exponi poterunt
citra confuſionem. Jam ſequuntur ipſa prænotanda.
II. 1. Objectum eſt id, ad quod, vel a quo, vel propter quod
ſe movet anima, ſubſtantia ut pote a ſe mobilis & intuitiva,
& in quod proinde intuetur.
III. 2. Objectum hoc vel actualiter ſentitur, vel eſt jam ſenſa-
tum, ſive perceptum: de illo nihil impræſens; iſtud dicitur
ideale, vel, brevius, idea, & vel ſimplex eſt. vel compoſita,
aliter dicta factitia, quod per actus mentales componatur ſive
fiat. Quamobrem ſimplex erit quæ nondum adhibita eſt ad
IV. aliquem actum: compoſita e contra, & vel notio, vel pro-
poſitio audit. Idea compoſita vel eſt de ſubjecto & prædicato
materiali; vel de ſubjecto materiali & prædicato intellectuali,
ſive ſpirituali, vel de ſubjecto & prædicato intellectuali &c.
V. 3. Anima in tantum agit, in quantum quod innumeræ cum
ſint ideæ primitus perceptæ, ſive ſimplices, in perpetua idcir-
co verſaretur confuſione, niſi eaſdem abinvicem ſepararet, &
hinc conformes conformibus, difformes vero difformibus jun-
VI. geret. Hæc conjunctio & disjunctio pervulgata appellatione
Judicium eſt, affirmativum ex priore, negativum ex poſterio-
re: unde totuplex judicium, quotuplex eſt idea; ſimplex vide-
licet, & compoſitum: & hoc rurſus vel materiale, ſeu natu-
rale, vel intellectuale pro vario pariter intelligendi modo di-
verſum.
VII. 4. Ad judicium ſimplex ſufficit perceptio ſimplex: ad natu-
rale requiritur inſuper, ut mens nunc moroſe intueatur, nunc
releget, coagitet, comparetve ideas materiales cum ſubjecto
VIII. conjungendas, vel ab eo ſejungendas: ad intellectuale primum,
ſufficit perceptio ſecunda, ſive intellectio: ad ſecundum requi-
ritur præterea ut eadem mens inſpiciat, releget, coagitet, ac
IX. combinet ideas intellectuales &c. unde plures emergunt actus,
Phantaſiæ, i. e. Imaginationis, Memoriæ, Cogitationis tum
ſimplicis, cum reflexæ, Diſcurſus &c.
X. 5. Ad hunc itaque finem mens intrinſece atque intuitive
operatur, ut conjunget conformia, dividat diformia: confor-
mia ſcilicet aut diformia ſecundum ſimilitudinem, ſeu appa-
ren-

rentiam. Et sane animam amare conformitatem, odisse disformitatem ex cunctis sive Artibus, sive scientiis disci potest; utpote quæ æqualitatem, proportionem, symetriam &c. singillatim intendunt. Conformitas namque duplex est; similitudinis & XI. apparentiæ; aptitudinis & convenientiæ: illa objectum est potentiæ intuitivæ; hæc potentiæ a se motivæ: de illa in præsenti, de hac *in sequen. subsection.*

6. Objectum igitur animæ intuentis est similitudo rei cum XII objecto; vel, ut alii malunt, conformitas rei cum objecto: inque totali hac similitudine consistit id, quod vulgo dicitur *Verum*. Spectata quippe hujusmodi similitudine scientia est, & XII mens in tali visione aquiescit; secus agere non desinit, donec illam inspiciat. Ob hanc rem non modo procedit ad cognoscenda similia materialia; verum & ad sciendum similia spiritualia. Qui vero hi processus fiant, jam venit exponendum.

PARADOXUM I.

Quando res actu sensata videtur conformis, aut difformis cum idea de eodem objecto ante percepta, fit Judicium sensuum, sive simplex.

Sit propositio simplex, *Hic est liber*, *hic est calamus*: hæc propositio est de judicio simplici, quoniam est de subjecto præsenti, seu actualiter sensato, & de idea simplici, seu non composita. Dico igitur in tantum elici hoc judicium, in quantum quod præexistit in mente judicantis idea libri. Ratio est evidens; quia I. si non præextitisset in illo talis idea, non potuisset conjungere subjectum actualiter sensatum cum tali idea. Sic cæcus a nativitate non potest affirmare, quod hoc sit album, illud vero nigrum; siquidem nunquam percipit ideam albedinis, aut nigredinis. Ergo eatenus conjungit anima objectum præsens cum idea, quatenus hæc præhabetur, seu præexistit in illa. Vocula vero affirmativa *est*, & negativa *non est* sequitur naturam conformitatis & difformitatis supervenientis in comparatione. Simile quippe simili facile coaptatur, & sponte quasi coalescunt, inquit *Scaliger;* & alibi, similia sunt quasi unum.

II. Contendit *Cartesius* sensus nostros esse fallaces, adeoque judicium, quod fertur de sensatis esse falsum; ego contra reputando tantum abesse statuo, quod sit falsum hoc judicium, ut potius pro criterio omnium primo habendum sit. Missis alienis argumentis ac præsertim *Gassendi in Syntag. Philos. Epic. c. 2. can.* 1. videndis, illud mihi videtur omnino irrefragabile, quod cum judicium sensuum sit omnium simplicissimum ex subjecto actualiter sensato & prædicato ideali illi omnino conforme compositum, non potest esse falsum. Quæ enim subesse potest fallacia his propositionibus, *Hoc, quod video, est liber*, *Hoc, quod tango, est calamus* &c? Subesset utique fallacia, si ideæ, quæ talibus subjectis correspondent in mea mente, essent ab hisce difformes; verum posita conformitate, nullus error, nulla subesse potest fallacia; nec ullus Deus; seu Genius utcunque malignus, potens & calidus efficere potest, ut in eo fallar, sive ut conjungam simul & non conjugam ideam libri aut ideam calami cum re actualiter visa, cui correspondet idea libri, aut cum re actualiter tacta, cui correspondet idea calami.

III. Cum itaque judicium sensuum errori obnoxium est, quando res sensata non rite sentitur, h. e. quando vel organon non est sufficiens, ut si quis clausis oculis dicat *Hic est Petrus*, vel quando idem est impeditum, ut in Ictericis objectum album E. g. affirmantibus esse flavum; aut quando sanguis præternaturaliter affectus est, ut in febricitantibus, & Delyrio vexatis: a quibus tamen casibus præscindimus impræsens, nec non a defectu ideæ materialis objecto conformis, sive consimilis: ne tangam sentiendi ac percipiendi frequentiam, quæ similitudinem objecti cum idea confirmat, imo sic interdum obviam facit, ut judicium hoc sensuum reddat omnino familiare.

Dices illud esse verum, quod est clare & distincte perceptum; quod vero sentitur clare ac distincte perceptum non est; ergo non est verum. Resp. neg. maj. Quod clare ac distincte perceptum est, id clara & distincta idea est, non, quod verum.

IV. Veritas namque dicit relationem vel rei cum se ipsa; & sic dicitur illud esse verum, quod est prout est in se: vel aliud cum reale, tum ideale; unde merito effertur illud. Veritas est conformitas objecti cum re; & hæc conformitas duplex

est,

est, apparentiæ & congruentiæ, Veri nempe & Boni, quæ vicissim converti dicuntur ratione originis, i. e. conformitatis, prout novimus *in Prænotat.* Dabo nihilominus libenter *Cartesio τὸ clare & distincte perceptum* non de quacunque idea præsertim simplici intelligendum esse, verum de notionibus, seu propositionibus mentalibus, fateborque idcirco nullum unquam sequuturum errorem in mente, si quis de iis tantum judicium ferret, quæ clare & distincte intelligeret. Sed hoc opus, hic labor, discernere quænam propositio sit re ipsa clara & distincta, quæque ita appareat, sed non sit. Experimur enim quotidie quædam nobis olim clarissima & certissima apparuisse, quæ progressu temporis revocamus in dubium. Quare dico non fore verum, quod clare & distincte percipitur, donec modum edoceat, quo cognoscatur quid clare & distincte perceptum sit. Sed de his satis.

PARADOXUM II.

Simplex Imaginatio est ex aliquali mora substantiæ intuitivæ circa aliquod objectum, sive notionem aliquam simplicem.

I. QUi Phantasiam ab Imaginatione distinguunt, ideo hoc faciunt, quod non distinguant Imaginationem simplicem a reflexa, materialem sive sensualem ab intellectuali sive spirituali: cæterum in re Phantasia & Imaginatio unus & idem

II. est actus; quod illi Phantasiam, nos vocamus Imaginationem simplicem, sive de objecto materiali: dicimusque fieri ex eo, quod anima ad aliquam ideam conversa suos in illam per aliquod temporis spatium defigit intuitus. Conveniunt unanimiter Philosophi in hoc, quod Imaginatio sit Perceptio major; forte, quia imaginando non objectum simpliciter, sed cum eo percipimus aliquod prædicatum: sic imaginans Helenam e. g. non percipit duntaxat fœminam capite, collo, brachiis &c. constantem; sed præterea pulchram artubus probe cohærentibus, aut bene coloratam &c. Quare dictum est in thesi, animam imaginantem inspicere in aliquam notionem; quod notio, puta, simplex, ut in nostro casu duobus saltem terminis

componatur, Helena pulchra. Dictum est etiam hunc intuitum in notionem fieri cum aliquali mora ad significandam essentiam actus imaginativi; utpote qui incipit per conversionem
III. ad objectum & continuatur cum intuitione. Quod attinet conversionem; per hoc differt imaginatio simplex a reflexa, quod in hac conversio ad objectum sit determinata: in illa vero accidentaria citra ullam determinationem, quæ quomodo contingat, explicabitur suo loco. Cæterum, quod Phantasia, vel Imaginatio sit perceptio, non intelligitur ab iis, quibus explo-
IV. ratum est aliud esse percipere ideam, aliud uti idea: in Imaginatione utimur imaginibus jam perceptis, non vero percipimus illas vel per sensum, vel per intellectum; nec confundenda est perceptio, sive actus antevertens imaginationem cum ipsa imaginatione: potius igitur imaginatio erit actus, in quo anima obversa in aliquam ideam circa ipsam hæret defixa: &
V. distinguitur ab admiratione per hoc, quod in ista adsit præterea motus sive affectio; in illa, videlicet Imaginatione, sola intuitio. Sed de Admiratione alibi.

VI. Effectus Imaginationis est, quod objecta facit grandescere: unde forte manavit illud, Imaginatio est perceptio major. Hujus phænomeni ratio petenda est ex eo, quod intuitibus animæ in objectum omnino conversis, quo magis conspicitur idea hæc, eo magis ampliatur. Exemplum habemus in oculo, itemque in aliis sensibus, quorum paulo diuturniori applicatione ad objecta istorum qualitates latius fusiusque discernimus, quam si per transennam veluti sentiantur. Non reticebo tandem (ut ibi finem imponamus, ubi hujus thæseos exordium
VII. fecimus) discrimen, quod inter Phantasiam & Imaginationem intercedere dicitur a Philosophis, nempe quod illa dudum; hæc sit objectorum recens sensatorum, nullius esse momenti: cum potius contrarium liqueat ex eo, quod phantasiare pari-
VIII. ter dicantur bruta, horumque phantasia versetur circa recentia objecta, non circa olim percepta. Sed quidquid sit; imaginamur materialia, imaginamur & spiritualia; utraque vel accidentaliter, vel cum determinatione voluntatis. Priorem imaginationem si libet appellare Phantasiam, nil moror, dumodo objecta distinguas, & formalitates.

PA-

PARADOXUM III.

Fit Memoria ſimplex, quando Mens ex aliquo ſigno externo tranſit ad conſpiciendum in aliquam ideam illi ſimilem, vel analogam.

TRanſit, inquam, incogitanter abſque ulla intrinſeca determinatione. Quippe ſecus, quando anima ſe determinat per aliquod motivum inferius exponendum, non ſimplex, ſed Memoria eſt reflexa. Simplicem Memoriam alii vocant Reminiſcentiam; explicantque per hoc, quod Reminiſcentia fit non ſolum per nos ipſos in nobis, ſed etiam per alios ſigna quædam ſuggerentes: qui ſi rem ipſam apponant præciſe, nova Memoria erit; ac ſi nimirum Memoria retineat rerum imagines, Reminiſcentia inveſtiget. At non opus hoc promovendo, qualis eſſe dicitur Memoria: ſiquidem anima ſuarum idearum conſervatrix eſt tam ſimplicium, quam complexarum. Opus itaque duntaxat inquiſitione, ut coram adſint, quæ non apparent, & manifeſtentur, quæ latent. Hinc anima tanquam dux in prætorio aut diribiterio (comparatio eſt hæc *D. Auguſtini Conf. l.* 10. *c.* 8.) milites ſuos luſtrans primam, ſecundam, tertiam ideam & deinceps adit, ſi opus ſit: ſin ita a noviſſima ad primam a tertia, quarta, quinta &c. ad ultimam gradum facit, donec inveniat, quam quærebat, conformem ſcilicet & cooptabilem in ſingularibus æque ac univerſalibus, materialibus æque ac intellectualibus. Excitatur autem ad luſtrandum per ſignum aliquod externum, ſi ſermo ſit de Memoria ſimplici, ſeu Reminiſcentia: *In Trinummo Plauti* E. g. Chermidæ nomen oblitus fuerat Sycophanta, quod ſi Chermides ſuggeſſiſſet, nova & penitus eadem fuiſſet notio; mox ille ut illuderet, apponebat multa nomina initium ducentia ab eadem ſyllaba, donec tandem verum inventum eſt. Idem dic de rebus materialibus; dum nempe viſo, audito, tacto, aut aliter ſenſato aliquo objecto redit nobis in mentem, quid talis objecti occaſione alias fecimus, aut locuti fuimus: nec non de intellectualibus; ſi conſimilis aut analoga in nobis idea ſit. Cæterum quandoquidem a ſimilibus ad ſimilia facilis eſt tranſitus, ut I.

ajunt

ajunt Philosophi, non est hærendum quominus, quo similior est notio demonstrativa, sive signum externum ideæ in mente existentis, eo promptius contingat Memoria. Accurrit enim statim acies mentis nostræ, ægrius vero, si post perceptionem nondum amplius spectata sit, vel minorem quam par est, conformitatem dicat cum signo externo vel interno.

PARADOXUM IV.

Simplex Cogitatio simplicium notionum qua similium, qua inter se dissimilium casualis quædam veluti Coagitatio.

HIc est ille actus abs *Cartesio* tam magnifice imaginatione conceptus, ut pro fonte habitus sit mentalium omnium operationum; mentisque essentiam idcirco in cogitatione sola consistere ab illo ejusque asseclis velut e tripode fuerit pronuntia-
I. tum. Sed hoc errore alibi, *Disq.* 3. *art.* 13. sufficienter castigasto, superest impræsentiarum, ut ostendamus Cogitationem non esse præcipuum actum & universalem, tanquam aliorum fundamentum; sed quod sit unicus ab aliis distinctus, quoad
II. suas formalitates. Principio namque, si ad etymon respiciamus, cogitare testibus *Varrone* ac *Festo* a coagitando dictum est: coagitatne vero semper anima, quando sentit, quando intelligit,
III. quando vult? Deinde huic denominationi non adversatur *Cartesius*, cogitationis nomine intelligens agitationem illam, quando mens conscia fit perceptionum, & supra illas reflectitur. Videantur *ejus Meditationes de Prima Philos. p.* 85. *Principia Philosoph. p.* 2. & 3. Sine perceptionibus itaque mens non se agitat: nec reflectit: ergo perceptio est ante cogitationem; & mens dum percipit non se agitat, & per consequens non semper cogitat. Quod si oggeris perceptiones illi esse innatas, res-
IV. pon. ego: ergo non percipit, quod tamen nuspiam asseveravit *Cartesius*. Quapropter concludendum venit Cogitationem esse, quando mens modo in unam, modo in aliam ideam intuendo videtur quodammodo se agitare: & hinc simplicem esse talem actum, quando nunc ad hanc, nunc ad illam & incidenter se vertit; reflexam vero, quando cum proposito deliberato.

Fi-

Finis utriusque cogitationis est, ut ex ea appareant notiones maxime conformes. Comparantur enim illæ cum objecto per talem actum: quæ res est, ut mens modo ad similem, modo ad dissimilem, nunc ad incongruam, seu minus convenientem ideam se vertat &c. adeo ut equidem summe necessaria sit ejusmodi operatio, minime vero ita, quod in ea animæ essentia sit totaliter reponenda.

COROLLARIUM.

Collige ex dictis Perceptione ideas animæ subministrari, Imaginatione elevari, per Memoriam conformia inveniri, Cogitatione disponi & comparari, & per actum denique Cognitionis uniri.

PARADOXUM V.

Cognitio est ex pluribus una notio.

A Cogitatione quippe unitis, ut modo insinuatum est, notionibus maxime conformibus videt mens uno intuitu quod antea cernere debuerat per plures, quodque haudquaquam dicernuisset, nisi plurium adminiculo operationum ad hanc tandem unice collimantium, i. e. ad Cognitionem: qua vel bruta, quæ ea prædita sunt, ita vident materialia, ut talis visio iis pro ratione sit; dictumque fuerit a nonnullis quod animalia bruta melius, quam nos, utantur ratione. Cognitio idcirco suprema visio est rerum materialium tam ratione similitudinis, quam convenientiæ cum obiecto item materiali; ex eaque noscimus, quid hujus respectu agendum sit, vel non agendum, prout infra.

I.
II.
III.

PARADOXUM VI.

Cognitionem sequitur Judicium Naturale aliquibus dictum Sensitivum.

HAud necessum arbitror hic repetere locutos esse nos de cognitione simplici sive materiali, quæ nimirum servatur circa notiones materiales citra ullum respectum ad intellectualia seu spiritualia : non vero de illa, quæ vulgo accipitur a quibusdam pro ipsâ intellectione, de qua postea. Terminum ergo antedictæ cognitioni imponit ut plurimum hoc Judicium; quatenus spectata conformitate aut difformitate notionum cum objecto nequit mens non unire, quæ alias intuitu seu cognitio-
I. ne ipsa jam unita sunt, aut jam disjuncta. Vocatur autem Judicium hujuscemodi Naturale, quod fit de subjecto & prædicato naturali, i. e. naturam propriam corpoream concernente, & quandoquidem in tali conjunctione aut disjunctione mens humana attendit nonnunquam similitudines apparentes potius quam congruentias & aptitudines, hinc est, quod homo minus naturaliter judicare videatur aliquando, quam bruta. Minus, inquam, recte ille judicat secundum naturam suam corpoream, quam ista, nec mirum :

Os homini sublime dedit, cælumque tueri, &c.

Aliam longe nobiliorem naturam nobis largitus est Deus; ad quam cum respicimus corporalia hæc omnino sordescunt, adeo ut nec nostri esse propria esse videantur : brutalis vero mentis pro objecto existente duntaxat illa, nempe corporea natura, planum est naturale ipsius judicium fore magis verum judicio cognoscitivo humano, quod illa non nisi cum esse suo materiali quærat conformitatem, deque materialibus duntaxat cognoscat.

AD-

A D N O T A T I O.

Notandum interea occurrit hujus judicii occasione, quod tametsi actus ad ipsum conducentes versentur circa similitudinem idearum aut notionum cum objecto, ipsa tamen sensitiva judicia (quo nomine simplex & naturale comprehenduntur) important ut plurimum convenientiam; non videlicet Verum, sed Bonum, ad differentiam Judiciorum intellectualium, quorum objectum similitudo est, nempe Verum, non autem convenientia, sive Bonum. Et ratio est, quia ut in sensatione applicatio sensilis ad sensorium antecedit conversionem animæ, ac per consequens hujus visionem; *per theor.* 1. ita in judiciis de rebus materialibus, seu sensibilibus, convenientia objecti cum sensibus, aut cum toto esse materiali, quæ concernit applicationem, prior est similitudine, quæ concernit visionem: & sic Bonum dicens convenientiam antevertit Verum dicens similitudinem in dictis judiciis. Cæterum Verum & Bonum continentur sub eadem linea conformitatis, ut novimus *ex Prænotat.* 6. Atque hic jam desinit processus Animæ ad intelligendum; sequitur nunc ejusdem progressus ad sciendum. II.

P A R A D O X U M VII.

Intellectio, Perceptio secunda dicta, vel Apprehensio est Cognitio cognitionum.

Accedimus ergo ad operationes solius hominis peculiares, sive per quas mens humana contradistinguitur ab omni non ipsa. Dicuntur autem vulgo operationes Intellectus ex anticipatione, quod mens nostra duabus omnino potentiis formaliter tantum inter se distinctis constet, Intellectu & Voluntate: quam tamen divisionem esse penitus inadæquatam evincunt functiones hactenus explicatæ. Sensatio namque I. II.

E. g. & simplex perceptio sunt-ne operationes intellectuales? Ratio item ipsa, quæ intellectum æque respicit ac Voluntatem, estne operatio intellectus? ne dicam bruta ipsa appetere quoque & velle, ita ut ex hoc capite mens beluina ab humana non differat. Quod si ex alia parte hanc i. e. rationalem animam potentiis perfecte intuitiva & a se motiva constare asseramus juxta nostram] *definit.* vel si intellectus ampliative sumatur pro eadem potentia perfecte intuitiva; voluntas vero pro a se motiva, tam erit adæquata ista divisio, ut universas amplectatur humanæ mentis operationes. Quidquid nihi-
III. lominus de his sit, operationes intellectus censentur omnino tres, Apprehensio, judicium & discursus; nos igitur qui talem potentiam, scilicet intellectum non admittimus, considerabimus eas tanquam actus animæ speciales, quorum formalitates e suis originibus deducemus.

IV. Proposuimus vero imprimis in hac thesi, quid sit Apprehensio, ediximusque esse cognitionem cognitionum, h. e. visionem reflexam supra cognitiones materiales; qua mediante anima percipit, quod est commune multis, i. e. universale: Non enim potest anima rationalis respicere ad plura similia, quin ratione suæ activitatis percipiat unum simile; ad plura convenientia, quin percipiat unum conveniens: unde generalia illa nomina Animal, Homo, Canis, Equus &c. sunt totidem ideæ
V. universales ex pluribus individuis inter se similibus, aut aliter conformibus resultantes; quemadmodum & hæc alia, Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens, Ens, Unum, Bonum aliquid, Verum &c. sunt notiones item generales ex qua-
VI. litatibus plurium individuorum inter se similium, aut aliter conformium abstractæ, sive apprehensæ. Videantur omnino, quæ de Perceptione simplici habuimus *Theor.* 3.

Dedimus jam vero huic secundæ seu reflexæ Perceptioni intellectionis nomen, quod non alio titulo exornanda videatur visio cognitionum materialium complexiva: unde & quemad-
VII. modum visio comprehendens actus tam ad intellectum spectantes, quam ad Voluntatem Ratio dicitur, prout constabit suo loco; ita & visio comprehendens materialia intellectio jure ap-
VIII. pellari meretur. Cæterum apprehensionem hanc intellectualem fun-

fundamentum habere in perceptione sensuali patet ex dictis *Theorem.* 4. ubi demonstratum fuit nos intelligere spiritualia ad modum rerum materialium; ad eum, inquam, modum, quo percipimus etiam Ens rationis, aut aliud simile per conversionem scilicet ad phantasmata materialia juxta *Theor.* 6. IX. Ex quibus insuper patet, quid respondendum sit ad illam quæstionem, utrum videlicet præter ens & possibile apprehendi etiam a nobis possint negationes entium & impossibile. Quippe cum hæc sensibus minime subjecta sint, nec ullum sive proprium, sive improprium phantasma de iis haberi queat, negativa pars facile suaderi potest; sed quæstio est alias nullius momenti & a Philosopho vix attendenda.

PARADOXUM VIII.

Judicium intellectuale fit ex conformitate, aut difformitate particularium cum universalibus, vel universalium inter se.

Alteram intellectus sic dicti operationem quod concernit; colligitur ex præmissis, quod ut omnem visionem sequitur judicium (unde simplex perceptionem simplicem, naturale cognitionem) ita & judicium intellectuale sequitur intellectionem, quæ est visio cognitionum *ex Pado. anteced.* Visa itaque conformitate aut difformitate idearum intellectualium, sive universalinm cum objecto terminorum Verb. gr. superiorum cum aliquo inferiori &c. non potest anima non unire, qnæ propter similitudinem aut convenientiam, aliamve relationem vinculo sunt quasi connexa; aut ea dividere, quæ ob diversam apparentiam & correspectivitatem ab invicem sunt semota. Hujus generis sunt definitiones, axiomata, seu propositiones, quas Ciceroniani effata vocant &c.

Porro quod de Judicio simplici *parad.* 1. dictum fuit, criminandum esse illud falsitatis, aut erroris, quotiescunque objectum est cum idea de eodem omnino conforme, accommo-

modari debet huic judicio intellectuali. Modo namque ideæ universalis ante percepta correspondeat exacte objecto, cui applicatur, sive conjungitur, quæ falsitas intervenire potest in isto judicio? Sit propositio affirmativa de eodem V. g. *Quadratum habet quatuor latera æqualia*: poteſtne revocari in dubium hæc definitio? nequaquam: & ratio est evidentissima, quia nempe huic propositioni intellectuali, Quadratum habet quatuor latera æqualia correspondet in mente sola perceptio rei habentis quatuor latera, cui objecto ita apprehenso applicatur ea vox *Quadratum*. Quare idem est dicere, Quadratum habet quatuor latera, ac dicere, cogito quadratum habere quatuor latera, sive conceptus Quadrati est in mea mente conceptus habentis quatuor latera. Hinc tam est impossibile, quod Quadratum non habet quatuor latera, quam est impossibile, ut ego apprehendens figuram habentem quatuor latera simul non apprehendam figuram habentem quatuor latera: nec ullus Genius utcunque malignus efficere potest ut in eo fallar, sive ut apprehendam simul & non apprehendam figuram habentem quatuor latera, cui Quadrati nomen effingam, quemadmodum contra *Cartesium* disputavimus *Parad. cit.*

Quid? quod unicuique vel tantisper in Logicis versato haud incompertum est propositiones hujusmodi judiciales, de judicio scilicet intellectuali, principium esse humani discursus ad eum modum, quod propositiones de judicio simplici, seu notiones materiales principia sunt discursus brutalis, sive materialis. Siquidem in quolibet syllogismo aliqua ex præmissis nunquam non est saltem de prædicato universali. Tantum ergo abest, quod sit errori obnoxium illud judicium, ut, si tale foret, nullum daretur discurrendi fundamentum, nec ex eo idem mentalis discursus ordiendus esset. Verum de hoc satis.

PA

PARADOXUM IX.

Mente ideas suas intellectuales per actus Imaginationis, Memoriæ, Cogitationis reflectente supra objectum, easque conjungente vel disjungente fiunt præmissæ in discursu mentali.

Supra in Parad. 2. 3. 4. *& in Corollar.* enuntiavimus finem, propter quem anima imaginatur, recordatur, cogitatque simpliciter. Quandoquidem igitur a se mobilis & intuitiva substantia semper eodem modo agit, ejusque actiones objective duntaxat diversificantur, sequitur, ut quemadmodum simpliciter, ita imaginetur, recordetur, cogitetque reflexe, respiciendo scilicet ad objectum intellectuale, vel materiale, & cum eo combinando vel ab eo separando ideas intellectuales, seu spirituales, quæ videntur illi conformes, vel difformes. I.

Ad hunc igitur finem anima intellectionum, sive idearum universalium compos nunc contemplando, i. e. imaginando, nunc memorando, nunc denique considerando, sive cogitando lustratis, selectis, compartisque quotquot vel conformes sunt cum objecto, vel difformes, tandem in judicium abit cognoscitivo æquivalens, indeque præmissas propositiones efformat. In reliquum contemplatione, memoria, consideratione reflexa super objectum adjuvari, sive promoveri discursum mentalem non est, cur pluribus ostendatur, dum vel ipsum ætymon sufficienter rem declarat: h. e. denotat mentem percurrendo suas ideas intellectuales & judicia ex iis composita præparat, quærit, invenitque materiam in propositionibus conjungendam, utpote quod per tales actus eadem discernit, quod cum objecto conforme est, quodque difforme.

PARADOXUM X.

Perſpecta conformitate aut difformitate præmiſſarum non poteſt anima non concludere conformiter vel difformiter.

I. DIſcurſum, cujus encheireſim modo dedimus , alii vocant
virtualem . Diſtinguunt enim Philoſophi diſcurſum in
virtualem & formalem : ille conſiſtit per nos , (prout nempe
dictum eſt) in tranſitu ab una operatione ad aliam , ut a ju-
II. dicio ad contemplationem , ſive imaginationem ; ab hac ad co-
gitationem, ſive conſiderationem, aut ad memoriam &c. quod
per hos actus ideæ ac notiones conformes ſecernantur a diffor-
mibus , & viceverſa . Formalis vero conſiſtit in adæquata ap-
plicatione propoſitionum , notionum , terminorum tam univer-
III. ſalium , quam particularium ad objectum : unde pariter ſigni-
ficatum fuit mentem virtuali diſcurſu uti velut ad præparan-
dam diſponendamque materiam qua ſimilem aut convenien-
tem, quave diſſimilem aut incongruam , alioſque reſpectus ha-
bentem ad objectum : formali vero utitur pro applicatione
ejuſdem materiæ redigendo eam in ſyllogiſmos , enthimemata ,
IV. propoſitiones hypotheticas , problemata &c. Ad hunc itaque
diſcurſum proprie pertinet concluſio tanquam propoſitio in ſe
V. complectens virtualiter, quod in præmiſſis continetur : conſici-
turque eadem per intuitum reflexum ſupra ejuſmodi præmiſ-
ſas. Eſt enim hic intuitus comprehenſivus, quemadmodum ſu-
pra adnotatum eſt circa viſionem intellectivam ; abſtrahitque
idcirco ex illis, i. e. præmiſſis quod maxime conforme vel dif-
forme eſt cum , vel ab objecto : & hac facta abſtractione co-
gitur mens unire cum objecto vel disjungere tale abſtractum :
quo fit , ut poſita prædicta conformitate vel difformitate præ-
miſſarum inter ſe concluſia illa ſic elicita debeat neceſſario eſ-
VI. ſe conformis cum eiſdem , vel difformis . Solent proinde Me-
taphyſici controvertere, utrum concluſio mentalis reflectat ſupra
præmiſſas objectivas , an ſupra formales ; & utrum poſito aſ-
ſenſu præmiſſarum intellectus neceſſitetur ad aſſenſum conclu-
ſio-

ctionis legitimæ, necne. Sed considerata modalitate, qua conclusio elicitur ex præmissis, utraque controversia facile dirimitur. Primo namque non potest anima concludere quod V. g. Petrus sit animal, quin reflectat, sive respiciat ad præmissas *Omnis homo est animal*, *Petrus est homo*: quippe secus dicta conclusio non differret a simplici judicio, *Petrus est animal*, & τὸ ergo nihil superadderet, quod est absurdum. τὸ enim ergo dicit causalitatem, adeoque conclusio ergo *Petrus est animal* æquivalet huic causali Petrus est animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo. Conclusio igitur reflectit supra præ- VII.
missas obiectivas, non vero supra formales: h. e. in tantum mens concludit, in quantum respicit ad causales. Secundo nec potest anima rationalis concludere difformiter a præmissis; quoniam abest motivum ad ita concludendum. Motivum etenim ad concludendum est conformitas, vel difformitas præmissarum: VIII.
ergo pro istarum conformitate vel difformitate debet intellectus concludere vel affirmative, vel negative; vel si mavis, stante assensu præmissarum intellectus necessitatur ad assensum conclusionis legitimæ. Debet, inquam, Intellectus, h.e. mens refle- IX.
ctens super præmissas conformes elicere conclusionem conformem, quoniam visio reflexa super conformia non potest non advertere conformia, adeoque non conjungere conformia, juxta nostram doctrinam.

PARADOXUM XI.

Ex legitimis Conclusionibus Intelligentia & Inventio.

NOn inscite aliquibus definitur Discursus, progressus mentis I.
ad intelligendum & ad inveniendum. Acie quippe mentis reflexa supra conclusiones obiectum aliquod concernentes, & ex propriis principiis rite deductas, non possunt non clare & distincte percipi illius affectiones, & per consequens non intelligi istæ, h. e. quidquid de eodem objecto prædicatur: intellectis II.
autem conformitatibus tam secundum speciem aut apparentiam, quam secundum aptitudinem & convenientiam, Inventio subripit sive idealis, aut spiritualis hæc censeri debeat, sive realis, aut

ma-

III. materialis ; Duo quippe sunt in omni inventione : singularium notiones ab experientia & animadversione, & universalium comprehensiones per intellectum; utrumque sibi ducit mens per appositas reflexiones, sive respectus habitos supra conclusiones per discursum legitime deductas. Sic inventa omnia impertitus est Deus aut per afflationem suorum ministerio nuntiorum (sunt *Scaligeri* verba) aut emerserunt quasi conclusiones ex propositis notis. E. g. cum bombardarum tubi primum sunt excogitati: quia lebetis chymistici operculum in laquearia impulsum est vi pulveris, qui ipso in lebete erat igne concepto : horologia sabuli ex clepsydra ; solaria a pastoribus ex umbris arborum ; horologia rotarum ex aliis machinis ; pictura ab ichnographia ; hæc ab umbris, a quibus & optice; architectura a nativis specubus &c.

PARADOXUM XII.

Scientia est Intelligentia perfecta, Opinio manca.

I. DEfinitur Scientia, quod sit Cognitio rei per suas causas; hæc autem cognitio non est aliud, quam visio reflexa supra conclusiones ex præmissis, i. e. causalibus propositionibus rite deductas : quamobrem in re non differt ab Intelligentia, de qua modo egimus. Videtur tamen Scientia dicere aliquid plus, quam dicat talis visio, sive cognitio ; quatenus potest hæc reflecti supra nonnullas ex iisdem conclusionibus ad objectum aliquod spectantibus, & sic esse cognitio rei per suas causas, non

II. vero scientia, quæ comprehendit omnes. Patet itaque differentia inter Scientiam & cognitionem rei per causas ; proindeque illam definire maluimus Intelligentiam perfectam. Jungitur, quod præter causas, ad scientiam faciunt rei proprietates cum essentiales, tum accidentales, quæ tamen in cathegoria causarum non collocantur. Ergo.

Sed quomodocunque concipiatur natura Scientiæ, & sive cognitio hæc sit reflexa, sive intelligentia, non est dubium, quin visio ista clare ac distincte comprehendat notiones & propositiones vere causales in conclusionibus, quam aliter cohærentes in aliis

aliis judiciis confictas ex iisque statuat, sive judicet de iis, quæ universaliter comprehensa sunt. Hoc quippe menti perpetuum est humanæ, ut per visionem reflexam supra præcedentia abstrahat ex his maxime conformia vel difformia, indeque propositiones conficiat alias magis universales cum objecto cohærentes, vel ab eo disjunctas. Quamobrem cum hujusmodi quoque sit visio scientifica, manifeste apparet sequi hanc debere judicium item scientificum nominandum, in quo, ut alibi, maxime conformia cum objecto uniantur, difformia vero separentur ob rationes sæpius assignatas.

Quod si ex alia parte vel desint notiones, vel cognitiones, vel denique intellectiones respectu singularium, & hinc propositiones de judicio intellectuali sint erroneæ, aut in discursu non cohæreant, aut conclusiones haud legitimæ deductæ sint &c. in tali casu opinio est, non scientia. Est enim opina- III. ri, ut animadvertunt doctiores, quasi in opis egente consilio nare, secundum nos vero Intelligentia manca: quod nimirum mens supra dictas notiones & conclusiones non rite videat clareque perspiciat quæ concurrere debent ad perfecte judicandum. Quamobrem novo studio novaque diligentia opus est, ut sedulo huc descendat, & plerumque actus progressi assumptis novis notionibus sunt repetendi ac reformandi. Scientia ve- IV. ro optima visio est, qua mens utendo, procellis semotis secure velut in portu quiescit.

SUBSECTIO II.

De Actibus, qui continuantur cum motu.

HActenus igitur de actibus intrinsece intuitivis, quos spectavimus esse duplices, sensuales & intellectuales, simplices & reflexos: alteros a prima sive simplici perceptione oriundos, alteros a secunda, nimirum ab intellectione, qua mediante anima reflectendo tam supra ideas materiales, quam supra spirituales; supra singulares æque ac supra universales eruit & combinat notiones & propositiones ad discursum pertinentes & ad intelligentiam. Reliquum est duntaxat, ut quæra- I.

mus ob quam cauſam anima reflectat, h. e. reſpiciat modo ad
particularia, modo ad univerſalia, ex quo reſpectu Intellectus
eſt.

II. Cauſa hæc communiter tribuitur Voluntati, quod ipſa velit
reſpicere, ſeu reflectere; ſed quid ſit Voluntas, & cur velit,
natatori delio, ut ajunt, adhuc dum interpretandum relictum
eſt. Dicitur Voluntas potentia animæ verſans circa Bonum:
Sed anima tam verſatur circa Bonum, quam circa Verum te-
ſte experientia; dum in rebus Theologicis, Phyſicis &c. potius
quærimus Veritatem, quam amemus Bonitatem. Eſt igitur una
eademque potentia tam quæ intelligit, quam quæ vult; unde
recte *Scaliger Exerc.* 307. *ſect.* 15. Intellectus & Voluntas,
inquit, etſi ſunt una res, tamen diſtinguuntur ratione: proin-
deque definitur Voluntas ab eadem *ibid.* ſect. 3. quod ſit In-
III. tellectus extenſus ad habendum aut faciendum quod cognoſcit:
ſcilicet una eademque anima quandiu reſpicit ad objectum eſt
intellectiva; quandiu vero movetur erga illud, eſt volitiva; &
ſive ſe ſe moveat erga illud ſub ratione veri, ſive ſub ratione
boni, ſemper ſe movet ratione conformitatis vel apparentis,
unde Verum, vel convenientis, unde bonum.

Tale igitur velle eſt ſe movere, & anima in tantum ſe mo-
vet, ſeu vult, in quantum quod amat conformitatem rei ſive
IV. idealis, ſive ſubſtantialis cum objecto pariter ideali aut reali.
Quia vero ſe movet, agit cum intrinſece tum extrinſece: un-
de actus alii dicuntur tranſeuntes ad intra, alii ad extra, alii
V. ad intra & ad extra: dum cæteri ſic vocati immanentes non
ſunt, niſi perceptiones, ſeu viſiones tum ſimplices, tum refle-
xæ; tranſeuntes vero ad intra ſunt actus Imaginationis, Me-
moriæ, Cogitationis: ad intra & ad extra ſunt Affectus; ad
extra vero motus progreſſivi. Quicquid de his ſit; non vult
anima, quin ſe moveat, quemadmodum & nihil agit, quin
ſe moveat; ergo voluntas non aliunde, quam a ſe motiva ejuſ-
dem potentia dependet. Confirmatur aſſertum, quia voluntas
non tam eſt acceſſio ad conforme, quam receſſio a deformi;
VI. adeoque duplex eſt, altera poſitiva, ſeu velle, altera negativa,
ſeu nolle; acceſſio autem & aſſenſus, receſſio & diſſenſus non
fiunt, niſi ab eadem & a ſe motiva & intuitiva potentia:

ut

utpote quæ se movet erga bonum & verum, se removet a malo & a falso. Ergo. Tandem agnoscitur Voluntas pro potentia libera: unde vero hæc libertas, nisi a principio libere se movente, h. e. anima? VII. VIII.

Scio negari hanc libertatem 1. ab iis, qui actionum omnium causam proximam & immediatam statuunt Deum. 2. a ponentibus præscientiam ejusdem Dei infallibilem, aut decretum efficax, sive physicam prædeterminationem, fatum Theologicum, aut physicum, astrologicum, stoicum &c. Sed contra primos digladiatum fuit sufficienter *Disq.* 2. Ante igitur, quam ostendamus unde, & in quo proprie consistit Voluntas, e re fuerit (ad perfectam Animæ Theoriam) quamvis alias Medicum haud oleat ista diatribe, alias nostræ libertatis hostes, scilicet posteriores, e republica ejicere ac protelare. Quare incipit

PROPOSITIO I.

Præscientia Dei infallibilis non est motivum sufficiens ad excludendam libertatem causæ liberæ creatæ.

PRobatur; quia aliud est præscire, aliud facere quod præscitur. Præsciat unusquisque V. g. se moriturum; præscientia hæc efficitne, ut moriatur? Sic igitur nec præscientia Dei afficit sive directe, sive indirecte, intrinsece, vel extrinsece potentias liberas creatas. Præterea, si ex divina infallibili præscientia inferreretur læsio libertatis, actus liber esset omnino incognoscibilis: sequela est falsa, ergo & id, unde sequitur. Maj. est evidens: nam valeret a contradict. consequent. ad contradict. anteced. sic; actus liber a Deo cognoscitur: ergo ejus infallibilis præscientia non lædit libertatem. His vero non intendimus probare dari actum liberum creaturæ animalis; sed solum, quod præscientia divina non excludit ejus libertatem; ac propterea supposito actu libero animæ, V. g. rationalis, videndum est, utrum ille præsciri a Deo infallibiliter posset, sive utrum Deo esset cognoscibilis: quandoquidem

omne creatum Deo cognitum debet esse jam usque ab æterno præscitum. Probatur itaque min. Actus liber haberet adhuc suam conformitatem cum objecto, sive veritatem; ergo posset esse alicujus cognitionis objectum: ergo non esset Deo incognoscibilis. Anteced. est manifestum; nam inter alias, hanc saltem veritatem transcendentalem haberet, quod esset actus liber, videlicet procedens a potentia non determinata necessario ad ipsum. Prior conseq. est etiam evidens, quia omne verum est cognoscibile & dicibile: posterior vero est innegabilis; cum supponamus Deum habere intellectum essentialiter & metaphysice determinatum ad dicendum & cognoscendum omne verum. Subsumo itaque; sed si actus liber est a Deo cognoscibilis, præscientia divina non præjudicat illi actui; ergo præscientia divina non præjudicat libertati. Nec obstat infallibilitas ejusdem præscientiæ: quin imo, ex ea infallibilitate ita pro nobis arguitur. Deus præsciens actum liberum animæ volentis diceret eum esse liberum: sed Deus non potest dicere falsum utpote quia infallibilis est illius præscientia; ergo non potest non esse liber ille actus animæ volentis a Deo præscitus. Neque dicas ex præscientia infallibili inferri necessitatem actus præsciti; adeoque auferri contingentiam & libertatem. Nam dico non solum inferri necessitatem, ut ille actus existat, sed etiam, ut ille sit liber: quandoquidem Deus præscivit non solum illum actum exiturum, sed etiam illum fore liberum. Ergo necessitas illata ex præscientia infallibili omnino componitur cum libertate; quia est necessitas actus liberi extituri: necessitas vero, quæ componitur cum libertate actus, non potest esse læsiva libertatis. Est igitur necessitas consequens, qua necessitate necessarium est, quidquid actu existit, vel extitit, vel existet, videlicet ex suppositione quod existat, vel extiterit, vel extiturum sit: ex qua necessitate rursus infertur necessitas actus liberi, eo quod possit esse objectum præscientiæ divinæ infallibilis. Nam ita arguo; si non potest actus liber infallibiliter præsciri, ideo unice est, quia infallibilitas præscientiæ stare non potest cum objecti contingentia; & a contradictorio consequenti ad contradictorium antecedens, quia contingentia objecti reddit fallibilem præscientiam: sed contingentia objecti non po-

test

test reddere fallibilem præscientiam ; Probatur minor quia contingentia objecti stat cum necessitate consequenti, sive ex suppositione, quod sit objectum : quæ necessitas optime salvat infallibilitatem præcognitionis : ergo contingentia objecti non habet reddere fallibilem suam præscientiam. Ulterius, si infallibilitas præscientiæ salvari non potest per solam necessitatem consequentem objecti, fieret, ut nulla cognitio de objecto contingenti etiam absolute præsenti posset esse infallibilis : sequela est falsa; ergo & antecedens. Postremo, illud non pugnat contra libertatem voluntatis creatæ, quod præsupponit exercitium ipsiusmet libertatis : sed præscientia divina de actu libero voluntatis creatæ præsupponit exercitium libertatis creatæ ; ergo non pugnat cum libertate. Maj. constat ex ipsis terminis : mi. probatur. Prius est objectum esse, quam cognosci ; prius est voluntatem creatam elicituram aliquem actum libertatis, quam eundem actum liberum eliciendum a Deo præsciri ; ergo præscientia divina de actu libero voluntatis creatæ præsupponit exercitium libertatis creatæ. Conseq. est manifesta : probatur anteced. Præscientia divina de actu libero non est causa ejusdem actus liberi : ergo prius est voluntatem creatam elicituram aliquem actum liberum, quam eundem actum liberum eliciendum præsciri a Deo. Cum enim præscientia divina sit essentialiter infallibilis, debet vel infallibiliter causare suum objectum, vel idem infallibiliter præsupponere, ita ut existere non possit præscientia divina de aliquo objecto futuro, quin reapse futurum sit illud objectum : ergo si præscientia divina de actu libero voluntatis creatæ non est causa ejusdem actus liberi, prius est in illius mente voluntatem creatam elicituram aliquem actum liberum, quam eundem actum liberum eliciendum præsciri ab ipso Deo. Quod si dicas præscientiam divinam neque priorem esse, neque posteriorem suo objecto; sed concomitanter se habere ad illud, neque impeditur vis nostri argumenti : cum æque certum sit non pugnare cum libertate voluntatis creatæ quod concomitanter se habet ad exercitium ipsiusmet libertatis, quam quod præsupponit ejusmodi exercitium, & quod libertas actus eliciti impediri solum possit ab antecedente ipsummet actum. Jam vero præscientiam divinam de actu libero non

esse

esse ejusdem causam, ita evincitur. Intellectus divinus non debet sibi facere suum objectum, sed est ex suis intrinsecis determinatus ad dicendum & cognoscendum omne verum. Quare bene dices ideo Deum præscire Antichristum V. g. peccaturum, quia Antichristus peccabit; non vero Antichristum peccaturum, quia Deus præscivit: & ratio data fuit in principio, quia nempe aliud est cognoscere, & aliud facere, & divina præscientia non in Voluntate, sed in præsentissima visione consistit.

PROPOSITIO II.

Explicari potest Concursus Dei ad actiones liberas sine ulla libertatis læsione: Ubi exponitur Divinum decretum applicativum Omnipotentiæ ad causas liberas.

Dixi explicari posse (loquor cum eximio Præceptore P. *Hieronimo Saccherio*, e cujus *Tractatu de Anima* M. S. cum hanc, tum præcedentem & subsequentem thesim comprobantia argumenta decerpsi) nam infra propter læsionem libertatis impugnabimus concursum Dei prævisum, seu physicam prædeterminationem. Reducitur autem tota divini Concursus difficultas ad hoc punctum. Non videtur salvari posse, quomodo potentia libera creata libere eliciat aliquem actum, nisi quia determinat & se ipsam, & Deum ad effectionem illius actus: sed hoc sustineri non potest cum necessaria dependentia in operando causæ secundæ a causa prima; ergo divinus concursus cohærere non potest cum libertate potentiæ liberæ, seu voluntatis creatæ. Probatur min. Si voluntas creata determinat & se ipsam & Deum ad effectionem alicujus actus, vel hæc determinatio seu motus voluntatis creatæ est ab ea sola, vel indivisibiliter etiam a Deo; si secundum, redit argumentum; si primum, ponitur in voluntate creata aliquis actus independens a Deo; ergo sustineri non potest cum necessaria dependentia in operando causæ secundæ a causa prima, quod creata voluntas determinet & seipsam, & Deum ad effectionem alicujus actus.

Resp. ad argumentum neg. min. ad cujus probationem neg. pri-

primam partem min. Dico igitur voluntatem creatam determinare & se ipsam, & Deum ad aliquem actum determinatione seu motu indivisibiliter procedente etiam a Deo: neque tamen redit argumentum contra hujusmodi determinationem seu motum. Ratio est, quia voluntas creata non determinat Deum ad agendum per determinationem seu motum, qui sit causa; aut aliquo modo prior divina actione, sed per motum, qui est indivisibiliter ipsa Dei actio. Potentia libera creata determinat se ad suos actus liberos per ipsosmet actus elicitos, ut dicemus *prop.* 5. ita ut illi actus sint exercite & intransitive determinatio ad se ipsos. Quo posito voluntas creata determinabit & se ipsam & Deum ad suos actus liberos V. g. ad amorem boni per judicium, quod conveniat vel deceat amare, non causaliter, sed formaliter per suummet motum consequentem tale judicium. Neque dicas intelligi non posse quomodo idem indivisibilis actus, vel actio procedat a voluntate creata ut se determinante, & a Deo ut determinato, & non potius procedat a Deo ut determinante, & a voluntate creata ut determinata, vel ab utraque simul causa sese concomitanter determinantibus. Nam resp. facile intelligere id posse, qui intelligit eundem indivisibilem actum vel actionem posse ex suis intrinsecis, & essentialiter dicere diversos respectus ad diversos terminos. Quare poterit idem indivisibilis actus creatæ voluntatis, vel actio ejusdem productiva respicere voluntatem creatam ut se determinantem, & Deum ut determinatum: quandoquidem extra hanc controversiam dicere deberemus, quod actus liber sive actio ejusdem productiva realiter, ac vitaliter procedat a voluntate creata, & a Deo pure efficienter. Quod si instes inde sequi, ut ille actus liber, vel actio, prius procedat a voluntate creata, quam a Deo, adeoque eundem actum esse aliquo modo priorem & posteriorem se ipso, quod est inintelligibile, resp. disting. anteced. quod prius procedat a voluntate creata, quam a Deo, prioritate temporis aut naturæ, neg. anteced., sola prioritate rationis, conc. antec, & neg. conseq. Distinctio est manifesta, quia Deus, ut sæpe diximus, non agit ut determinatus a voluntate creata causaliter, quod importaret aliquam prioritatem realem in agendo; sed ut determinatus for-

ma-

maliter per ipsammet determinationem voluntatis creatæ, quod non importat aliam prioritatem, præterquam rationis.

Sed explicandum restat, quo pacto Deus applicet indifferenter, & sine libertatis læsione suam Omnipotentiam ad causas liberas. Itaque rejecto tam decreto, quam gratia, seu qualitate physice prædeterminante, de quibus *in prop. sequent.* semotisque diversis inter se de hac re sententiis, dicimus directe Divinam Omnipotentiam applicari voluntati creatæ existenti per decretum indifferens, quo Deus vult libertatem voluntatis creatæ: videl. quo Deus vult, ut creata voluntas positis aliis prærequisitis ad agendum possit se ipsam determinare ad utrumlibet pro suo libito. Est autem indifferens hoc decretum, non quia indifferens sit ad applicandam vel non applicandam voluntati creatæ Omnipotentiam divinam, quia ex hac parte est decretum omnino determinatum & infallibile, sed quia non applicat divinam Omnipotentiam in ordine ad unum actum potius, quam ad alterum, sed relinquit in potestate voluntatis creatæ, ut seipsam & divinam Omnipotentiam applicatam determinet ad quemcunque actum ipsi possibilem ea voluerit. In summa, est decretum volens determinate potentiam, & indifferenter hunc vel illum actum, indifferentia determinanda per arbitrium voluntatis creatæ. Neque dicas hoc pacto non satis intelligi objectum hujusmodi decreti: nam potentia libera creata includit essentialiter divinam Omnipotentiam sibi indifferenter applicatam; ergo si hoc decretum vellet potentiam liberam voluntati creatæ, vellet partialiter etiam se ipsam. Nam resp. illud decretum velle exercite se ipsam, non vero signate ac reflexe. Quo posito probatur nostra sententia. 1. Debet poni dependentia in operando creaturæ a Divina voluntate, quam maxima potest, sine contradictione: sed major est dependentia, si creatura indigeat in operando Dei positiva voluntate, quam si non indigeat; & ista dependentia nullam implicantiam involvit: Ergo dicendum est divinam Omnipotentiam applicari causis secundis per aliquod decretum positivum, non per determinatum ad unum actum potius quam alterum, ubi est sermo de causis liberis; ergo per decretum indifferens. Maj. videtur constare ex terminis;

nis: cum debeamus sentire quam optime possumus sine implicantia de supremo Dei dominio & summa subjectione creaturæ ad Deum: Min. præterquam quod videtur etiam ex ipsis terminis manifesta, ita suadetur. Non magis subjacere debet causa secunda divinæ Omnipotentiæ, quam divinæ voluntati, sed ita subjacet causa secunda divinæ Omnipotentiæ, ut indigeat in operando positivo ejusdem concursu: Ergo ita etiam subjacere debet divinæ voluntati, ut indigeat in operando positiva ejus volitione. Maj. est per se manifesta: Min. admittitur ab Adversariis, & est alibi probata. Neque enim divina Omnipotentia concurrit cum causa secunda, V. g. igne ad productionem alterius ignis pure negative, eo quod non producat in materia igni approximata formam incompossibilem cum forma producenda: vel quia non removeat ab eo igne materiam incombustibilem, vel alio quovis modo non impediat productionem alterius ignis: sed concurrit positive efficiendo simul cum igne alterum ignem. Igitur similiter sentiendum est de voluntate divina. Atque hæc quidem ratio & valet ad probandam primam partem illius min. & afferri etiam potest ad confirmandam directe nostram sententiam. Probatur 2. quia sicut ponitur ad applicationem divinæ Omnipotentiæ necessaria negatio decreti divini impeditivi; ita etiam poni potest decretum positivum, quo velit non impedire, sed relinquere in potestate voluntatis creatæ, ut ea se determinet ad quemcunque actum voluerit. Prob. anteced. manifeste; quia si aliqua voluntas potest exercite carere aliquo actu, potest etiam reflexe velle negationem illius actus, cum & hæc carentia sit objectum volibile: sic voluntas, quæ potest non amare, potest etiam per actum positivum velle non amare. Itaque si Adversarii salvant sine ulla implicantia divinam Omnipotentiam applicatam creatæ voluntati existenti per intimam præsentiam divinæ Omnipotentiæ, cum ea voluntate, & negationem decreti positivi impedientis operationes voluntatis creatæ, poterit etiam sine ulla implicantia idem salvari per decretum positivum non impediendi operationes illius voluntatis: hoc autem decretum positivum erit nostrum decretum indifferens, il-

lud videlicet quo Deus determinate & efficaciter vult libertatem voluntatis creatæ, sive ut creata voluntas positis aliis prærequisitis ad agendum possit pro suo libito agere & non agere, sive determinare se & Deum ad quam partem voluerit. Cæterum in hac nostra sententia optime salvatur, quod Deus permissive se habeat ad actum malum voluntatis creatæ. Dicimus enim Deum applicare suam Omnipotentiam eidem voluntati creatæ per decretum indifferens, quo vult eam esse proxime liberam ad suos actus positis aliis prærequisitis ad agendum; & hujusmodi decretum optime stare cum pura permissione actus mali; quod sic probo: Hujusmodi decretum optime stat cum eo, quod Deus non inclinet voluntatem creatam ad actus malos, imo eam deterreat ab iisdem per minas & terrores incussos; ergo prædictum decretum optime stat cum eo, quod Deus pure permissive se habeat ad actus malos. Anteced. est manifestum: nam Deus volendo potentiam liberam ad utrumque, potest nihilominus, quantum est in se inclinare ad unam partem, & deterrere ab altera, scilicet voluntate inefficaci non læsiva libertatis. Consequen. est pariter manifesta. Nam si Deus non inclinat ad actus malos, sed ab iisdem deterret; neque tamen impedit actus malos potens eos impedire, intelligitur illos actus pure permittere ex notissimo conceptu permissionis, quæ includit potentiam impediendi cum duplici negatione, videlicet inclinationis & impeditionis. Ergo.

PRO-

PROPOSITIO III.

Ad actus liberos Voluntatis creatæ non datur physica Prædeterminatio.

PRæter concursum universalem, seu concomitantem, de quo supra, ponunt aliqui desuper concursum Dei prævium ad effectus causarum secundarum; atque volunt Deum solum agere in ipsas causas creatas, hasque movere & applicare ad agendum. Concursum autem hunc vocant phisicam prædeterminationem ad omnes effectus causarum secundarum etiam liberarum adeo necessariam, ut 1. sine ea nihil fieri possit ab agente creato, 2. sit infrustrabilis ita quod impossibile sit non sequi eum effectum, ad quem ea datur a Deo, 3. demum sit soli Deo libera ab ejusque puro nutu dependens; quamque Deus tribuat, cui vult, nullo expectato creatæ voluntatis consensu. Talem itaque concursum, talemque prædeterminationem sustineri non posse duplici via demonstrabimus in hac Thesi; & primo indirecte, quod nempe officiat libertati voluntatis creatæ: quam libertatem esse propriam in quarto modo creaturæ spiritualis luculenter ostensum est cum *in Disq.* 2. tum *in Disq.* 3. in responsionibus ad objectiones Adversariorum. Secundo directe ex multis capitibus.

Circa prius, multis haud opus est; cum abunde pateat, ex suppositione, quod Deus potuerit creare, prout de facto creavit, & quotidie creat causas liberas, i. e. creaturas spirituales *ex Disq.* 4. velle illum, & non velle eas esse liberas. Quo non obstante argumentor sic: Causa libera est illa, que positis omnibus prærequisitis ad agendum potest agere & non agere; atqui admissa physica prædeterminatione non potest creata voluntas positis omnibus prærequisitis ad agendum agere & non agere: Ergo admissa physica prædeterminatione voluntas creata non est libera. Probatur min. Tum creata voluntas positis omnibus prærequisitis ad agendum non potest agere & non agere, quando unum ex prærequisitis ad agendum esset incompossibile cum non actione: sed admissa prædeterminatione

physica unum ex prærequisitis ad agendum esset incompossibile cum non actione. Ergo. Min. est Adversariorum docentium nullam actionem voluntatis creatæ possibilem esse, quam non præcedat physica prædeterminatio incompossibilis cum non actione, ut constat ex duobus primis prædicatis attributis physicæ prædeterminationis. Aliter: cui non est liberum antecedens infallibiliter trahens aliquod consequens, neque est liberum illud consequens; sed homini prædeterminato ad aliquem actum V. g. ad amorem non est libera prædeterminatio infrustrabiliter trahens amorem: ergo homini prædeterminato ad amorem non est liber amor. Aliter: physica prædeterminatio excludit ab homine libertatem contrarietatis, quæ tamen in aliquo saltem casu ab omnibus admittitur; ergo est rejicienda. Probatur antec. nam homo prædeterminatus ad amorem V. g. objecti A non est liber ad odium ejusdem objecti, quia caret potentia eliciendi odium; prædeterminatus ad odium non est liber ad amorem, quia caret potentia eliciendi amorem: carens autem utraque prædeterminatione sive ad amorem, sive ad odium nullam habet libertatem sive ad amorem, sive ad odium, quia libertas stare non potest sine potentia, quæ non reperitur in homine carente omni prædeterminatione ad quemcunque actum juxta dogma Adversariorum. Igitur admissa physica prædermінatione nullus unquam esset actus, in quo creata voluntas esset libera libertate contrarietatis &c.

Circa posterius modum scilicet directum, impugnatur physica prædeterminatio primo ratione naturali, quæ est ista: si ad actus liberos voluntatis creatæ esset necessaria physica prædeterminatio, nullum aliud inter causas liberas & necessarias posset assignari discrimen, nisi quod causæ liberæ in sensu diviso a physica prædeterminatione sunt indifferentes ad utrumlibet; & contra, causæ necessariæ sint per se determinatæ ad unam partem; sed hujusmodi discrimen est nullum, tum, quia causæ necessariæ præcisa applicatione divinæ Omnipotentiæ sunt etiam indifferentes ad agendum vel non agendum (sunt enim materiales, & de essentia materiæ est, ut per se non agat, i. e. sit a se immobilis *per Disq.* 1.) tum, quia in causis etiam liberis manifestum est

non

non sufficere ad rationem actus liberi, quod sint indifferentes ad agendum vel non agendum in sensu diviso ab aliquo impedimento ipsi non libero & omnino inauferribili. Sic homo vinctus catenis indissolubilibus ipsi non liberis neque mediate, neque immediate est liber ad currendum, licet præcise ab illis catenis sit indifferens ad currendum, vel non currendum. Patet ergo nullitas discriminis allati, nullamque adeo inter causas liberas & necessarias, inter hominem V. g. & saxum intercedere differentiam, si ad actus liberos voluntatis creatæ sit necessaria physica prædeterminatio. Secundo ex divinis attributis. Si enim Deus physice prædeterminat ad actum bonum, etiam physice prædeterminat ad actum peccaminosum: hoc autem manifeste pugnat contra Sanctitatem, quia in hac sententia Deus non se haberet pure permissive ad peccatum, sed illud proprie & per se operaretur, essetque author illius actus. Pugnat contra Fidelitatem; nam ex D. *Paulo: Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet ex tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Pugnat contra Justitiam: nam reprehendi, culpari & damnari juste non potest, qui deliquit sine sua culpa carens requisito necessario ad non delinquendum. Similiter ostendi potest physicam prædeterminationem pugnare contra Veracitatem & Sapientiam, aliaque attributa ejusdem Dei. Etenim rursus ex D. *Paulo*: *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; Ergo ut salvetur Dei veracitas ita loquentis per *Paulum*, debet Deus ita se gerere cum hominibus, ut per ipsum non stet, quo minus omnes salventur juxta illud, *Perditio tua ex te Israel*; & *Isajæ* hoc aliud: *Quid amplius debui facere vineæ meæ, & non feci? expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas*. Hoc autem salvari non potest in sententia prædeterminantium, ut qui volunt non tam esse necessariam physicam prædeterminationem, quam infrustrabilem; & quod impossibile sit non sequi eum effectum, ad quem ea datur a Deo, cui quoque soli volunt esse liberam. Tandem insipiens fuisset Christi & Apostolorum prædicatio; insipiens adhortatio ad bonum; insipientes minæ & terrores incussi Peccatoribus ad eos averten-

ten-

tendos a malo; insipientes Dei reprehensiones & querelæ contra eosdem peccatores. Quod ut planius fiat examino citatum textum *Isaiæ* 5. *Expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas*. Itaque expectabat Deus ab hominibus non prædeterminatis ad opera bona, ut facerent opera bona: sed ista expectatio fuisset omnino insipiens & stulta, si stet doctrina Adversariorum, utpote expectatio rei impossibilis, & infallibiliter nunquam eventuræ; ergo sententia asserens physicam prædeterminationem pugnat contra Dei Scientiam & Sapientiam. Tertio ex Scriptura: Ecclesiastici 15. habetur; *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui: Abjecit mandata & præcepta sua; si volueris mandata servare, conservabunt te: Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam: Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi &c.* Hæc autem omnia falsa essent, si requireretur ad agendum physica prædeterminatio infallibilis & soli Deo libera. Ita enim arguo: Deus reliquit hominem in manu consilii sui; ergo in hominis potestate stant ejus actiones: Sed non stat in potestate hominis physica prædeterminatio; ergo etiam posita physica prædeterminatione erit in hominis potestate agere vel non agere; ergo physica prædeterminatio non erit absolute infrustrabilis. Quarto ex Auctoritate Conciliorum, quæ auctoritas compendiario videri potest apud *Tridentin. sess.* præsertim *6. can. 4. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium &c.* Quinto ex Gratia pure sufficienti; circa quam (ne quid insuper omisisse videamur, quod in hac materia, Medicum Physicum condire possit) non gravabimur adhuc paululum immorari. Est Gratia pure sufficiens secundum communem sententiam Theologorum, quæ quantum est de se sufficit ad opus bonum, sed re ipsa ab eo non distinguitur: gratia vero efficax est illa, quæ suum effectum habet, nec distinguitur ab ea operatione, ad quam ea datur. Jam ergo sic argumentor: si gratia efficax, scilicet habens suum effectum esset physice prædeterminans, sequeretur omnem hominem peccantem, & omnem non bene operantem carere auxilio sufficienti: sequela est falsa; ergo gratia efficax videl. habens suum effectum, non est physice prædeterminans. Mi.

est

est certa : dari quippe gratiam sufficientem liquet rursus ex *Paulo* 2. ad Corinth. 1. ubi: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; ergo ex mente ejusdem *Pauli* datur gratia, quæ potest in vacuum recipi : secus frustranea fuisset adhortatio, adeoque datur gratia pure sufficiens. Item in Bulla Innocentii X. contra Jansenium dum damnatur 2. istius propos. *quod interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur*, damnatur consequenter, *quod non detur gratia, cui resistatur* : gratia autem, cui resistitur, est gratia pure sufficiens, ut contradistincta ab efficaci; cum sit illa, quam quis potest operari; sed re ipsa non operatur. Præterea dum damnatur 1. ejusdem Jansenii prop. videl. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia : deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*, manifeste declaratur dari gratiam pure sufficientem. Hoc idem ulterius confirmatur pluribus aliis S. Scripturæ locis, & auctoritate Concillior. Arausicani 2. Senonensis, & Tridentini definientium posse liberum hominis arbitrium dissentire Deo vocanti; & denique ex hoc, quod cum a nemine denegetur concursus Dei universalis ad actus liberos voluntatis creatæ, non videtur esse aliud iste concursus, quam gratia pure sufficiens, ut consideranti patescit. His positis jam probatur maj. pop. nostri argumenti sic: omnis homo carens auxilio omnino necessario ad operationem, quam pro suo libito & diligentia aquirere non potest, caret auxilio sufficienti ad talem operationem; sed omnis peccans & non bene operans ita se haberet, si gratia efficax, videlicet habens suum effectum esset physice prædeterminans; ergo si gratia efficax est physice prædeterminans sequeretur omnem hominem peccantem aut non bene operantem carere auxilio sufficienti. Min. est manifesta in doctrina Adversariorum dicentium physicam prædeterminationem, sive (in re præsenti) gratiam physice prædeterminantem non esse in potestate liberi arbitiri creati, esseque omnino necessariam ad operationem: maj. constat ex ipsis terminis, quia non datur sufficientia ad operandum, ubi deest aliquod essentiale requisitum ad operationem, quod non est in operantis potestate.

Oppo-

Opponunt nihilominus Adversarii sufficienti huic gratiæ Achillem suum Theologicum, qui talis est: Ea gratia est admittenda a Catholicis, quam asserebat *Augustinus*, negabant *Pelagius* & *Semipelagiani*: sed gratia asserta ab *Augustino*, negata a Pelagio & Semipelagianis est physice prædeterminans; ergo ea sola a Catholicis est admittenda. Probant jam vero min. 1. hoc modo: Sola gratia physice prædeterminans potest a viro sapiente pati hanc difficultatem, quod ea tollat libertatem: At *Pelagius* ex confessione ipsius *Augustini* erat vir sapiens, opponebatque gratiæ Augustinianæ, quod ea tolleret libertatem; ergo gratia asserta ab *Augustino*, negata a *Pelagio* & *Semipelagianis* est gratia physice prædeterminans. Min. constat legenti Augustinum; maj. videtur manifesta ex terminis. Nam non nisi insipiens opponere potest gratiæ indifferenti & componibili cum arbitrio libertatis creatæ cum assensu vel dissensu, quod ea tollat libertatem: & si Augustini mens & doctrina fuisset de gratia ita indifferenti, non valde laborasset, nec tantum sudoris, studii & laboris insumpsisset in refellenda Pelagii calumnia & objectione. Jam vero eadem min. probatur 2. ex plurimis locis *Augustini*, in quibus exigit a *Pelagio*, ut fateatur non solum gratiam, qua noverimus quid agendum sit, quaque possimus bene velle & operari; sed etiam, qua diligamus, quid recte faciendum noverimus, quaque bene velimus & operemur: hæc autem gratia est ipsissima gratia physice prædeterminans contradistincta a gratia indifferenti, quæ dat solum posse, non vero ipsum velle & operari.

Resp. disting. maj. ea gratia est sustinenda a Catholicis, quam asserebat *Augustinus*, negabant *Pelagius* & *Semipelagiani*: est sustinenda secundum eam partem doctrinæ approbatam ab universali Ecclesia, conc. maj. secundum totam latitudinem doctrinæ Augustinianæ, neg. maj. & hoc modo disting. pariter min. gratia asserta ab *Augustino*, negata a *Pelagio* & *Semipelagianis* est physice prædeterminans secundum aliquem sensum, conc. min. secundum totam latitudinem, neg. min. Explico distinctionem, & dico non fuisse approbatam tanquam de fide ab Ecclesia totam doctrinam *Augustini* in materia *de Gratia*, sed solum eam partem, in qua proponit illius necessitatem ad

opera

opera salutaria conducentia ad vitam æternam, atque etiam ad initium ipsiusmet fidei. Hinc *Arausicanum* II. post plurimos Canones ex S. *Augustini* libris contextos ita colligit sub finem: *Ac sic secundum supra scriptas Sacrarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante & prædicare debemus & credere; quod post peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportet, aut credere in Deum; aut operari propter Deum quod bonum est possit, nisi gratia etiam & misericordia divina prævenerit.* Et *Cœlestinus* I. post redactam in canones doctrinam *Augustini*, quæ est de Peccato originali, & de necessitate divinæ gratiæ prævenientis & adjuvantis, concludit. *Profundiores difficilioresque partes intercurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt* (intellige Augustinum) *sicut non debemus contemnere, ita nec necesse habemus adstruere: qui ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil subtrahendum penitus est, satis sufficere credimus, quicquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum quod apparuerit præfatis sententiis esse contrarium.* Itaque approbata est ab Ecclesia & in canones redacta doctrina *Augustini* secundum quod contradictorie opponitur *Pelagio* & *Semipelagianis* negantibus peccatum originale, gratiæque divinæ excitantis & adjuvantis necessitatem, & in sola creatæ voluntatis natura ponentibus omnimodam sufficientiam ad opera salutaria conducentia ad vitam æternam: non autem secundum quod refellit objectiones *Pelagii & Semipelagianorum*, quarum aliquæ potuerunt esse ad hominem contra positivam *Augustini* doctrinam, & non ab immediate tuendam propriam sententiam. Hinc ad priorem probationem min. præfati Syllogismi disting. maj. Sola gratia physice prædeterminans potest pati hanc difficultatem, quod ea tollat libertatem in sensu composito cum tali gratia, conc. maj. in sensu diviso a gratia, neg. maj. & distincta pariformiter min. neg. consequen. Explico; *Pelagius* volebat liberum hominis arbitrium esse per se ipsum, & præcisive a

quacunque Dei gratia supernaturali, scilicet auxilio creaturæ rationali indebito, esse, inquam, de se sufficiens ad omnia opera salutaria: hanc libertatem negabat *Augustinus*, dicebatque nihil boni conducentis ad vitam æternam posse liberum arbitrium sine Dei adjutorio. Itaque non impugnabat *Pelagius* gratiam Augustinianam, ex eo quod poneretur ab *Augustino*, intrinsece infrustrabilis; ac propterea creata voluntas composita cum hujusmodi gratia non esset libera & indifferens ad utrumlibet: sed impugnabat illam gratiam ut defensam ab *Augustino* soli Deo liberam & necessariam ad omnes actus salutares, unde fieret, ut liberum arbitrium destitutum hujusmodi gratia nec posset boni aliquid conducentis ad vitam æternam immediate operari, quia carens auxilio omnino necessario; nec mediate, quia non potens ulla ratione sibi comparare ejusmodi auxilium soli Deo liberum. Propterea coacervabat *Pelagius* plurima Scripturæ loca, in quibus proponitur liberum voluntatis arbitrium: respondebat *Augustinus* se non negare, sed tantum quod sine gratia, Deique adjutorio non sit in voluntate creata plena & perfecta sufficientia ad opera salutaria conducentia ad vitam æternam. Hinc potius retorqueri potest *Augustinus* contra Adversarios. Nam si *Augustinus* posuisset gratiam physice prædeterminantem, *Pelagius* vir sapiens non solum objecisset inde auferri libertatem (arbitrii precise a tali gratia) sed multo magis auferri libertatem in sensu composito cum tali gratia; atqui hoc secundum non objecit *Pelagius*, ut constat ex libris *Augustini*; ergo gratia asserta ab *Augustino* non erat physice prædeterminans. Ad secundam probationem ejusdem min. dico *Pelagium* demum visum fuisse admittere aliquam gratiam non solum externam, sed etiam internam, non eam tamen, quæ catholice admittenda esset. Volebat enim gratiam ejusmodi totam esse in lege & doctrina, qua scilicet noverimus quid recte agendum sit: neque aliud agnoscebat Dei adjutorium ad bene agere, præter hanc ipsam legis divinæque doctrinæ notitiam, eaque qualicunque gratia illuminativa adjuvari solam naturæ possibilitatem, & non item bonam voluntatem & operationem. Eum re-

pre-

prehendebat *Augustinus* exigebatque, ut præter hujusmodi qualemcunque gratiam illuminativam Intellectus admitteret etiam gratiam inflammativam Voluntatis, quam vocant Charitatem diffusam in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis: Charitatem, inquam, indeliberatam, quam Deus operatur in nobis sine nobis, non physice, sed libere & moraliter operantibus: qua charitate accensi adjuvamur tum ad bene volendum, tum ad bene operandum. Itaque dum *Augustinus* exigit gratiam, qua bene velimus & operemur, subintelligi debet, *si bene volumus & operamur*, adeo ut non solum possibilitas naturæ, sed ipsa etiam bona voluntas & operatio non sit sine Dei adjutorio. Cæterum non exigere *Augustinum* gratiam, qua infallibiliter, & præcedenter bene velimus & operemur, manifeste constat ex divisione gratiæ ab *Augustino* tradita. Nam gratia actualis (neque enim sermo hic est de gratia habituali sanctificante) sive gratia auxilians dividitur ab ipso in Excitantem, & Adjuvantem; in Antecedentem, & Comitantem; Prævenientem & Subsequentem; Operantem, & Cooperantem. Vult autem quod gratia Excitans, Antecedens, Præveniens, & Operans (quæ nomine tenus differunt) sit in potestate (si sermo sit de prima gratia) solius Dei: at gratia adjuvans (non in actu primo, quæ idem est atque Excitans, sed in actu secundo ut talis) gratia Comitans, Subsequens, & Cooperans sint in potestate liberi arbitrii potentis pro suo libito consentire, vel dissentire. Ita *Augustinus l. de Peccatorum meritis & Remissione* c. 17. *Ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur* (scilicet in actu secundo) *ipsis itidem causa est, non in Deo*: & in *Enchirid. c.* 32. *Deus hominis voluntatem & præparat adjuvandam & adjuvat præparatam: & l.* 1. *de Libero Arbitrio c.* 17. *Quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: utque velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Per illa particulas, *Deus operatur, ut velimus*,

intelligit *Augustinus*, de voluntate indeliberata, sive gratiam effectivam, quam Deus operatur in nobis sine nobis libere operantibus: per illas autem; *cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus*, intelligit voluntatem deliberatam, seu liberam, adeoque meritorium voluntatis consensum ad gratiam divinam prævenientem, excitantem, antecedentem, & operantem: Sic *Psal.* 58. *Misericordia ejus præviniet me*, & *Psal.* 22. *Et misericordia ejus subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*; & in Oratione Ecclesiæ: *Tua nos, quæsumus Domine, gratia semper præveniat & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos:* & in altera Oratione valde usitata: *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere* &c. atque his similia. Verum satis extra aleas.

PROPOSITIO IV.

Fatum nihil ad nos.

I. PHysicorum nonnulli in causa eorum, quæ in hoc visibili contingunt, non exceptis etiam humanis, arguunt Fatum. Fatum vero hoc appellant ordinem in causis naturalibus effectus suos infallibiliter inferentibus; estque vel Theologicum, vel Astrologicum, vel Physicum, vel Stoicum. Theologicum dicitur æternum Dei decretum de omnibus rerum eventibus in præcipendo, agendo, permittendo & determinando consistens: Astrologicum, Vis quædam astrorum in corpora inferiora influentium varie ista regens ac dirigens: Physicum, omnium causarum naturalium ordo effectus necessarios inferens: Stoicum denique, absoluta rerum necessitas ex syderum influxu aliarumque causarum connexu orta, omnes actiones cum humanas, tum divinas respiciens. Nos, ut non denegamus hunc ordinem in facto actionum provenientium a causis a se immobilibus, seu minime liberis, de quibus egimus *Disq.* 1. ita non admittimus eundem in facto actionum provenientium ex causis se a se moventibus, sive liberis. Hinc quid sentiendum sit de æterno Dei decreto, seu Fato Theologico, elucescit ex *præcedentibus prop.* Decretum enim Dei

non

non est, ut rei cujuspiam naturam propriam evertat, sed ut cum liberis libere, cum contingentibus contingenter, cum necessariis necessario, cum fortibus fortiter, cum debilibus debiliter concurrat; adeoque naturaliter loquendo nec cogit, nec otiosus rerum a se productarum spectator est, sed adstat illis ut Opifex, ut Rector perpetuus. De Fato Astrologico quod in totum dixerim, mera fictio est. Imperiorum enim ortus & occasus, humanarumque actionum eventus ab astris derivare, id est divinam Providentiam destruere & rerum naturam evertere. Et quod Physicum, dicimus iterum admittere nos seriem causarum ex elementis in materiam seminalem, non aliam. Nam Fatum quodlibet ad voluntatem nostram trahere, est homini liberum arbitrium detrahere, Deumque gloriosum mundi rectorem & creatorem culpare: admittimus, inquam, ex dictis caussis fieri æstus, frigora, ventos, pluvias &c., non autem cogitationes nostras & actiones. Stoicum denique Fatum de industria relictum est. Quid enim stultius, quam Deum facere non Deum, & hominem non hominem? si tamen vera sunt, quæ de Stoicis memorant; eos nempe omnia fatali adscripsisse necessitati, Deumque ipsum caussarum naturalium subjecisse legibus, quod sentire impium & blasphemum est.

C O R O L L A R I U M.

Collige ex quatuor præcedent. prop. Animam, prout fertur a Scholasticis, non necessitari ab extrinseco necessitate saltem contradictionis, i. e. quoad exercitium. Nam quod pertinet necessitatem contrarietatis, i. e. quoad speciem, aut apparentiam, planum est illam sæpius non esse liberam; in quantum nempe quod eadem sentiendo non potest non sentire, percipiendo non potest non percipere &c. Nunc haud necesse est probare eandem esse liberam ab intrinseco; cum hoc pateat *ex def.* Quippe scilicet cum sit natura a se mobilis, est tam extrinsece, quam intrinsece libera; ergo non necessitatur ab intrinseco; & necessitas, qua necessitatur V. g. ad assensum vero evidenter cognito, est necessitas sibi a se imposita, utpote qua carere potest non spectata conformitate rei cum objecto, utpote quam liberrime poterat vel spectare, vel non spectare: sed spe-

spectata ejusmodi conformitate: tam quoad apparentiam, quam quoad convenientiam, quoad verum scilicet, & quoad bonum sibi evidenter cognitum, nequit non assensum præstare talibus intuitionibus, quemadmodum declaratum fuit ubi de Judiciis.

PROPOSITIO V.

Anima se determinat ad agendum ex intuitione reflexa super sua Judicia.

I. INter motivum & determinativum hæc intercedit differentia, quod ex motivo, tanquam objecto, movet se se anima ad agendum simpliciter; ex determinativo autem movet se se eadem ad agendum efficaciter, h. e. cum determinatione certa & actuosa. Sed de motivo dictum fuit supra, *in prænot. ad*
II. *subsect. præceden.*, quod attinet determinativum, ponimus impræsens animam determinare se se ad agendum cum intrinsece, tum extrinsece per intuitum reflexum super propria judicia. Res est experimentaliter manifesta; nam cum volumus, sive determinamus nos ad agendum aliquid V. g. intrinsece, puta ad quærendam aliquam similitudinem cum objecto, intantum nos determinamus, in quantum quod respicimus ad judicium, quod nempe deceat, aut conveniat ita agere, sive quærere talem ideam similem, ex qua resultet conformitas cum dicto objecto: cum determinamus nos ad agendum aliquid extrinsece, ideo nos determinamus, quia respicimus ad judicium, quod conveniat ita nos gerere. Ergo. Propter quod non inscite *Cartesius*: *Mihi propria arma* (inquit *Tract. de Passion. l. 1. art. 44.*) *dicuntur judicia firma & determinata de cognitione boni & mali, secundum quæ decrevit unusquisque actiones vitæ suæ dirigere*. Erunt itaque judicia, ad quæ mens respexerit, ipsius determinativa. Sed quandoquidem Judicia, ut suo loco dictum fuit, resultant ex conformitate rei cum obje-
III. cto; & hæc conformitas est vel secundum similitudinem, sive apparentiam, vel secundum aptitudinem, seu convenientiam, non putandum est idcirco quodlibet judicium determinare eandem animam ad agendum; verum duntaxat, quæ involvunt

con-

convenientiam, aut disconvenientiam. Ita namque sive convenientia, sive disconvenientia propius rem tangit & specialius, quam similitudo, quæ est magis universalis. Quare dicitur Bonum & malum determinare animam ad agendum, non autem Verum & falsum. Bonum enim est, quod convenit (quippe quod convenit, bonum est, & quod bonum est, convenit) non ita Verum &c. Sed de tali determinativo fusius postea.

PROPOSITIO VI.

Anima determinata secundum judicium affirmativum dicitur velle, seu Voluntas; secundum Judicium vero negativum dicitur nolle, seu Noluntas.

Conclusio hæc est etiam ex ipsis terminis manifesta. Cur enim volumus aliquid habere, vel facere? quia convenit id habere, vel facere; ergo anima reflectens supra hoc judicium se determinat ad id habendum, vel faciendum, & anima sic determinata dici debet, quod vult habere, vel facere. Cur item nolumus aliquid habere vel facere? quia eadem anima reflectens supra judicium, quod non convenit id habere, vel facere se determinat ad idem non habendum, aut faciendum; & propterea negat idem habere vel facere. Quo posito Voluntas eritne una eademque potentia, idem indivisibilis actus? Non; sed quot determinativa, tot erunt actus vel volitivi, vel nolitivi. I.

Horum actuum diversas species noverunt Philosophorum complures; inter quos *Scaliger: Est appetitus*, *inquit Exercit.* 307. *sect.* 3. *ante Voluntatem*; i. e. *ante actum ipsum, quo quid volumus: volitionem Barbari nostri tam nove, quam necessario: Est appetitus secundo modo dictus, qui est cum voluntate, non idem cum ea tamen. Nam cuique animantium datus est appetitus salutis atque conservationis suæ: Tertio modo accipi appetitum animadvertunt acutiores in usu Veterum, videlicet pro intensa Voluntate, quam nonnulli Concupiscentiæ nomine declarant* &c. imo *Aristoteles* appetitiones in homine plures fecit sedibus naturæ & causis efficientibus proximis & remotis distinctas, II.

quasque

quasque idem distinguit nominibus etiam βέλησιν vocans voluntariam appetitionem θυμὸν sensitivam, seu comitantem sensus cordi propriam, ἐπιθυμίαν naturalem inhærentem membris;
IV. τὸ θρεπτικὸν, partis nutriendæ. Sed nos appetitum vocamus motum animæ ad objectum citra reflexionem, Voluntatem autem motum, qui fit cum determinatione reflexa. Et hinc motum
V. animæ determinatum ex judicio V. g. sensitivo appellamus voluntatem sensualem; ex judicio cognoscitivo corporeo-naturalem, sive Materialem; ex intellectuali intellectualem &c. adeout, quot judiciorum tot sint species voluntatum. Unde etiam colligo, quam inutiliter se macerent nonnulli in quærendo utrum
VI. Intellectus magis late pateat, quam Voluntas, aut e contra. Nam si eadem intuitivo-a se motiva potentia, Anima agit cum intellective, tum volitive, quid est, quod major illa latitudo quæratur? Nihilominus, si ejusmodi quæstioni se se immiscere quispiam forte gestiret, Intellectus partes tueri teneretur contra *Cartesium*, qui *Medit.* 4. ampliorem sphæram tribuit Voluntati, 1. ex principio lumine naturæ, ipsaque experientia notissimo, *Nihil volitum, quin præcognitum*. 2. quia quilibet voluntarius actus pendet ex judicio, sive simplici, sive reflexo, prout modo asserebamus: judicium autem opus est intuitivæ i. e. intellectivæ, non vero a se motivæ, i. e. volitivæ facultatis.

PROPOSITIO VII.

Qui distinguantur Voluntarii actus ab Intellectualibus?

I. SEd, inquies, si una eademque potentia est, quæ intelligit, & vult, volitivi actus erunt etiam intellectivi, & e contrario, quod est absurdum. Resp. differre inter se hos actus 1. ratione originis. Actus quippe intellectivi inchoantur cum motu, & plerumque continuantur absque illo, ut adnotavimus *in præced. Subsect.* actus vero volitivi inchoantur cum intuitione, h. e. sine motu, & perpetuo continuantur cum eodem, juxta
II. titulum præsentis Subsect. 2. ratione causæ; causæ namque actuum intellectivorum sunt perceptiones, aut ideæ; causæ vero volitivorum sunt judicia, & quidem de convenientia rei cum objecto,

objecto, non vero de similitudine. 3. ratione tendentiæ, quæ in actibus intellectivis est duntaxat intrinseca, in volitivis autem etiam extrinseca. Per varios igitur nunc se se movendi & intuendi, nunc intuendi & se movendi modos, & propter diversa objecta nunc conformia, nunc difformia, & conformitate, vel difformitate modo similitudinem aut dissimilitudinem dicente, modo vero convenientiam aut disconvenientiam rei cum, vel ab objecto, una eademque intuitivo-a se motiva, vel III.
a se motivo intuitiva potentia, Anima nunc intellective, nunc agit volitive, id quod ulteriori explicatione non eget. Hinc assensus in præmissis propositionibus, & in conclusionibus, vel dissensus, qui Intellectui vulgo tribuuntur, propriori modo pertinent ad Voluntatem. Sunt enim actus sequentes visionem conformitatis, vel difformitatis; quamobrem juxta primam distinctionem, h. e. ratione originis, sunt potius volitivi, quam intellectivi.

Sed missa origine, distinguere maluimus volitivos actus ab IV.
intellectivis ratione progressus; quod nimirum illi continuentur cum, hi vero sine motu. Quamobrem actus proprie volitivi videntur esse Affectus, seu Passiones, & ex his nonnunquam V.
profluentes actus cum Virtuosi, tum Vitiosi, Habitus, & Motus corporis progressivi ob id pariter Voluntarii dicti. Hi enim actus continuantur cum motu, dum nimirum anima vult, aut negat se movere ad objectum ex judicio affirmativo, vel negativo de se movendo ad illud, quemadmodum supra dicebamus; & sive eadem simpliciter se se moveat, h. e. inconsulto & indeliberate, sive reflexe, cum determinatione, videlicet in actu primo æque ac secundo. Priusquam tamen ad tales actus descendamus, præstat adhuc dum noscere ejusmodi determinativa, in eorumque quidditatem inquirere.

PROPOSITIO VIII.

Enuntiantur Judicia, ad quæ respiciens anima vult, aut non vult agere.

SUpra itidem, *prop.* 5. manifestatum fuit judicia, supra quæ anima potissimum reflectit, involvere convenientiam, aut disconvenientiam, quod nimirum hæc majorem dicat relationem cum objecto singulari, quam conformitas similitudinis, utpote quæ magis est universalis. Sic convenientia objecti cum sensibus, aut cum esse nostro materiali, aut humano, aut denique spirituali nobis evidentior est, quam conformitas ejusdem objecti cum nostris ideis quoad speciem, h. e. similitudinem,
I. aut apparentiam. Propterea motivum se movendi ad, vel ab objecto magis concernit conformitatem convenientiæ aut disconvenientiæ ejusdem objecti, quam similitudinem: & per consequens judicia de tali motivo magis determinant mentem ad agendum, quam judicia de conformitate apparenti, si eadem
II. mens super illa reflectat. Erunt itaque determinativa ex judicio sensuali, quæ conveniunt, aut non conveniunt sensibus: ex judicio cognoscitivo, quæ conveniunt, aut non conveniunt esse huic nostro materiali: ex judicio intellectuali, quidquid hominem decet, vel dedecet: ex judicio scientifico, quod convenit, aut non convenit esse nostro spirituali. Probatur: illud quippe ponitur a judicio sensuali, quod actu sensatum videtur conforme cum idea de eodem objecto antehabita, sed quod
III. convenit, aut disconvenit sensui tale est; ergo quod convenit aut disconvenit sensui ponitur a judicio sensuali; & hoc positum erit determinativum mentis ad agendum, si mens super illud reflectat. Maj. constat ex parad. 1. min. ab experientia ex dicendis adhuc clarius comprobanda. Ergo quod convenit, aut non convenit sensui est determinativum animæ ad agendum, si eadem ad illud respiciat. Idem dic de aliis judiciis, prout pariter innotescet inferius. Nam hæc, ut & hucusque dicta prologes tantum causa dicta sunto.

PRO-

PROPOSITIO IX.

Ex motivo & determinativo judicii sensualis & cognoscitivi ortus Affectuum, seu Passionum.

QUærimus ergo in hac prop. causam proximam & modalem nostrarum Affectionum; in quem finem dubitatur 1. an afficiatur, seu patiatur anima? Negativa pars est per se evidens. Substantia quippe activa, i. e. spiritualis, potestne affici a materia, seu ab objecto aliquo materiali? Motus igitur & animi perturbationes ex objecto tam reali, quam ideali provenientes non sunt affectus, aut passiones, sed actus cum tendentia, vel negatione tendentiæ ad objectum. Probatur; universi quippe affectus ad Appetitum reducuntur, vel ad Fugam ex Philosophorum decreto: appetitus vero quid est aliud, nisi petitio ad objectum; fuga quid est aliud, quam negatio tendendi, vel contractio ab objecto? Sed ponamus appetitivos actus dici posse affectus in sensu activo; quatenus in iis anima velut exambit objectum; non ideo tamen omnes commotiones nostræ ex objectis provenientes vocandæ erunt affectus, aut passiones. Merito idcirco hos actus collocavimus in categoria illorum, qui prosequuntur, seu continuantur cum motu: unde & motus & animi commotiones appellari consueverunt Physiologi; & sic Affectus, aut Passiones deffinivimus Actus animi se extendentis, vel contrahentis ab objecto, Extensionem scilicet & contractionem accipiendo pro diversis tendendi modis ad objectum.

I.

II.

III.

IV.

V.

VI. Dubitatur 2. num mens, vel alia substantia, materialis aut sensitiva dicta sit subjectum ejusmodi pathematum. Omnes enim sic vocati Physici hanc affectuum, seu passionum nostrarum crepant ac parentem. Verum spiritibus animalis explosis, & sentiendi potentia in nobis a rationali anima vindicata, non est cur aliud nostrorum pathematum subjectum præter hanc ipsam animam, quæratur. Scio proinde a quo fonte manavit in vulgus præjudicium hoc. Ex eo enim, quod affectus, seu passiones circa materialia versari perviderint, cre-

VII. ditum eſt Antiquis dari ſenſitivam aliquam eandemque ma-
terialem ſubſtantiam, quæ ab illis afficeretur, mente interim,
ſive anima rationali intellectualia & ſpiritualia duntaxat ſpecu-
lari pergente. Sed non opus eſſe potentia ejuſmodi ſenſitiva rea-
liter aut formaliter ab anima noſtra diſtincta liquet ex dictis in
VIII. Iſagocicis ad hanc Part. Dicendum igitur potius rationalem ani-
mam appetere aut fugere objecta ex propriis judiciis, ſenſitivo
nimirum & naturali, de quibus videantur Paradox. 1. & 6. hal-
lucinatoſque fuiſſe illos, quod hæc cauſa ab ipſis minime intel-
lecta fuerit: alias ut brutorum animæ appetunt V. g. cibum,
quia ſatiat famem, fugiunt noxia propter offenſionem &c.; ita
& humanæ ex judicio, quod quid conveniat, aut diſconveniat
ſenſui, ſaluti, corpori, aut eſſe ſuo materiali, objecta proſe-
quuntur, aut devitant. Negabis appetere bruta, aut ſaltem di-
ces non appetere ex judicio ſenſuali vel cognoſcitivo. Sed con-
tra prius docet *Ariſtoteles*, & bene probat, quod omne ſenſi-
tivum ſit etiam appetitivum. Nam ubi ſenſus eſt, inquit, ad
minimum tactus eſt, adeoque & voluptas, & dolor, & jucun-
dum, & moleſtum: ubi autem prædicta, eſt etiam concupiſcen-
tia; ipſius etiam jucundi appetitus concupiſcentia eſt; ergo quid-
quid ſenſitivum eſt etiam appetitivum. Contra poſterius, ſi quæ-
vis anima brutalis in ſua linea eſt a ſe mobilis & intuitiva, *per
def.* & quidlibet intuitivum eſt etiam perceptivum, poteritne
eadem conjungere aut disjungere objectum præſens cum idea de
IX. eodem ante percepta, & per conſequens judicare? Dubio ſine;
ſecus cur perciperet, ſi fruſtra perciperet. Ex hoc igitur judicio
eſt appetitiva; quod nimirum reperiens objectum præſens conve-
nire palato, aut alicui ex ſuis egeſtatibus materialibus, movet
ſe ad appetendum quod convenit. Quin imo ex reflexione cre-
bra ſupra tale judicium ita interdum ad appetendum, vel ad
fugiendum ſe ſe comparant bruta ut affectibus noſtris longe ve-
hementioribus exardere videantur, utpote quod aliis judiciis, pu-
ta intellectuali, deſtituuntur, ſupra quæ poſſint reflectere.

Probatur itaque noſtra concluſio ſic: motivum affectuum,
ſeu paſſionum proprie talium eſt de objecto materiali; ſed o-
mne judicium de objecto materiali pendet ex judicio ſenſuum,
vel cognoſcitivo. Maj. eſt ab omnibus admiſſa. Per hoc enim
diffe-

differunt affectus a vitiis & virtutibus, quod hi actus versentur circa objecta minime materialia, sed vel intellectualia, vel spiritualia, ut constabit postea: illi vero tantum circa materialia; Min. patet *ex parad.* paulo supra cit. & per consequens, unde sit affectionum seu passionum ortus. Sic motivum ex judicio sensuali est, quod delectat molestatque sensoria; ex judicio naturali, quidquid nos, nostrave sive corporalia, sive materialia jucunde aut moleste afficit, parentes V. g. uxores, liberos, amicos, clientes, servos, verbo quidquid esse hoc nostrum corporeum sive materiale concernit. Quamobrem ex judicio, quod id sensibus, vel rebus aliis nostris corporeis aut materialibus conveniat, aut non conveniat, ferimur nunc in Amorem, aut Odium, in Gaudium aut Mœrorem, Iram aut Timorem &c. X. XI. XII.

XIII. Ferimur, inquam, h. e. movet se se in nobis principium nostrum activum nunc extensive ad objectum, nunc contractive ab eodem objecto, prout videlicet motivum, affirmativum est, vel negativum. Extensive se habet in affectibus, qui pertinent ad prosecutionem; contractione in iis, qui ad fugam. Sic in priorum classe recensentur Ira, quod est ire cum impetu erga objectum: cujus extrema sunt Succensio, quando irasci incipimus, & quasi succendimur: & Excandescentia, quando ira ad summum gradum pervenit. Cupiditas; sic dicta, quasi aliquid aucupemur: Aviditas, quod velut aves ruimus ad objectum: Desiderium, quod remotum bonum tanquam de syderibus avocamus: Lætitia, quasi latitia, quod animus lætus erga objectum veluti se expandat: Hilaritas, quæ fit quum ne hilum quidem officit claritati, sive mentis amænitati: Gaudium, quum grata audio: Amor, quod sine mora curro ad objectum: Benevolentia, qua bene volo: Gratitudo, quia gratum, seu ratum habemus, quod accepimus: Opitulatio, quum quis fert opem: Misericordia, quum cor convertitur ad alienas miserias: Voluptas, quum se volvit aut volutat circa objectum. In linea vero posteriorum adsunt Aversatio, quando mens se avertit ab objecto: Abominatio, quando quasi se contrahit ab impuro homine. Metus, quando me turbo: Timor, si objectum te moratur: Mæstitia, quod in ea me sisto: Invidia, XIV. XV. XVI. XVII XVIII XIX. XX. XXI. XXII.

XXII. dia, quum quis negat videre: Livor, quum livido faciei colo-
XXIII. re suffundor: Odium, quum non possum videre: Dolor, quod quasi doler &c. Unde patet vel nomine tenus constare modalitatem affectuum in præfata vel extensione, vel animi contractione consistere. Nec putandum est ad placitum hominum eadem nomina fuisse efficta; cum si alibi, in hoc præsertim verificetur illud, *Conveniunt rebus nomina sæpe suis*. Etenim experientia teste in Ira E. g. non ne cum impetu ferimur in objectum, & sive in actu signato illam exerceamus, sive in exercito? ire autem cum impetu est ne extensive se habere? Idem dic de reliquis.

Quod si oggeris extensilitatem & contractilitatem materiæ
XXIV. duntaxat convenire, quod nempe ea sola sit divisibilis, resp. distinguendo inter extensilitatem & contractilitatem activam & passivam. Materia est extensilis & contractilis passive, hoc est ab alio; anima vero a se; ergo illa extensilitas & contractilitas est solius materialis substantiæ propria, hæc vero solius spiritualis: ad illam autem causalem, quod materia sola sit divisibilis, resp. extensilitatem & contractilitatem per se non importare divisibilitatem; posse igitur aliquid se extendere aut contrahere, absque quod dividatur. Est enim extensio & contractio in potentia activa mera actio. Ut ergo actio distinguitur a termino, non distinguitur ab entitate, ita extensio & contractio præfata: id quod attente notandum duximus, ne cum de extensione & contractione activi nostri principii loquendum occurrat (occurret autem sæpius) non necesse habeamus repetere modo adductam distinctionem; simulque ut imposterum & antehac objectionem istam crepantibus Adversariis satisfactum sit.

XXV. Postremo quæritur etiam modus, quo anima ex judicio affirmativo aut negativo de convenientia objecti cum re, vel idea materiali movet se se extensive, vel contractive ad objectum. Sed ad hoc facile respondetur; dum præsupposito, quod in judicio de convenientia aut disconvenientia rei cum objecto interveniat assensus vel dissensus, non potest anima assentiri, seu adhærere convenientiæ cognitæ ut tali, vel non adhærere disconvenientiæ, nisi se moveat, aut removeat.

As-

Assensus enim dictus est, quasi adsensus, sive accessus, dis- XXVI.
sensus vero recessus. Sed si se moveat in assensu, movet se XXVII.
se extensive, si se movet in dissensu, movet se se contracti-
ve. Ergo si se movet ex judicio affirmativo aut negativo,
movet se se extensive vel contractive. Res est evidens, con-
statque insuper ex hoc, quod verum sic dictum motivum con-
sistit in dicto assensu vel dissensu præstito in judiciis: qui as-
sensus aut dissensus, quoniam magis adhiberi solet in judiciis
de conformitate convenientiæ, hoc est de bono aut malo, quam
in judiciis de conformitate apparentiæ, hoc est de vero aut fal-
so, hinc est, quod motivum illud boni aut mali tribuitur XXVIII.
Voluntati, non autem intellectui: cum ex alia parte Intel-
lectum assentiri conclusionibus & præmissis vulgo pateat, etiam
Logicis. Quæ tamen æquivocatio vitatur manifeste in nostra
sententia, qua nempe volumus ipsam animam a se mobilem
& intuitivam assensum præbere vel dissensum in quibuslibet ju-
diciis; & per consequens tam bonum & malum, quam ve-
rum & falsum affirmatum vel negatum esse motivum illius ad
agendum. Cæterum ex motivo, i. e. assensu simplici, commo- XXIX.
tiones animæ, sive affectus simplices, ac spontanei velut exi-
stunt: ex duplici, adjecto scilicet determinativo, tanquam
causali duplicata, vel confirmata, voluntarii elucent tantò
efficaciores, quanto plus mens respexerit ad ejusmodi determi-
nativum, sive hoc sit de objecto materiali, sive intellectuali,
sive denique spirituali. Unde insuper infertur, quod objectum
plerisque dictum terminus ad quem, sit potius terminus a
quo; principium scilicet seu motivum animi commotionum.
Sed de causis efficientibus & modalibus passionum proprie ta-
lium satis.

PRO-

PROPOSITIO X.

Ex motivo & determinativo de judicio intellectuali oriuntur actus moraliter virtuosi.

Virtutum moralium titulo exornare solent actiones Viro dignæ, quotquot nimirum operantur secundum Intellectum, hoc est secundum ipsam naturam humanam. Nam sine
I. intellectu non est homo. Quamobrem objectum proprium & adæquatum viri intelligentis erit facere id, quod hominem decet, hoc est honestum: siquidem, auctor *Tullio*, quod decet
II. honestum est, & quod honestum est decet: motivum autem agendi erit judicium de iis, quæ hominem facere decet, & de
III. iis, quæ facere dedecet. Ex hoc igitur motivo emanant actiones moraliter virtuosæ, tales nihilominus dicendæ quando per actum reflexum supra dictum motivum anima se determinat ad illas eliciendas. Exigitur enim hæc determinatio, in qua consistit actio sic dicta voluntatis, ad hoc ut ejusmodi operationes sint vere virtuosæ, alias nihil differunt ab affectibus in actu primo, i. e. spontaneis, quæ fiunt citra reflexionem, prout supra exposuimus.

Ii vero actus, quorum aliqui, nimirum qui alienam personam respiciunt, mutato nomine affectionum Officia eluent, ad quatuor classes vulgo referuntur, ad actus videlicet Prudentiæ, Fortitudinis, Justitiæ, & Temperantiæ: quamvis, ut dicam libere, videtur mihi actus Prudentiæ esse superioris ordinis, quam quem obtinet honestas; spectare nempe illam, scilicet Pruden-
IV. tiam potius ad Rationem, de qua *in seq. subsect.* Quare his relictis crederem actiones, quæ humanam naturam proprie respiciunt, nempe intellectivam commode redigi posse ad tres reliquas, Fortitudinem, inquam, Justitiam, & Temperantiam. Sed hac quæstiuncula relicta dico, quod talismodi actiones in linea intellectuali habent pro motivo quicquid hominem decet vel dedecet, adeoque & ipsas procedere ex judicio intellectuali affirmativo vel negativo. Res contradictionem non admittit, cum honestum & turpe non sint perceptiones materiales, seu pri-

primæ; sed intellectuales, sive secundæ; & hinc conjunctæ cum objecto transeunt in judicium, cui mens assentiendo, vel dissentiendo, motivum inde habet se extendendi, vel contrahendi ab objecto. Extendendi, inquam, aut se contrahendi; utpote in qua modalitate non diversificantur actus intellectuales, sive homini naturales ab actibus materialibus, qui fiunt secundum naturam corpoream, h. e. ab affectibus. Nam sive ad actus Fortitudinis respicias, sive ad actus Justitiæ, Temperantiæ, aliosve mixtos, observabis continuo illum appetitum, aut fugam, animi extensionem, vel contractionem, quæ in affectibus adnotatur, adeout tales virtuosi actus non sint aliud, quam affectus vere humani V.
ab *Epicteto* aureo illo monito comprehensi, *Sustine & Abstine*. Magnanimus E. g secunda & adversa indifferenter tollerat, nihil vulgare admiratur, ad repentina, præsertim panica non consternatur, nec detrectat labores ad se attinentes, imo quibus laboribus se addixit, eos alacriter subit strenueque urget; pericula inevitabilia si immineant intrepide adit & animose suffert; munia sibi commissa solicite, sedulo, enixe, accurate agit &c. Quis non videt ejusmodi tolerantiam, resistentiam, labo- VI.
riositatem, molimen &c. ad animi extensionem spectare? Temperantiam vero, sub qua militant Modestia, Mansuetudo, aliæque non paucæ, concernere contractionem? Novi utique actus, qui ad has virtutes referuntur, sæpe numero esse compositos, quod nimirum in principio modo extensive, modo contractive se habeant, in progressu vero & in fine nonnunquam e contra: verum hæ differentiæ non variant genus, dum pro diversitate & pluralitate determinationum, sive determinativorum actuum quoque tendentiæ mutantur; si nempe plures aut pauciores sint respectus ad motivum, propter quod eliciuntur, adeoque voluntas sit magis intensa vel remissa, magis efficax, aut inefficax. Neque enim hic intendimus explicare cujuslibet individui actus modalitatem, sed quod ad essentiam duntaxat pertinet, h. e. ad originem, quam tradidi in hoc actuum humanorum Scrutinio, prout supra de Affectibus dictum est, nobis unice fuit animus.

PROPOSITIO XI.

Actus dicti ſupernaturaliter ſive Theologice virtuoſi proveniunt ex motivo & determinativo ſcientifico.

I. DIcuntur autem ſupernaturales ſive Theologicæ virtutes ii
actus, non quod naturæ humanæ vires excedant, ſive
tranſcendant, adeout divina gratia opus ſit, ad hoc ut operentur
ab homine in hoc ſuo materiali ſtatu, ut nonnulli autumare
non ceſſant; ſed quia illorum objectum eſt ſalus æterna,
quæ non eſt de natura hominis viventis ex corpore & anima
conſtituti. Alias namque, i.e. præciſe a natura corporea actus ejuſ-
II. modi ſunt naturales, ut qui animæ naturam reſpiciunt. Poſſe
jam vero elici eoſdem ab homine independenter a tali efficaci
gratia quis ambiget? Modo certus ſim de divina exiſtentia
duntaxat, & de animæ immortalitate evidenter concludere poſ-
ſum debere me operari id quod naturæ creatæ & eidem animæ
convenit? Hujuſmodi vero ſcientiam ex Scriptura, Doctorum
nullo non tempore Virorum teſtimonio, animæ perfectibilitate
& perfectione, aliiſque argumentis phyſicis & experimentalibus
quis ſibi comparare aliquando non queat? Erit
itaque exhinc virtutum etiam ſupernaturalium operatio in hominis
poteſtate; & motivum operandi aſſenſus quem præſtiterit in
judiciis de iis, quæ creaturæ ſpirituali, ſeu animæ facere expedit.
Scio E. g. me Deo authore unico & exiſtere & ſubſiſtere,
& operari: par igitur eſſe, ut Deus omnia operatur pro-
III. pter me, ita & ego omnia agam propter Deum: ex hoc motivo
elicio actus tam directos erga illum, qui dicuntur actus
Fidei, Spei & Charitatis, quam indirectos, qui ſunt Amor
creaturarum propter Deum, Zelus propriæ ſalutis & alienæ,
Religio, Cultus &c. At inquies ſcientiam ejuſcemodi ſupponi poſ-
ſe a viris doctis utique comparabilem, minime vero ab idio-
IV. tis. Reſp. in his Fidem ſcientiæ locum tenere; credere autem
idiotas tam notum eſt, quam quod maxime, ut cum videamus
continuo credi ab iis vel mendacia, quæ veritatis ſpecie
V. eiſdem divenduntur. Eſt jam vero Fides per nos aſſenſus firmus

mus & stabilis super omne, quod a Deo nobis verbo suo scripto aut revelato denuntiatum est, & ab iis etiam, qui illud interpretandi legitimam potestatem habent, declaratur. Ex hoc VI. igitur motivo quidni se se moveant & idiotæ ad operandum quicquid principalissimæ ac dignissimæ suæ parti, animæ, convenit? De determinativo, quo mediante assensus præstitus in judicio firmatur, actusque exinde provenientes iccirco e simplicibus voluntarii fiunt, viresque accipiunt, non est cur plura dicam post expositam nimirum assensus repetiti seu reflexi energiam: amo Deum V. g. quia bonus, quia misericors, quia clemens est; supra has causales cum reflecto actus amoris emitto tam validos, ut nil magis possim amare &c.

Quoad animæ tendendi modum in his actibus, repeto formalitatem datam in duabus *præcedent. prop.* extendere nimirum se se illam ex motivo, quod quid sibi agere convenit, aut agere debet. Extensive se habet in actibus Amoris, Fidei, & Spei, si sermo sit de actibus directis: in actibus indirectis modalitas ista non differt a modalitate affectuum, quam videsis *prop. 9.* Et revera in Amore expandere se se animam erga objectum, nempe ad Deum in nostro casu demonstrant Ecstases & alia plura in expositione pathematum corporis ex affectibus declaranda. In Fide, scilicet divina, de qua supra (nam in humanis Fides ut ut sit assensus, qui ad- VII. hibetur iis, quæ audiuntur ab hominibus, non tamen adeo firmus est atque ille, qui præstatur verbo Dei, quemque scientiæ locum tenere diximus; dum e contra Fides humana tenet locum opinionis) firmitudo illa non aliunde provenit, quam ab extensivo motu valido & intenso, quo cum anima concurrit in dicto assensu. Denique & in Spe: Definitur enim Spes in VIII. Theologicis accessio ad bonum absens a Deo promissum bene agentibus cum præparatione ad assequendum: in moralibus, accessio ad bonum honestum: in materialibus, accessio ad bonum materiale absens tanquam præsens recipiendum. Ad Fidem pertinet etiam Fiducia tam in Deum, quam in homines. IX. Optatio fit cum contractione, quum opem a Deo petimus, i. e. cum oramus animo (nam vox in Optatione accidens est;

non necessarium, inquit *Scaliger*, & recte, si interna actio duntaxat sit attendenda) ut supplementum mittat Deus inopiæ nostræ: Timor item Domini tanquam potentis & justi; aut Metus pœnarum, quas pro malefactis meremur &c. Atque hæc sufficiant.

PROPOSITIO XII.

Actus moraliter & supernaturaliter Vitiosi eliciuntur ex motivis & determinativis objecto morali & supernaturali inadæquatis.

HOmo natura intellectivus cum secundum intellectum agere teneatur, si horsum hunc agat, & motivis sensualibus, aut esse suum corporeum concernentibus duntaxat auscultet, non cum hominibus, sed cum jumentis insipientibus potius est comparandus. Invertit nempe illis as-

I. sentiendo suorum actuum ordinem naturalem; quamobrem vel perverse agere dicitur, vel vitiose: invertitque intantum, in quantum quod secus intellectualia reflectit ad materialia, judiciisque hujusmodi adhærendo pergit agere non agenda, non agit, quæ agi debent. Qui amat V. g. Conjugem, non quia illam amare honestum est, sed quia instrumentum est voluptatis, vitiose amat: non enim se determinavit ad amandum ex eo, quod hominem decet, sed ex eo, quod convenit voluptati. Ergo assensus reflexus supra motivum inadæquatum reddit illum actum, i. e. amorem, vitiosum. Idem dic de reliquis Affectibus.

II. Sed Vitiorum plura sunt Moralia, quædam vero Capitalia. Moralia sunt, quæ non ex motivo & determinativo intellectuali, scil. de honesto emittuntur, sed ex motivo & de motivo materiali vel sensuali, ut modo dicebamus: Capitalia vero, quæ non ex motivo & determinativo scientifico, i. e. de iis, quæ creaturæ spirituali, seu animæ, facere competit, sed ex sensuali, aut etiam honesto. Ita, inquam, ex motivo etiam honesto. Scio E.g. ex divinis præceptis vetitam esse ultionem, & tamen injuriam retuli,

quia

quia par pari referre honestum est. Nonne vitium & quidem corporale est hæc ultio quamvis facta propter motivum & determinativum honestum? Patet itaque ex hinc, cur quid dicatur agi contra conscientiam, aut contra rationem; quod nimirum homo habens motivum scientificum ad operandum & non se determinans ex eo ad operationem, sed ex alio, puta sensuali, aut intellectuali operatur contra id, quod scit, h. e. contra conscientiam: operando vero aliter, quam ex motivo honesto operetur contra ordinem naturalem, operetur contra rationem, ut supra innuimus. Sciscitaberis modo, quæ causa existit, cur mens non reflectat ad motivum intellectuale (quo nomine venit & scientificum & rationale, de qua ratione postea) sed potius ad sensuale, aut aliud materiale, ex eaque reflexione ut plurimum sese determinet ad agendum. Resp. quia sensualia & reliqua materialia magis præsto sunt, sive magis obvia, quam intellectualia; hinc ad illa nullo negotio reflectit eadem mens, & præterea crebrius, quam ad hæc. In reliquum nil subjungam de tendentia Vitiorum. Sunt enim affectus, ut constat ex ipsorum origine; & de modalitate affectuum satis actum fuit supra *prop. 9.*

III. (margin, beside "terminativum honestum? Patet itaque ex hinc, cur quid dica-")

IV. (margin, beside "nem, ut supra innuimus. Sciscitaberis modo, quæ causa existit,")

MANTISSA

De Ignorantia & Præjudiciis.

I. Ignorantia duplex ab Antiquis facta est: altera cum tota penitus abest cognitio, quam Ignorantiam privationis vocabat Philosophus: altera cum cognitionis quædam inest facies, sed neutiquam suis picta coloribus. Nos ignorantiam privationis appellamus defectum idearum, quæ requiruntur ad compositionem, aut disjunctionem in judiciis. Qui nunquam vidit E. g. litteram A, quum illam postea videt, ignorat quid sit ea littera, nec potest formare judicium dictum sensitivum, quod littera, quam videt, sit littera A. idem dic de reliquis primis perceptionibus: & quod secundas, qui nunquam novit quid Civem E. g. deceat, ignorat etiam quid sit Civilitas, aut Urbanitas. Itaque ignorantia privationis consistit in carentia perceptionum

II. (margin, beside "neutiquam suis picta coloribus. Nos ignorantiam privationis ap-")

quæ

III. quæ requiruntur in judiciis. Ignorantiam vero cognitionis acci-
pimus pro ignorantia motivorum adæquatorum ad recte &
bene agendum , ſive ea æquatio reſpiciat conformitatem ſi-
militudinis, h. e. Veri, ſive conformitatem convenientiæ, h. e.
Boni. Sic qui dicit aliquid, aut ſcribit ſine motivo convenien-
IV. ti vel adæquato, ignorare videtur quod dicit aut ſcribit. Ter-
tiam Craſſam appellarunt Recentiores, quando quis negat co-
gnoſcere, intelligere, aut ſcire; quæ Ignoratio Noluntati pro-
pior eſt, fitque ex aſſenſu reflexo, ſeu determinativo ſupra
aliud motivum, quam quod exigitur ad rem quæſitam.
V. Ignorantia privationis parit admirationem cum ſenſualem il-
lam, quæ contingit ex nunquam viſis, vel auditis; tum intel-
lectualem alteram, ſive reflexam, quando ſcilicet ingenioſi
quidpiam admiramur. Prior idiotarum eſt, poſterior etiam ſa-
pientum. Sic *Pytagoram* ex philoſophia ſe comparaſſe fertur,
VI. ne quid admiraretur. Ignorantiæ cognitionis filiæ ſunt Incogi-
tantia, Negligentia, Lapſus: cum quis negat cogitare, memo-
rare dicenda vel facienda, & ideo labitur in actum aliquem
improprium. Denique ignorantia Craſſa nihil ab obſtinatione,
vel protervia differt.
VII. Quod attinet præjudicia, quæ alio nomine eluent Antici-
pationes, Præcuntiones, aut Præoccupationes; horum geneſis eſt
relativa ex judicio aliquo, ſupra quod mens firmiter ac ſæpe
reflexerit, neglectis interim, ſive non lectis aliis magis appoſi-
tis, vel oppoſitis. Tale igitur judicium relate ad alia eſt præ-
judicium, quoniam ſcilicet majorem aſſenſum promeruit, atque
obtinuit præ cæteris, re ad idem prorſus recidente ſive idem
judicium concernat conformitatem ſimilitudinis, i. e. Verum;
ſive conformitatem convenientiæ, i. e. Bonum.

De Errore & Opinione.

I. Præoccupatus animus ab aliquo judicio non poteſt non erra-
re. Quid enim error? Reſpondet *Auguſtinus in Enchirid.* Eſt
exiſtimatio vel approbatio veri pro falſo, certi pro incerto, &
e converſo. Quum igitur is hæret defixus in aliquo judicio, ex
eo facile labitur in errorem, h. e. deviat a motivo recto, pro-
pter

pter quod agere debet; ut cum quis ex judicio sensuum putans aliquid esse apparenter conforme, seu verum, se determinat ad hoc affirmandum, etiamsi deinde per intellectuali judicium videat illud non esse tale: aut cum credimus aliquid esse bonum, quod conveniat sensui, appetimus idem objectum, quod postea per judicium naturale invenitur non convenire, quod V.g. sit insalubre. Ansam præterea errori dat ignorantia privationis, sive perceptionis, cum caremus ideis aut notionibus necessariis, ad hoc ut judicium rite instituatur, neve non conforme accipiatur pro conformi. Sed de hac causa Error coincidit cum Lapsu. Neque enim est ex judicio, unde existimatio aut approbatio est, contra definitionem. II.

De Opinione, unde sit, notificatum fuit *parad.* 12. Verum ibi mentio facta est de Opinione duntaxat intellectuali, quæ sequitur conclusiones discursus. Suggerenda occurrit impræsentiarum Opinio naturalis idiotarum propria, quando hi in opinione aliqua defixi sunt, ut ægre ab illa dimoveri queant. III. Hujus exortus provenit ex judicio naturali, h. e. de rebus materialibus maleformato, nunc ex defectu perceptionum conformium, nunc vero ex inaptitudine conjunctionis earum in judicio; quamobrem hoc difforme evadit, sive falsum: & mens crebro illi præstando assensum permanet in ejusmodi opinione. Sed hac relicta, circa opinionem intellectualem disputant Scholastici 1. an sit possibile opinari. 2. an sit probabile opinari minus probabile, aut æque probabile. Circa priorem quæstionem, affirmativa pars evincitur experientia. Posito quippe quod Opinio sit cognitio manca *per cit. parad.* h. e. quod sit assensus alicui objecto dependenter a motivo fallibili, ut loquuntur iidem Scholastici, potest intellectus assentiri cuidam objecto propter motivum conformitatis in se fallibile, seu per errorem reputatum certum & infallibile. Ergo. Circa posteriorem negative respondetur. Etenim quicunque aliquid asserit interno judicio, ideo illud asserit, quod sibi probabilius est, quam oppositum; ergo opinari non possumus assensu directo id, quod nobis minus probabile est, aut æque probabile ut oppositum. Antecedens poterit unusquisque sibi probare percurrendo sua judicia interna, inter quæ nullum reperiet, quod non sit de objecto IV.

pro-

probabiliori. Præterea nullus Auctor asserens unam partem in aliqua materia controversa scripsit unquam probabiliorem sibi esse partem oppositam, sed nihilominus se aliter sentire ac dicere: in nulla unquam disputatione passus est Defendens unam sententiam quod sententia opposita sit probabilior, vel etiam æque probabilis. Denique si cui asserenti unam partem objiciatur partem contradictoriam esse probabiliorem, conabitur ostendere non ita esse, nec patietur illud in vulgus abire. Paucis, intellectus sive mens nostra conformitati semper intenta quærit semper magis magisque conformia, nec quiescit, donec causas proximas nacta sit, sive scientiam (causæ namque proximæ scientiam dant, & aptæ sunt ad respondendum propter quid, non remotæ, ut ajunt Physici) in qua secure tandem velut obtento portu, quiescit. Plures aliæ rationes item a priori hic referri possent, nisi superflum esset in tam levibus quæstiunculis diutius immorari.

De Animi Fluctuatione & Dubitatione.

Nutat animus, cum paria ferme sunt motiva ex duplici diverso judicio pendentia. Hinc enim is dum respicit ad unum non propendet ad ponendum unum actum; dum vero ad alterum, inclinat ad non ponendum, vel ad se movendum ad aliud objectum. Quod si interea in alterutro adspiciatur aliquod momentum, quod antea non conspiciebatur, tollitur fluctuatio, eademque anima vel magis simile, sive verum, aut magis conveniens, sive bonum noscit esse unum, quam alterum motivum: ex qua notione seu visione determinat deinde se se ad ponendum potius assensum, quam dissensum, ad agendum potius, quam non agendum, aut viceversa. Res ulteriori explicatione non eget.

I. Est itaque animi fluctuatio prohibitio quædam ad agendum cum obice ex parte motivorum, quod in his æqualia sint momenta conformitatis & difformitatis; & differt a Dubitatione per hoc, quod hæc quoque prohibitio sit progressionis ad agendum, sed cum motu disquisitionis. Hæret animus in Titubatione ob momentorum æqualitatem præfatam; hæret itidem in du-

dubitatione; verum in hac æqualitas non eſt tanta, quin nequeat ulterius introſpicere vel ſimiliora, vel magis convenientia, & ſic tollere obicem, i. e. prohibitionem. Cæterum Suſ- IV. picio eſt, cum aliquid deſuper aſpicitur, quod prægreſſo motivo adverſatur; eſt initium Dubitationis: Congeſſimus jam vero hic nos plura tum ad Intellectum pertinentia, tum ad Voluntatem, quæ alibi locum magis aptum invenire non poterant: quæ ſequuntur Voluntatem iterum ſolam reſpiciunt.

De Syntheresi, Pudore & Pœnitentia.

I. Syntheresis latine conſcientiæ morſus, inde nomen traxit, quod mens contrahendo ſe ſe ad viſionem ſive recordationem rei male geſtæ videtur quaſi morderi; cum ex morſu manum aut pedem etiam contrahamus. Contrahit ſe ſe vero illa ad aſpectum motivi magis conformis cum eſſe ſuo humano, vel ſpirituali, quam id extiterit, per quod ſe moverat ad patrandum dictum actum; & ideo relegendo iſtum velut exhorret, ſicque fit allegoricus ille morſus revera motus contractivus ex ſenſu intimo, ſeu viſione interna motivi longe magis conformis cum objecto, quam fuit illud, per quod ſe determinaverat ad actum prægreſſum.

Quod ſi relegendo tale motivum aut objectum videt in eo mens manifeſtam difformitatem, ſive diſconvenientiam, præſertim relate ad motivum intellectuale, i. e. honeſtum, Pu- II. dor eſt, ac ſi nimirum pudeat dixiſſe, aut feciſſe, quod turpe. Quocirca Pudor conſiſtit in animæ contractione a flagitio maxime apparenti. Verecundia eſt leviuſculæ, interdum etiam minimæ criminoſæ; & ideo a quibuſdam ita ſeparatur a Pudore, ut hic ſit rei turpiter actæ, illa facti etiam recte atque honeſte, cujus tamen honeſtatis mens conſcia non ſit, ſeu illud non habeat pro vere honeſto, quæ res eſt, ut recedat, i. e. ſe contrahat a tali facto, vereaturque reprehenſionem.

Pœnitentia (inquit *Scaliger*) eſt reflexio intellectus ad III. improbandum malefactum, ſive Affectus nolendi feciſſe, ſi

bonam sententiam (subdit is) barbaro contectam amiculo non asperneris: Est igitur dissensus reflexus supra motivum agendi antehabitum, per quem mens idcirco veluti rescindit judicium, unde tale motivum processit, seque consequenter contrahit ab actu propter præcedentem assensum, sive determinativum patrato. Retractat autem dictum judicium, indeque anima se coarctat ob visam omnimodam difformitatem rei cum objecto; id quod vel leviter attendenti patescit.

Denique Pœnitentiam Dolor excipit, si non est idem actus
IV. cum ea tamen. Contractio etenim ab objecto dolorem facit non modo mentalem, verum etiam sensualem, de quo etiam locus postulare videtur, ut aliquid enuntiamus. Scribit *Bruno in Lexic.* quod Dolor est sensus auctus; sed quid sit sensus non bene docet. Est nobis sensus *per Theor.* 1. actio animæ intuentis corporeas affectiones: Quo major igitur erit ea visio,
V. eo magis crescet sensus. Ergo sensus consistit in visione, & ex hac visione de objecto seu corpore male affecto emergit
VI. Dolor, ex disconvenientia nimirum objecti cum corpore: adeo ut e tali judicio, seu judicio sensuum proveniat affectus ille, seu passio animæ, quæ vocatur Dolor: Visionem certe disconvenientiæ præfatæ esse causam proximam hujus affectus probat
VII. Dolor ille mentalis; dum in hoc absque continui solutione qualibet, aut spirituum attaxia tantus est, ut vitam quandoque adimat, quemadmodum experientia comprobatum manet. A pari itaque arguendo est pro indubitato habendum, quod
VIII. in eadem visione, sed diversi objecti consistat dolor alter sensualis, quem diximus esse affectum provenientem ex judicio de disconvenientia objecti cum re, ad quod porro reflectens anima se se contrahit, sicque in Dolorem abit.

PRO-

PROPOSITIO XIII.

Fiunt Habitus ex reflexione crebra supra aliquod motivum, indeque repetito assensu, vel dissensu, quo mediante anima crebro quoque se determinat ad aliquod agendum.

DOctrina de habitibus tam confusa, tam sparsa, si alibi, in nostra sententia exponitur distinctissime. Definitur Habitus, *facilitas ad agendum*: quæritur proinde causa proxima istius facilitatis: Respondemus nos, prout in Thesi, provenire illam ex crebra reflexione supra motivum de aliquo judicio, Sensuali, Materiali, Intellectuali, Scientifico, per quam anima ei sæpe assentiendo, vel non assentiendo ita se determinat ad actum ejus motivi proprium, ut tandem citra ullam reflexionem, sive advertentiam, assensum vel dissensum pergat elicere talem actum. Res ex ipsis terminis est manifesta, confirmabiturque exemplis infra dicendis. I.

Distinguuntur jam vero Habitus in Naturales & Acquisitos: II. Naturales sunt a causa vel ingenita, vel connata, unde Ingenium, Indoles, Mores ex victu, regione &c. de quibus fuse agetur *in posteriori Memb. hujus Partis.* Acquisiti sunt ex objectis extra corpus existentibus, & sunt ii, de quibus loquimur impræsens. Hi ergo Habitus rursus sunt ex Sensu, vel Intellectu. Nam & frequentia sentiendi gignit habitum; & sic manet in adagiis, quod *si juxta claudum habites subclaudicare discas*, quod *Oscitante uno deinde oscitat & alter* &c. Ubi illud III. occurrit advertendum, quare anima sit adeo ad imitandum prona. Verum ratio liquido dispalescit ex nostra doctrina. Cum enim eadem activissima substantia sit a se mobilis & intuitiva *per Def.* nullo negotio labitur in eos motus, quos intuetur, ut in vertiginem ex objectorum rotatione, undarum motu &c. Quocirca visis alienis gestibus facile quoque ipsos elicit & imi- IV. tatur, nascunturque habitus ex sentiendi frequentatione: quorsum spectat etiam illud Evandri, qui præceptori filium commendabat apud *Virgil.*

——— Sub te tolerare magistro
Militiam & grave Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.

Adeout teneram ætatem videndo & audiendo assuescere, puerorumque animos hoc pacto effingi res fit in vulgus nota. Hu-
V. jusmodi autem habitus a nobis sic dicti *ad sensum* sunt Involuntarii, quoniam fiunt sine reflexione & repetito asensu supra aliquod motivum, seu judicium: dum econtra voluntaria etiam evadit imitatio, quando anima se determinat per aliquod motivum ad ejusmodi imitationem: Novi nonnullos palam reprobantes & damnantes aliorum quorundam gestus tanquam indecoros; dum vero illi crebro edunt sic gestibus ejusmodi asuevisse, ut magis deinde, quam hi, esent reprehendendi. Filia certe pulchrum reputans, quod a matre, aut vicina, filius quod a patre factum videt, ita certos eorum actus imitatur, ut deinceps nequeat abstinere. Verum de his motibus habitualibus postea.

VI. Quod pertinet internos Habitus, qui sunt Affectuum, Virtutum & Vitiorum in actu tam signato, quam exercito, & qui voluntarii existunt, hoc est aquiruntur per frequentem reflexionem supra aliquod motivum, ex quo mens postea crebro se determinat ad eliciendos tales actus, cognita illorum causa nihil est, quod superaddam. Dantur habitus phantasiandi, me-
VII. morandi, cogitandi cum materialia, tum spiritualia vel intellectualia; & tam conformia quoad similitudinem, sive appareutiam, quam secundum aptitudinem seu convenientiam; quorum tamen altera ad Teholologos, Philosophos, Mathematicos pertinent, altera ad cunctos: hique habitus parantur ex reflexione, ut dictum est, & asensu crebro supra aliquod motivum sensuale aut aliter materiale, intellectuale, scientificum, necnon ex frequenti determinatione ad agendum phantastice, memoriter, cogitative &c. Hinc quod effertur de forti Imaginatione, valida Memoria &c. de habituali Phantasia, Memoria &c. intelligendum est. Roborantur etenim ii actus propter frequentationem; & hactenus frequentantur, quatenus anima sæpe

re-

reflectendo supra motivum, quod conveniat, deceat, expediat ad aliquod qualecumque objectum se vertere, & circa illud vel morari, vel per similia procedere, vel demum illi cohærentia conspicere & coagitare, determinat quoque sæpe sese ad exercendos tales actus Phantasiæ, Memoriæ, Cogitationis &c. Quapropter fortis sic vocata Imaginatio, valida Memoria &c. censeri debent potius Imaginatio, aut Memoria habitualis per frequentationem actuum hujuscemodi aquisita. Idem dic de habitibus affectum aliquem, Vitium, aut Virtutem concernentibus, utpote qui eodem modo fiunt, ob crebram scilicet reflexionem factam supra aliquod motivum de judicio materiali, intellectuali, aut scientifico, & inde enatam crebram pariter determinationem ad eliciendum actum, cujus illud est motivum. Atque hæc porro de Habitibus tantum.

SUBSECTIO III.

De Actibus, qui continuantur modo cum, modo sine motu.

Sub hoc titulo comprehendimus actus Rationis, quorum Ethiologiam a paucis traditam, ab omnibus ita confusam observo, ut qui sunt veri rationales actus penitus ignoretur. Hujus confusionis causa inde orta meo judicio videtur, quod cum celebres illæ duæ potentiæ, intellectus & voluntas, menti nostræ duntaxat fuerint attributæ, actusque intelligendi ac volendi a suis principiis nunquam deducti fuerint. Ratio pro una eademque potentia cum intellectu semper habita est; actusque rationis pro intellectualibus semper accepti. Sublatis itaque per nos jam duabus illis potentiis, ostensoque quomodo rationalis anima per essentiam propriam, hoc est intuitivitatem & sui a me mobilitatem nunc sensitive agat, nunc cognoscitive, intellectualiter & volitive; adeoque quod alii sint actus, qui versantur circa materialia, alii vero, qui circa intellectualia, vel spiritualia ex diversis judiciis deprompta, descendimus tandem ad actus Rationis præfatos, pro quorum clariori explicatione quæritur I. quid sit Ratio.

Est

I. Est per nos Ratio Visio omnium suprema comprehendens propterea omnes ideas tam materiales, quam intellectuales & spirituales, & tam conjunctas quam disjunctas i. e. in varia judicia affirmativa vel negativa coactas. Sentit nobiscum *Scaliger* illius definitionem afferens sub his terminis, *de Cauf. Ling. lat. c. 1. Ratio est vis animæ, qua id, quod ea præditum est, comprehendit universalia*. Quamvis substantiæ activæ, i. e. spirituali non sunt affingendæ vires, potentiæ, aut facultates; siquidem nempe ipsa agit, ipsa se movet, juxta suos intuitus, ut toties fuit declamatum. Cæterum comprehensio universalium nonnisi ad visionem eminentissimam pertinet.

Ut vero visionem qualemcunque suum sequitur judicium; unde Sensationem judicium sensuum, Cognitionem judicium materiale, Intellectionem intellectuale, Scientiam sequitur judicium scientificum; ita & Rationem sequitur judicium rationale. Neque enim anima videre potest conformia, vel difformia, quin altera conjungat, altera separet; Judicium tamen rationale judicium judiciorum merito venit salutandum ob præfatam visionis dignitatem. Et ratio certe videtur inde dicta,
II. quod rata habeat, vel irrita alia quæque judicia. Rationis autem objectum non est aliud, quam quod optimum, sive, quod videtur animæ omnium maxime vel convenire, vel decere, vel expedire. His positis quæritur 2. quinam sint actus rationales, h. e. a visione illa omnium suprema fluentes. Pro responsione sit.

CONCLUSIO I.

Circumspectio pendet ex difformitate Judiciorum.

I. Est igitur primus Rationis actus Circumspectio, quæ quid sit constat ex etymo. Est accurata inspectio eorum omnium, quæ dicunt conformitatem aut difformitatem cum objecto tam in linea similitudinis, seu Veri, quam in linea convenientiæ, sive Boni. Quamobrem nisi accurata sit ea inspectio, erronea est circumspectio, & Ratio, per quam fit prava itidem vocari solet; i. e. inspectio illa nihil a negligentia differt. Jam vero intantum cir-

circumſpicimus, in quantum quod motiva ad agendum videntur eſſe æqualis momenti, vel non bene nota: & hinc diſparitas judiciorum tam ponentium, quam negantium actum in causa eſt, ut circumſpiciamus, donec nimirum acceſſione majorum circumſtantiarum anima aſſentiatur motivo, aut diſſentiatur. Circumſtantiæ vero illæ ſunt vel internæ ſeu ideales, vel externæ ſive reales, ambæque ſpectatæ & cum objecto comparatæ motivum dant animæ ad rationabiliter judicandum, ut eſt manifeſtum. III.

CONCLUSIO II.

A Circumſpectione Conſilium.

A Circumſpectione ſcilicet æqualium momentorum concurrentium ad judicia inter ſe diverſa; viſa quippe ejuſmodi æqualitate hæret animus & quaſi conſidet. Unde Latini I. Conſilium dicunt, cum ex multorum conſidentium voluntatibus elicimus quod utile, quod honeſtum, quodque neceſſarium. In unius autem mente conſilium fere coincidit cum conſideratione; ac tum ratio conſulta, vel inconſulta vocatur, quemadmodum a circumſpectione provida, vel improvida. Cæterum prudens verbum. Conſilium monet nos, ne nobis ipſis confidamus; quin nemo neque ex ſua, neque ex unius, ſed & aliena & multorum æſtimatione commoda cujuſque rei controverſæ metiatur. Etenim Ratio judiciis præeſt, & illorum momenta præponderat, quemadmodum dicebamus.

CONCLUSIO III.

A præſtantia motivorum Electio.

EX circumſpectione & conſilio ſoboles oritur electio; quæ non eſt judicium novum, ſed ratificatio ejus, quod ſpectatum eſt circumſtantiis aliiſque accidentibus cæteris aliis præpollere, quoad locum inquam, tempus, perſonam &c. ex qua idcirco præpollentia mens inducitur, ut aſſentiatur, & ſe de- I.
ter-

I. terminet ad unum actum potius, quam ad alium. Est, in quam, simpliciter approbatio recta melioris motivi, ut dictum est, orta. Nisi enim diversa inter se judicia existant, non potest quis assentiri meliori, sed necesse habet eo, quod præsto est uti: at quum plura cernuntur, licet tanquam aurum purum seligere, quod per se discerni cum nequeat, comparatum cum altero discerni potest. Sunt Verba *Herodoti in Polymnia*.

CONCLUSIO IV.

Opus Circumspectionis & Consilii Prudentia.

TRibus ergo his actibus constat Ratio, circumspectione videlicet, consilio & electione, quos proinde qui recte elicere novit, is demum non modo Rationalis, sed & Sapiens vocari mæretur. Scit namque eligere quod optimum, & per con-
I. sequens facere ac docere, quæ duæ sunt sapientiæ partes. Prudens vero dicitur qui circumspectus, consideratus & cautus est; quamobrem circumspectionis & consilii sobolem esse prudentiam experientia ipsa manifestat. Ex dignitate quippe unumquodque æstimare Prudentiæ statumen est, ne res maximi momenti postferantur, & nullius pensi ac titivillitio vix dignæ magni pendantur: prius item quam quis deliberet, quid facto opus sit, circumspicit prudens, & considerat, utrum quod faciendum est e re sit, necne, utrum debeat & possit, & utrum ad scopum collineet, finem idcirco providens, viam atque modum, attendensque occasioni, præsertim si quid patraturus est, ubi præve-
II. nire opus est &c. Unde colligitur sapientiam magis late patere, quam prudentiam; dum illa judicat de conformitate qualecunque, hæc vero de conformitate duntaxat convenientiæ; de motivis, inquam, tam materialibus, quam intellectualibus & spiritualibus, hæc tantummodo de materialibus; & sic appellari solet Juris prudentia, Jatroprudentia &c. illæ artes, quæ suum cuique tribuunt, aut apposite medentur; quoniam circa materialia versantur tribuuntur,

CON-

CONCLUSIO V.

Ratio regit omnia.

QUod oculus in corpore, in regno rex, in universo Deus, id ratio in mente humana. Nihil oculo præstabilius ad machinam corpoream a circumstantibus periculis avertendam: Rege, qui se ipsum & subditos potest regere nihil generosius: Dei summa bonitas in ineffabili providentia maxime elucet: Ratione, qua cuncta conspiciuntur, consultantur, discernuntur, quid esse potest vel dignius, vel excellentius? Invigilat hæc visio super omnes perceptiones, ideas, judicia, motiva, denique super universos actus; conspicit circumstantias, objectorumque qualitates; considerat agendorum principium, medium finem; ac tandem maxime conforme approbat, reprobat quod difforme. Quid utilius, quid mortalibus concedi potest beatius? Et tamen tardissime omnium ab homine exerceri solet hæc actio; qua nempe anima se ipsam videt, intelligit, & intelligitur a se; & se intelligere se, & se intelligi a se intelligit? Sero, inquam, exeritur in actum hæc visio suprema, i.e. Ratio; & cum exeritur, tum vere homines sumus, h. e. rationales.

Sed his missis anima per hujusmodi visionem non modo intelligit se intelligere, sed & velle, quatenus comprehendit & se, & quicquid est in se, ideas nempe suas particulares, universales, spirituales cum simplices, tum compositas, videlicet judiciales; ex quarum aspectu & consideratione devenit in cognitionem illarum, quæ sunt magis conformes cum objecto, vel difformes tam quoad apparentiam, quam quoad convenientiam; qui actus recte, & qui perperam abs se fuerint determinati; & qualiter imposterum se determinare debeat ad agendum &c. Quo stante patet conclusio nostra, regi nempe omnia ratione; dum ex hac mens potest anteacta judicia rescindere, vel rata habere, vel de novo producere, & hinc secundum ea nunc Verum indagare, nunc Bonum, imo Optimum: potest,

inquam, propositum, sive assensum aut determinativum confirmare, mutare, linquere motiva disjungendo, de novo uniendo, reformando &c.; & hinc non tam discursum recte instituere, quam recte pariter operari cum ad intra, tum ad extra in affectibus aliisque motibus sive mentalibus sive corporeis.

Tandem eadem anima ratione mediante bonos habitus firmat, & emendat contrarios. Quippe cum per supremam ejusmodi visionem intelligat judicia, assensus præstitos, seu motiva, & progressas suas determinationes ad singulos quoscunque actus, ut deinde videt talia judicia non esse cum objecto conformia, & propterea assensus male adhibitos, motiva dissentanea, actusque fuisse omnino difformes, intraverat judicia per noviter spectatarum rerum conjunctionem aut disjunctionem, quibus postmodum præbendo assensum vel dissensum aliter atque prius se determinat, nempe ad meliores actus, ex quorum denique frequentatione missis prioribus novi item habitus longe melioris ordinis procreantur. Atque hæc de Ratione tanquam per parenthesim dicta sufficiant, & filum discursus de motibus voluntariis, inter quos ii duntaxat remanent explicandi, qui transeunt ad extra, resumamus: circa quod adeo ponitur velut pro Averario

A P P E N D I X

De Motu Progressivo.

I. ALio modo animalis, voluntarius, localis, aut muscularis appellari solet iste motus; verum nullum horum nominum proprie & specifice convenire motui membrorum progressivo manifestum est 1. quia non datur motus in corpore animato, quin sit animalis. Est enim materia a se immobilis *per Disq.* 1. ergo quicquid in animali movetur ab anima ipsa movetur, & motus omnis est animalis teste experientia, qua videmus cadavera spiritu destituta non moveri. 2. quia motus artuum progressivus non est semper voluntarius; dum nonnunquam fit absque assensu reflexo & determinatione, sic in tali casu non volun-

voluntarius, sed spontaneus vocari meretur. 3. quia vocabulum motus localis convenit etiam motibus reciprocis, vitalibus, aut naturalibus, cum nullus sit motus materiæ, nisi localis. 4. demum, quia non tam moventur musculi in tali motu, sed & cutis, ligamenta, tendines, ossa, venæ, arteriæ, nervi, & reliqua iis annexa.

Inveteravit nihilominus opinio apud Physiologos, quod musculus sit organon motus immediatum non alia de causa, quam quia inflatur & contrahitur in tali motu. Verum nec inflari nec contrahi musculos in motu animali, & per consequens non esse istius organa clare ostendit experientia: dum in elevatione brachii E. g. nedum crescere, potius decrescere videtur membrum hoc, aut ad minimum in suo naturali statu permanere. Excipies, arctari & abbreviari machinam musculosam, indeque tum localem, tum naturalem motum partium produci citra sensibilem aliquam inflationem, testante hoc experientia, præeunte *Sturmio in Experimental. Colleg. Tentam. II.* qui beneficio vesicarum bubularum, tubolorumque coriaceorum flatu distentorum annexa gravissima pondera de loco moveri negotio facili posse contendit. Sed non currere paritatem ratio suadet. Nam si in motu inflarentur fibræ, dubio procul intumescerent musculi admodum vesicæ aere turgentis; atqui talis tumefactio non contingit; ergo non currit paritas. Quod si urgeas non esse necessum tam crassam & sensibilem intumescentiam nobis concipiamus tempore actionis, qualem in vesica inflata cernimus, cum longe alia fibrarum musculosarum, quam vesicæ, sit conformatio, h. e. quæ distendi quidem possit, sed absque insigni inflatione: scilicet necesse esse fibras nobis concipiamus ut series vesicularum determinatas. Itaque ponamus (sic enim hæc res exemplificatur) quatuor millia hujusmodi vesiculas in tot fibris in unum musculum collectis inveniri; nihil decedet roboris in elevanda mole, quatuor millies tamen minus intumesceret musculus, quam si esset una continua vesica: hanc vero vesiculosam fibrarum conformationem probari asseres ex villis membranosis, aliisque semper per transversum in complurimis musculis intersecantibus longitudinales fibras. Sed contra hunc totum discursum opponimus, quod non licet nobis concipere res II.

Dd 2 pro-

prout eas quilibet sibi imaginatur, sed prout sunt in se. Hinc cum videamus musculosas fibras reapse tendinosas esse villis nervosis hinc inde præditas plumarum instar, observante *Stenone*, tantum abest, ut vesiculosas sphærulas repræsentare credamus illos villos, ut potius liqueat ad talem figuram concinnari non posse, repugnante scil. figura fibrarum rectilinea. Præterea, ut ut in vesiculas efformari possent tales cum villi, tum fibræ, si tamen seriatim disponantur eæ vesiculæ, ita ut aliæ in alias hiant, & sic per unam tantum fistulam inflentur omnes, non erunt plures vesiculæ, sed unica duntaxat instar intestini crassi, aut vasis lymphatici formam referens, nec propterea capax robur musculi multiplicare. Quod si singulas per singulos tubos inflatum iri mavis, mechanice proferes inauditam & ab Anatomicis semper deridendam. Mitto hypothesim de causa ejusmodi inflationis sive ea sit a puris putis spiritibus animalibus, sive ab iisdem cum aliqua alia materia copulatis, utpote quæ *Disq*. 2. jam explosa non amplius venit refellenda.

III. Non sic alia Craceneniana ponens infartum sanguineum in causa inflationis musculorum, quodque is sit causa efficiens vera motus localis. Ad hujus itaque hypotheseos confutationem plura faciunt; & primo dubitatur, num in omni motu locali major copia sanguinis ad musculos derivetur, quam intra illud tempus sursum redeat per venas: nulla quippe illorum cernitur inflatio certe in motibus involuntariis, de quibus infra. Deest quoque cavitas in musculis, quam sanguis occupare possit duritiem & turgescentiam eorum producens. Insuper illud item expendendum est, quod si musculi sanguine replerentur in motu progressivo, in cunctis quoque locis, quorsum abit hicce sanguis, infartus ejus occurreret, quod tamen non observatur. Ulterius est omnino inintelligibile, quomodo sanguis per unum eundemque canalem derivatus in hunc potius musculum divertat, quam in alium vicinum, in elevatorem Verb. grat. potius quam in flexorem; ac tandem non est assignabilis causa ejusmodi directionis. Ad exemplum deinde, quod tantopere urget Auctor de pene, intra cujus corpora nervosa sanguis colligitur erectionis tempore, resp. illud huc non quadrare. Alia siquidem est textura penis, alia mu-

scu-

sculi, puta brachiæi interni vel externi; aliaque erectionis formalitas est (vid. *Assert. 6.*) alia motus localis. Quod si nihilominus valeret paritas, cur motus in brachio E. g. statim succederet, ac in momento rursus desineret, secus quam evenit in difficili illa sæpiusque mirabiliter morosa & capitosa parte, cujus erectionem non nisi sero desinere omnes norunt? aut contra, si motus musculorum motum penis imitatur, cur in senibus, quibus integrum est brachia V. g. attollere, non datum est etiam penem erigere &c? Destituitur ergo viribus necessariis hæc similitudo, & causa efficiens motus ab infartu sanguineo petita evidenter & defficiens.

Tertiam proinde hypothesim pro stabilienda in musculis IV. motus localis actione somniavit *Steno* asserens in sola carnis musculosæ secundum figuram, quam possidet, mutatione totum consistere motus negotium: nimirum dicit Author, quod dum mutatur musculus a paralellogrammo obliquangulo ad paralellogrammum, cujus anguli minus acuti sint, augetur potentia motrix in eo musculo. Sed hoc ipsum est quod quæritur, unde mutetur, seu unde moveatur? Si a figura, quænam, & quanta sit, interna, an externa? quomodo item suum inchoabit motum? an per se fortasse? nugæ! ergo per alium; ergo dabitur processus in infinitum, aut deveniendum est ad aliquid aliud præter figuram, quod non tam hanc, quam istius quoque musculi situm & dispositionem mutet. Hinc ad argumentum, quod affertur pro stabilienda hac hypothesi de motu membrorum ex figuræ in musculis mutatione: scilicet quod mutata figura augetur potentia motrix, donec aliter nos edoceat *Steno*, non habemus, unde affirmare audeamus majorem vim accedere brachio Exemp. gr. ex musculis paralellogrammum, aut paralellopipedum referentibus, quam ab aliis diverso quolibet modo figuratis. Et quod in totum dixerim, si figura musculi auget potentiam, quid sentiendum erit de motu illarum partium, quæ carne carent, h. e. musculis, qualia sunt V. g. interstitia digitorum in manibus pedibusque, & quarum nihilominus tantæ sunt vires, ut observatum sit in pluribus interstitiorum ejusmodi ope sola stupenda patrasse. Adeat, cui volupe est hæc exempla legere *Lycosthenem*,

Schen-

Schenkium, *Paræum*, alios: quæ inter præterire nequeo abs me
observata in Cœnobita quodam ex Franciscanorum excalceato-
rum familia: quod nempe diductis hinc inde pedum digitis
quicquid aprehenderet tam tenaciter retinebat, ut ne a robu-
stissimo quoque avelli posset; canum etiam majorum & non-
nunquam hominum crura ictu tanquam forficum ab illo fuisse
perculsa adeo ut beluæ quasi commorsæ ingenti cum ejulatu &
claudicando diffugerent. Quid igitur *Steno*, nonne tanti robo-
ris accessionem in illis intercapedinibus ex figuræ mutatione in
musculis derivabit?

V. Falso igitur musculus organon motus localis audiit hucus-
que, ut qui nullam majorem obtinet prærogativam ad talem
motum, quam habeant ossa, cartilagines, ligamenta, nervi
&c. vanaque iccirco, mea quidem sententia, censeri debent illa
nomina Agonistarum, Antagonistarum, Adductorum, Reductorum,
Extensoriorum, Flexoriorum, Suppinatorum, Buccinatorum &c.
cum nimirum non agant, sed agantur, non adducant, aut reducant,
extendant aut flectant &c. sed universim nunc adducantur, nunc re-
ducantur, extendantur, aut flectantur &c. Sed si hoc, inquies,
quinam erit usus musculi. Resp. esse multiplicem, puta ossa ve-
VI. stire; nervorum, arteriarum, venarum, aliorumque ductuum
propagines distributionesque fulcire, ac fovere; communia inte-
gumenta in convenienti cum extensilitate, tum contractilitate
continere &c.; quæ omnia partim nitorem, elegantiam corpori
ejusque membris conciliant, partim ad vitæ functiones obeun-
das mirabili nexu conspirant. Quarum propterea utilitatum ra-
tione factum est, ut mole, figura, situ inter se plurimum dif-
ferant musculi, itaut illorum alii teretes, alii crassi, nonnulli
breves, alii oblongi, lacertosi, serrati, pyramidales, bicipites,
tricipites, obliqui, recti, trilatera, aut quadrilatera figura &c.
donati existere proinde debuerint.

VII. Ad hæc sciscitaberis postmodum, quodnam sit tale motus
organum? Resp. idem, quod organum sensus, nempe sanguinem.
Probat autem hoc *Bartholini* observatum, quod de nervorum
usu edocet: nimirum canis vivi vasis cruralibus vinculum inji-
cit, & illæso nervo sub ligatura utraque vulnerat, totumque
sanguinem educit: imo pro reliquiis istius abstergendis aquam
repi-

tepidam toties injicit, donec omnis tincturæ sanguineæ expers per venas redeat: qua ratione equidem in initio motus aliqualis carnium adhuc deprehenditur, quandiu aliquid adhuc sanguinis restitat; hoc vero plane & omnimode exhausto motus omnis cum sensu perit. Ratio item id suadet, quoniam scilicet intuitiva potentia cum a se motiva conjuncta est *per def.* Hoc autem efatum *P. Honoratus Fabri*, qui recepto loquendi more intuitivam sentientem, & a se mobilem motricem potentiam vocat, sic ostendit *l. 3. de Hom. prop.* 18. *Ubi manum tuam aliquis pungit, statim manum retrahis; ubi cor extractum pungitur, se se illico agitat; sic tussis, ubi acrem humorem in trachea sentis; sternutas, cum narium fibræ vellicantur; singultis, cum ventriculus sollicitatur; oscitas, cum frigidus humor malas invadit &c.; sic venæ, arteriæ, intestina, aliaque vasa novo sensu ad motum determinantur, nec alius concipi potest determinationis modus; igitur potentia motrix animalis, ut vocant, sine sentiente esse non potest.* Sed organum sensus immediatum est sanguis *per Theor.* 1. ergo & motus. *Confer.* etiam *Asser.* 3.

Duplex jam vero, ut cæteri actus, observatur hic progressivus motus; Involuntarius, qui & spontaneus & naturalis audit, & Voluntarius: ille fit ex simplici motivo, hic ex assensu reflexo supra aliquod ex motivis, hoc est fit cum determinatione. In priori itaque sanguis, & cum eo arteriæ, venæ, & cætera organica partis affectæ sive in qua fit sensus, moventur ab anima ex intuitu affectionis ejusmodi, aut sensus, & quidem improviso, quoniam simplex intuitus, i. e. sensus non admittit reflexionem, proindeque motus brevi cessat, nisi interveniat reflexio supra motivum movendi, hoc est extendendi, vel contrahendi talem partem: in quo casu motus antea involuntarius accessione determinationis evadit voluntarius. In posteriori anima in sanguine se movet efficaciter, & per sanguinem movet etiam organa tali determinatæ motioni destinata. Quamobrem motus hic est efficax, constans, validus juxta vim majorem aut minorem sui determinativi, hoc est juxta multiplicitatem roburque assensuum aut dissensuum, quos mens adhibuerit ei motivo. Si negas hanc animæ in sanguine extensionem

VIII. IX. X.

nem vel contractionem, præter quam quod convinci potes ex dictis *prop.* 1. & ex irrefragabili experientia, qua nimirum constat in ira E. g. pudore, gaudio, rubere & accendi vultum, micare oculos &c. in mæstitia vero, timore, odio pallere eundem, oculosque obnubilari &c. In motu igitur progressivo anima se se movet in sanguine, & per sanguinem moventur ossa, tendines, ligamenta, & reliqua organa ejus partis, quæ ad talem motum est destinata; fateturque *des Cartes* cum suo Commentatore *la Forge* ipsum sanguinem Voluntatis imperio, hoc est motibus animæ subjacere.

XI. Repeto icirco positionem supra datam, quod sanguis non tam sit sensus organum, quam motus; & si quæris, quomodo mens in motu Voluntario ex judiciis, quæ elicuerit in plexu choroidæo juxta *Theorem.* 7. valeat determinare atque efficere motum pedis V. g. aut manus, Resp. de substantia spirituali indivisibili, tota in toto & tota in qualibet parte, ut ajunt, cum sermo est, non respiciendum esse ad organorum diversitatem ac divisionem. Anima cum sentit & ex sensu movet se se & partem sentientem, movet sese totam, & in sensoriis quidem æque ac in plexu; cum vero agit in plexu, movet sese totam & in plexu perinde atque in sensoriis; quamobrem eodem modo in parte agit sentiendo ac reflectendo, licet ex reflexione potentius ac validius agat, quam ex sensu, ad quem non reflectat.

XII. Modum movendi quod attinet, non fit per ictum aut percussionem motus iste progressivus, nec per aliam actionem materiali similem, sed per actionem spiritualem h. e. activam, ad quam non opus est aliqua superficie, nisi instrumenti, seu organi, cui spiritus ille adhæret. Est enim actio intrinseca, actio, inquam, movendi se a se, & quicquid sibi hæret, non vero extrinseca cujusmodi est materialis. Dum vero se a se movet, nec ut materia, ab alio movetur anima, obsequitur illi sanguis, & per hunc sanguinem arteriæ, venæ, tendines, ligamenta, nervi &c. ejusdem motibus auscultant: quo fit ut extendente se se anima, vel contrahente, se elevante, vel deprimente, aut alio quovis modo ad & circa objectum se movente, extendantur pariter illa organa, vel contrahantur, eleventur, aut deprimantur, vel alium denique motum illius exprimant, quem exprimere apta sunt.

Cau-

Causam quod concernit; hæc est eadem, quæ passiones efficit, aliosque actus tam virtuosos, quam vitiosos: judicia nimirum, arma *Cartesii* verbo animæ propria ; e quibus, cum de convenientia vel disconvenientia rei cum objecto sermo est , emergunt imprimis motiva simplicia , unde affectus , aliique XIII.
motus in actu primo , ac propterea Involuntarii dicti exoriuntur; tum determinativa, unde affectus , aliique motus in actu secundo, i. e. Voluntarii: quando scilicet anima reflectendo ad præfata motiva assensum reduplicat, ut toties fuit significatum. Exhinc igitur anima sanguinem artusque movet nunc remisse, nunc efficaciter, derepente, aut cum tempore , h. e. cum XIV.
deliberatione &c. secundum cujus differentiam augentur, minuuntur mutantur iidem voluntarii motus.

Quod item de causis Habituum dictum est, applicari debet XV.
motibus membrorum habitualibus. Sic, si habere cupimus expeditam manum (exemplum est hoc Gassendi) ad exercendos omnes motus, qui pulsandæ cytharæ E. g. sunt necessarii, oportet sensim infringere , h. e. crebro se determinare ad infringendam rigiditatem omnem obstantem in ipsis nervis , musculis, digitorum articulis, imo & in cute ipsa & partibus reliquis. Crebro autem determinamur , quod crebro reflectamus supra motivum agendi, eique assensum crebro pariter adhibeamus, quemadmodum cit. loc. de Habitibus fuit adnotatum . Narrat *Digbæus* virum quendam in Anglia fuisse , qui si porcellum assum aperto hianteque ore (ut in iis regionibus parari solet) illatum mensæ intueretur , impediri non potuit , quo minus diductis faucibus hiaret : item de alio , quem certa manus motio in aliis observata ad ejusdem imitationem provocabat . Hic cum tegularius esset , unaque manu instrumenta, altera tectum , ne decideret , teneret , factum a quodam motum hunc observans tectum protinus dimisit eundem imitaturus , præcepsque in terram non sine vitæ discrimine collapsus est. Horum motuum causam plerique arguunt Imaginationem ; XVI.
sed quid Imaginatio , nisi actus animæ in quo ad objectum ipsa hæret defixa *per Parad.* 2.? talis autem mora circa objectum potestne esse causa motus ? Non, quia motus muscularis non efficitur , nisi per motum animalem , adeoque ex nulla

XVII mora animæ circa objectum. Dicimus proinde tales motus effluxisse ex habitu, quem dicti Viri sæpe reflectendo supra citatos motus iis adeo assentiri consueverunt, ut inadvertenter postmodum ex sensu, seu visione sola tanquam signo dato in illos abriperentur. Sic filii ac filiæ paternos aut maternos gestus observando ad hos ita suos effingunt, ut parentes in libe-
XVIII ris, liberosque in parentibus te videre credas. Imaginationis, & quidem habitualis effectus sunt illi actus, quibus quis visa vel audita frequenter imaginatur. Hujus imaginationis exemplum refert *Aristoteles l. de Admir. audition.* de quodam, qui in Abydo Asiæ urbe multis diebus se in theatrum vacuum conferebat; & ad spectaculum considens manuum complosione testabatur sibi omnia, quæ exhibita forent, mirifice placere. Idem faciebat alter haud ignobilis Argis, ut inquit *Horatius*,

Qui se credebat miros audire tragædos
In vacuo lætus sessor, plausorque theatro:
Cætera qui vitæ servaret munia recto
More, bonus persæpe vicinus, amabilis hospes,
Cernis in uxorem &c.

Sed motivum imaginandi non fuit ipsa imaginatio, sed judicium sensuum, quod nempe tragedia auribus oculisque dictorum hominum valde opere conveniebat; Ubi ergo crebra supra tale motivum reflexio facta est, data recordatione theatri huc se conferebant illi, ibique ex crebra determinatione in sua imaginatione defixi adesse sibi videbatur, quod non aderat, & intueri, quod in mente sua duntaxat intuebantur (nota vim animæ intuitivam, utpote quæ præsentia sibi facere novit, quæ non adsunt) Manuum autem illa complosio, & approbatio sequebantur assensum ab illis stato tempore præstitum iis, quæ alias Argis, aut in Abydo audiendo præstiterant. Objicies hos effectus, seu motus a vitio sanguinis processisse. Sic enim rursus *Horatius:*

Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
Expulit helleboro morbum, bilemque meraco,

Et

Et redit ad se se: Pol? me occidistis amici,
Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error.

Verum hic nos causam habitualiter imaginandi tradere contenti fuimus: in sequentibus partibus quomodo habitus gignant temperamentum, & ex vitiato temperamento lædantur functiones animales, fuse dispalescet. Determinativa igitur motuum habitualium, ut & aliorum quorumcunque actuum ab Imaginatione non sunt, sed a judiciis sensuali, naturali, intellectuali &c. prout tandiu a nobis fuit decantatum; & Superbi E. g. non aliunde torve adspiciunt, frontem attollunt, graviter &c. aut Hypocritæ, caput gerunt ad humerorum alterutrum inclinatum &c. nisi quia decere aut convenire sibi videtur, ut ut ita se habeant.

De Locutione.

Ad motum progressivum pertinet etiam locutio, ut pote in qua moventur lingua, inferior maxilla, & labia. Sed motus hujuscemodi non fiunt absque voce; præstat igitur antequam de illis differamus, ineatur ratio hujus vocis. Definiri solet vox, quod sit radius aereus e pulmonibus ad Epiglottidem, fauces, ac palatum repercussus internos animi conceptus exprimens. I.

Materia igitur vocis tam articulatæ, seu locutionis, quam inarticulatæ, seu simplicis est aer expiratus, seu rarefactus, qui *Boylæi* calculo se habet ad non rarefactum ut I. ad 15000. unde minime mirari subit, stante scilicet tanta ejus materiæ cum levitate, tum subtilitate, quam facile, h. e. prompte ac expedite voces quæque formentur. II.

Lis duntaxat hic vertitur circa efficiens principale ejusmodi repercussionis, sitne illud materiale, an rationale, seu intellectuale? Prius tenent Pneumatici, sive Materialistæ falso illo principio innixi, quod ens immateriale nequeat agere in materiale. Verum denique ad hanc syrtem naufragium pati, ac penitus submergi ac suffocari coguntur spiritus illorum animales; cum nulla ratione persuaderi possit, quod anima rationa- III.

lis conceptus suos concredere valeat animæ materiali, eosque huic relinquere exprimendos per antedictam aeris expirati repercussionem. Et si hoc suaderi non potest, qui deinde nobis imponere satagent subornando talium spirituum actionem in causa motus linguæ, labiorum, manuum, pedumque, qui locutionem plerumque comitatur. Verum non est cur hanc litem pluribus contestemur: ipsimet Pneumatici suorum spirituum causam jam deseruerunt, juraque universa tum aerem e pulmonibus refluum repercutiendi, tum loquendi animæ immate-
IV. riali, i. e. rationali concedere non sunt dedignati. En *Langy* strenuissimi alias animæ illius materialis propugnatoris decisionem, quam *Disp. de Loquela c. 1. §. 2.* habet sic deductam: *In loquelæ causam efficientem dum inquiro, non inconsultum erit partes singulas, ex quibus componitur Homo, ad examen parumper vocitemus. In vulgus vero notum est esse has partes essentiales, animam puta rationalem, & Corpus. Est ergone fortasse corpus, aut una ex ejusdem partibus integrantibus nostræ loquelæ causa efficiens? Fatendum utique insignem & simul stupendum mechanismum, artificiosamque structuram & harmoniam nunquam non observari ut in partibus reliquis materialibus corporis, ita in iis, quæ ad loquelæ productionem concurrunt: ast quicquid horum sit, tamen insufficientes mihi videntur eædem ad tam nobilem & insignem præstandum effectum; cum videam bruta iisdem partibus solidis, fluidis, & spiritibus, similibusque pene organis ad locutionem alias necessariis instructa nihilominus destitui sermone. Quare cum nec brutalis hæc sit actio, h. e. quæ nobis communis sit cum brutis, prout E. g. chylificatio, urinæ secretio* &c. *deprehenditur, ideo sine dubio aliam longe excellentiorem agnoscere debeat causam efficientem, quamque nullo pacto a corpore, aut aliqua ex ejusdem partibus solidis & impetum facientibus expectari queat. Nihilominus remotis ab hoc munio partibus solidis & impetum facientibus, seu uno verbo, corpore, nunc præter animam rationalem, cui vices hæ demandari debeant in homine nihil amplius remanet. Quapropter utique necessum, ut huic tribuamus titulum causæ efficientis; nec immerito. Cum enim placuerit clementissimo Creatori, ut mens significaret mediante corpore conceptus*

suos,

suos, ipsi hinc, si non summum, sufficiens imperium tribuit in corpus nostrum, quod animadvertere imprimis licet in actionibus, quas Physiologi alias Voluntarias appellare solent. Tale igitur imperium *tenet anima rationalis in organa corporea præsertim locutioni inservientia, ut respondeant omni tempore motus* V. g. *linguæ, labiorum* &c. *cogitationibus diversissimis in mente conceptis. Unde vero illud? sine dubio hoc in passu talis harmonia intercedit inter mentem & organa, ut eodem momento, quo illa suas cogitationes per loquelam exprimere intendit, hæc præstando obedientiam actionem hanc celerrime expediant. Accedit, quod ullo modo vix concipi queat viva propria locutio absque directione animæ rationalis. Dum enim hunc in finem clementissimus Creator concessit homini loquelam, ut anima rationalis tanquam partium loquelæ destinatarum gubernatrix queat pro lubito hisce mediantibus ideas sibi formatas aliis repræsentare & communicare, verbis quasi singulis vim & vitam largiri, minime locutionis titulum mereretur vox inscia mente prolata. Ex quibus cum appareat locutionem non solum mentis actione inchoari, sed & ejusdem imperio atque directorio, absolvi utique ac formari, iccirco etiam nunc concludo loquelæ præfatæ causam efficientem & principalem esse unicam animam rationalem*. Sic ille præclare; ego jam vero subsumo: sed si organa locutioni dicata parent immediate imperio animæ rationalis, organa quoque progressivis reliquis motibus parent ejusdem imperio (nulla quippe ratio assignari potest, quæ ista excludere debeat potius quam illa) ergo instrumenta quælibet motus progressivi obsequuntur immediate imperio animæ rationalis, non vero animæ materialis. Ergo nulla est, ut positum fuit Disq. 2. V.

Quod attinet modum per quem anima in sanguine existens agit tam in aerem expiratum, quam in linguam, labia, mandibulam inferiorem &c. non differt is a formalitate motus aliarum partium progressivi, quam tradidimus paulo supra: nimirum anima ideas suas & determinationes in plexu chorroideo conceptas totidem diversis motibus exerit in sanguinem; & hic ita commotus ex pulmonalibus vasis tot ictus dat in aerem ab ipsismet pulmonibus refluum, quot ipse pertulit ab anima: quo VI.

fit,

fit, ut idem aer nunc segniter, nunc velociter propulsus ad epiglottidem, fauces & palatum, unaque per linguæ motum, aut labiorum postea divisus aut disfractus sonum edat animi motibus, quo conceptus exprimuntur, penitus correspondentem. Activissima igitur potentia anima levissimam subtilissimamque materiam nacta dum 2. 3. 4. 5. &c. interpolatos aut successivos ictus in illam exerit totidem exprimit litteras A. B. C. &c. vel divisas vel conjunctas, hocque tanto citius, quanto magis assue-

VII. verit dictam materiam allidere & ad extra promovere. Quamobrem aliæ sunt voces, quæ fiunt ad tempus, aliæ ex improviso, & aliæ denique habituales, secundum videlicet diversa motiva, determinativa, & diversos loquendi habitus, quemadmodum dictum est de motu progressivo.

VIII. Insuper quo plura sunt determinativa, eo prolixior & validior est sermo & usque adeo perseverans, donec cuncta, quæ pertinent ad mentalem illam determinationem velut explosa sint; in quo casu discursus, qui antea mentaliter conceptus fuerat ad extra migrat ob præfatam determinationem. Qui qui-

IX. dem actus, i. e. discursus cum brutis minime sit concessus, patet ratio, propter quam hæc neutiquam loquantur; tantum conceptus suos sensuales naturalesque explicent per unam aut alteram vocem; eo quod sensualia & materialia longiori expressione non indigeant, & præterea istorum appetitus, aut fuga motu corporeo potius obtineatur, quam sermone vel voce. E contra homines, quibus datum est intellectu & ratione prævalere, quam corpore, quique ex natura sua intellectualia ut & spiritualia appetere debent, honesta, inquam, & æternam salutem conducentia, pluribus longe determinativis abundant, quam illa, ita & ad exanthlandos mentis suæ conceptus prolixiori loquela opus habent.

Cætero denuntiatum fuit supra, qualiter in locutione intantum brachiorum, manuum &c. motus linguæ ac labiorum motum comitatur, in quantum quod uterque horum eandem caussam agnoscit, actionem videlicet animæ ad tales partes determinatam: utpote quæ cum sit universalis, æque tangit sanguinem in pulmonibus, lingua &c. existentem, ac qui in manibus pedibusque. Et sic, quum sermo est de loquela muta, quæ

per

per nutus & gestus exercetur, facile intelligitur causa efficiens X. istorum motuum: esse nimirum animam per se percutientem in partes, quæ moventur secundum ipsas determinationes, quas habet in loquela, pro instrumentorum tamen movendorum varietate tantum diversas: adeo ut hominem, gestibus ac nutibus loqui, atque voce, quoad causam, hoc est determinativa perinde sit.

Hoc ipsum applica Scriptioni, qua unius digiti, nempe indicis calamum plectentis ope ac motu solo interno animi sensus XI. manifestare solemus: quod dum contemplor dictum supra de causa & modalitate loquelæ cumulatissime exemplicatum video. Anima determinata ad scribendum ex assensu reflexo supra ali- XII. quod judicium, incipit mediante sanguine dare suo digito motum A. V. g. deinde motum B. & sic deinceps, donec totidem ejusmodi motibus confecerit litteras objectum, circa quod versabatur tale judicium, exponentes. A pari ergo eadem determinata ad loquendum incipit quoque dare aeri expirato motum A; deinde motum B. & sic de cæteris vocibus, donec conficiat suum discursum: nec aliud discrimen intercedit inter motus hos, nisi quia qui in aerem impinguntur incredibili cum celeritate expediuntur, non sic qui in digitnm; quoniam scilicet materia movenda est in qualitate ac mobilitate diversa. Motus quippe ab aere facile excipiuntur, nulloque negotio combinantur in syllabas & integras dictiones; motus a digito non ita, i. e. singillatim præmi debent, quemadmodum consideranti patescit. Idem dic denique in facto aliorum motuum progressivorum; & videbis etiam in his animam pari modo agere &c.

Ad cantum si sermo devolvatur; notum est cantum esse vo XIII. cem prolixam & in fine acutam, per crebram aeris repercussionem ad epiglottidem & laryngem modulatam, tantoque magis sonoram, quanto majori cum impetu aereus radius repercussus foras fuerit emissus. Distinguitur a Clamore per id, quod clamor vox est vehemens citra modulationem diductis faucibus XIV. ejecta; a Sibilatione vero ex eo, quod ista fit, cum aer expiratus depressa lingua alliditur ad palatum contractis labiis. Causa est semper aliquod determinativum, per quod anima deinde

se

ſe movet ad percutiendum aerem illum ſecundum ideas, quas habet de notis muſicis, aut aliter ſonoris, ſive actualiter illas videat, ſive teneat in ſe impreſſas tanquam viſu vel auditu perceptas.

Pertinet item ad hunc locum Riſus & Fletus. Riſum a reniſu
XV. dictum fuiſſe probabilius puto, quanto magis adverto ſolidas partes fluidis reniti in ea actione, & ex hoc propterea reniſu riſum cieri. Quod ut clarius pateat, explico talem actionem ſic. Et imprimis quidem repeto quod *prop.* II. manifeſtatum eſt, animam ſcilicet in affectibus appetitum corcernentibus extenſive ſe habere; & alibi, quod hæc extenſio aut expanſio in ſanguine proprio ſcilicet ejuſdem animæ ſubjecto, terminatur. Hoc igitur poſito, quoniam in Lætitia, Gaudio, Amore &c. qui ſunt affectus appetitivi, ſanguis effuſiori, quam alias modo agitur tam quoad circularem, quam quoad inteſtinum motum, ſequitur ex hoc, ut in ejuſmodi affectionibus major accedat vis in pulmonibus ex parte ſanguinis, quam, quæ neceſſaria eſt ad ſervandum inter ſolida & fluida in iis partibus æquilibrium. Solida namque & fluida in partibus quæ reciproce ſe movent, ſunt inter ſe æquilibratæ, eorumque reſiſtentiæ ſemper ſunt proportionales viribus contranitentibus, ut norunt Mechanici. Quocirca a tali virium in fluidis acceſſione tollitur reſiſtentia ex parte ſolidorum in dictis pulmonibus, impediturque adytus ad eoſdem aeri ſtato tempore ingredienti; unde expiratio protinus evadit inſpiratione major, loborumque motus regularis e ſtaſi ſua naturali dejicitur. In hac regularis motus deſtructione ob inequalem
XVI. aeris acceſſionem inequaliter concuſſi iidem pulmonares lobi, cachinnum dant, aut riſum, prout nempe expiratio major extiterit, aut minor, dum in majori expiratione buccæ magis expanduntur, labia magis diducuntur, voceſque cum majori impetu proferuntur, in cachinno, quam in riſu, eæque vix unquam integræ ob præfatam concuſſionem, reſpirandique inæqualitatem. Pro diverſa itaque gradualitate vel extenſionis animæ in ſanguine, vel expanſionis variæ occurrunt riſus differentiæ. Nam aliud eſt cachinnari, aliud ridere, aliud renidere, aut ſubridere: in quibus duabus noviſſimis actionibus ut ex parte ſanguinis minor eſt renitentia, ita aeri conſueta migrandi & re-
mt-

migrandi potestate facta voces integræ emittuntur, secus atque in prioribus risus speciebus.

XVIII. Contrarium omnino accidit in Fletu: quo nomine non accipio hic pueriles illas lacrimationes ejulationesque, sed lamentationes singultibus crebris admixtas. Horum quippe actuum remotam causam notum est esse Mæstitiam Gaudio & Lætitiæ oppositam, ejusque essentiam consistere in animi contractione ab objecto. Quatenus proinde liquet contracto vel constricto sanguine majorem nisum accedere potentiæ solidæ pulmonum; eatenus quoque haud hærendum est, quominus sublato inter utramque potentiam æquilibrio pulmonum lobi concidendo præcludant adytum aeri introducto; & hinc inferant gravitatis sensum; a quo XIX. anima commota dum talem sarcinam pellere contendit; Gemitus porro, singultus, & suspiria elicit juxta copiam halituum in pulmonibus retentorum majorem vel minorem, majoremque aut minorem respirandi inæqualitatem a majori quoque aut minori illa sanguinis contractione aut constrictione productam. De lacrymis quod hic loci stabiliendum venit; occasionem illis dat eadem san- XX. guinis constrictio, utpote per quam ex arteriolarum finibus solito uberius serum exprimitur; dum illæ, quæ in Gaudio profunduntur solito quoque majori ejusdem sanguinis ad exteriora commotioni debentur.

De Somno & Quiete.

Qui docent Voluntatem esse Intellectum extensum ad habendum aut faciendum, quamvis ex una parte verum doceant (neque enim quis vult, nisi petat ad id, quod appetit) ex alia tamen, quid de Voluntate, seu Intellectu negante habere, vel facere id, quod cognoscit, docere possint non video, nisi forte, ut Voluntatem in extensione, ita noluntatem hoc est negationem habendi, aut faciendi, in contractione constituant, tertiamque hoc est nolendi potestatem intellectui adjiciant. Usque adeo verum est, quod quid sit Intellectus, quidque Voluntas hactenus fuit ignoratum. Quodsi idcirco, prout in nostra doctrina, statuatur anima a se mobilis, hoc est indifferens ad se movendum, ejusque motus vel non motus a diversis judiciis, seu motivis deri-

ventur, nec non ex variis determinativis, æque sciri potest, quamobrem eadem se moveat, aut non moveat, velit aut nolit, se se extendat, aut contrahat; seque ipsamet moveat, quum sentit, aut materialia cognoscit, perinde ac quando intelligit, & ratiocinatur. Ex judicio quippe sensuum nunc se movet ad ea, quæ conveniunt visui, auditui, palato &c. nunc se non movet ad ea quæ non sunt ejusmodi &c. Unde igitur negatio motus, i. e. Quies? ex motivis, quæ proveniunt a judiciis nostræ mentis; quæ nunc simplicia sunt, nunc cum reflexione, seu iterato assensu, h. e. cum determinatione: adeoque negatio illa sæpe est involuntaria, i. e. in actu primo, quando non intervenit reflexio; nonnunquam etiam voluntaria, quando est determinata. Confer. dicta *in præced. subsect.* ac propterea quies interdum est affectus, ut Complacentia; interdum virtus moralis, ut Temperantia; nonnunquam etiam vitium ejusdem cathegoriæ, ut Ignavia, Desidia, Otium &c. juxta diversitatem motivorum, per quæ anima se determinat ad non agendum tam ad intra, quam ad extra. Sed quies ad extra directe opponitur motui locali, & vel respicit totum corpus, ut in Decubitu, vel aliquam ejus partem tantum, ut in Sessione, Subnixione, Appositione, prout idem corpus, vel aliqua ex ejus partibus componitur ad quietem, ut res per se sufficienter dispalescit.

I. Quietem plerumque somnus excipit; quo circa istius quoque pertractatio alteri fuit annectenda. Est Somnus cessatio mentis ab omnibus suis operationibus, quæ fiunt in plexu chorroideo atque in sensoriis; & differt a Somnio per hoc, quod mens in isto ab externis muniis, motu ac sensu, duntaxat ferietur, ab
II. internis vero nequaquam: & hinc dividi solet somnus in profundum, qui est vere somnus, & in superficialem, qui est idem cum somnio: sed de hoc postea, impræsentiarum agemus de profundo & quidem naturali somno, dum de artificiali *loco de*
III. *Narcoticis* reservata est tractatio. Est ergo somnus, quem intendimus, somnus sine somnio; & est vel determinatus, sive Voluntarius, vel indeterminatus, sive Involuntarius, quemadmodum & quies, a qua principium somni. Involuntarius somnus
IV. nus fit, quum citra illam animadversionem membra ad quietem

tem componimus, oculos claudimus, curas & contentiones mentis abjicimus, prout ex sensu delassationis. A tali quippe corporis dispositione quoniam sanguis nulla interna vel exterua affectione solicitatus paccatiori, quam antea, motu iter suum pergere incipit cum alibi, tum in plexu chorroideo, mens propterea ad tale exemplum ad cessandum a suis operationibus invitata pedetentim pariter ab iis abstinet, donec a sensu quoque & motu externo abstinendo dormiamus. Efficiens igitur instrumentale somni est V.
motus sanguinis sedatior redditus, id quod pluribus suadetur; dum in affectibus paulo validioribus & continuatus sumi non potest somnus: insuper nec in calida tempestate, neque in febre ardenti &c., quemadmodum e converso hyemali tempore, aut æstate in locis frigidiusculis nullo negotio idem capitur; nec non a pastu quando sanguis accessione chyli demulcere incipit atque incrassari; ac postremo ab aliis causis occasionem præbentibus laudatæ sedationi, ut V. g. ab opiaticis. Volunta- VI.
rium quod concernit somnum, illum videlicet, qui fit ex animi determinatione, seu reflexo assensu supra aliquod judicium vel sensuale, vel naturale, vel etiam intellectuale, ut quod deceat dormiente domino quiescere &c., causæ sunt in aprico; & modus fiendi somni nihil differt a modo exposito.

Ad quem propterea si respiciamus, videbimus utilitates somni VII.
refundi omnes in sanguinem, & hoc mediante in reliquos humores, partesque orgonicas. In dubium quippe a nemine verti potest, quin imprimis in sanguinei globuli diutinis affectibus, seu passionibus, aliisque voluntariis motibus contriti & conquassati maxime ob eorum impulsionem & repulsionem in & ex minori spatio ingens tum quoad substantiam, tum quoad figuram passuri forent detrimentum, nisi iisdem animi motibus per intervalla stato tempore sedatis convenientem reciperent refectionem: qua obtenta, ut reciproci motus omnes ad æqualitatem debitam restituuntur, ita & functiones omnes naturales æquo modo se habere non desinant *per Asser. 6.* Fidem huic asserto VIII.
faciunt brutorum non pauca somno per certum tempus sepellientia se se, ut glires, mures montani, ursi, quæque dormiendo per totam hyemem pinguescunt enormiter: item infantes, qui quo felicius dormiunt eo magis nutriuntur; & ratio est,

quia sanguine ad stasim suam naturalem restituto, functiones quoque naturales omnes egregie persolvuntur.

De Insomniis, quæ fiunt ex ideis objectorum extra corpus existentium.

Indicium sufficientis somni sunt Insomnia. Incipimus tum vero somniare, quando sanguis elateri suo pristino restitutus sic ad suos motus redit, ut quemadmodum vigiliarum tempore, ita in somno & vigeat & circuletur. Sed quandoquidem vegetus iste motus citius plexui communicatur, quam sensoriis externis, sequitur ex hoc, ut mens a tali perceptione antea excitetur ad operandum in ea parte, quam in his, ad operandum, inquam, intrinsece circa ideas proprias, priusquam extrinsece circa objecta sensibilia. Et nihilominus tamen quo recentius perceptæ sunt illæ, nempe ideæ, eo præsentiores fiunt; mensque in has potius intuetur, quam in alias diu perceptas: unde haud ineleganter cecinit *Claudianus*:

Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno
Tempore nocturno reddit amica quies:
Venator deffessa thoro cum membra reponit;
Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit:
Judicibus lites, aurigæ somnia currus;
Vanaque nocturnis meta cavetur equis:
Furto gaudet amens; permutat navita merces,
Et vigil elapsas quærit avarus opes.

II. Ubi non parum interest distinguere inter ideas simplices & compositas; hoc est inter singularium repræsentationes, & propositionum judicialium, seu motivorum, necnon determinativorum. Ex illis quippe fiunt somnia confusa, sive irregularia; ex his ordinata, sive regularia, maxime ex repræsentatione determinativorum, cujusmodi sunt, quæ innuit Poeta præfatus. Dum enim lustrat mens ejusmodi determinativa, in conspectum illi etiam veniunt, quæ præcesserant, ansamque dederunt talibus determinativis, & quæ insequuntur, vel insequi debent istas determinationes: cum e contra sine iis nihil posterius, & phantasmata non aliter cohæreant, quam scopæ dissolutæ.

De-

Destinaverit ergo quis diurno tempore iter Verb. gr. facere; noctu post convenientem somnum occurrunt menti species determinatæ, equi scilicet comeatus, viæ, & in ea clivium, vallium, arborum &c. quod si pridie sic non fuissent constitutæ tales species, nequaquam subinde in somnio tali ordine occurrissent. Idem dic de Somniis Studiosorum ac Sapientum; narrat *Zanardus* de se ipso sequentia, ut *Sperlingius Zoolog. phys. c.* 16. refert: *Hoc mirabile in me cognovi, quod cum non sim in componendis carminibus multum versatus (verum fateor) neque in Græca Hebraicaque lingua, in somno currente discursu carmina pulcherrima latina, vulgariaque formaverim, & terminos antedictarum linguarum cognoverim, ut mane expertus sum; concionesque ordinatas, ornatas & pulchriores in somno confecerim, quam in vigilia, & quæ in vigilia cum multo labore non penetravi, in somno in promptu habui; & plura hæc mihi acciderunt, quæ sine opera Intellectus fieri non possunt.* Verum diu haud allaborandum est, ut probemus somnia operationes esse animæ alicujus materialis, aut sensitivæ; cum hæc & similia plura exempla contrarium evincant: illud magis nos tangit, unde nimirum sint hæc insomnia? quod nihilominus ex dictis facile elucescit. Nam regularia cum sint, non nisi ex determinativo aliquo derivari debent: tale vero determinativum est in *Zanardi* casu, quod decorum, gloriosum &c. ipsi fuerit græcas, hebraicasque dictiones cognoscere, carmina formare &c. A somno quippe reflexa mens super istiusmodi determinativum non potuit non conjungere conformia & segregare difformia quoad similitudinem, & hinc non videre maxime similes, easque componere, dissimiles vero disjungere: a quibus porro operationibus carmina illa & conciones pulcherrimæ evaserunt eo præsertim tempore, quo mens circa idealia sua objecta duntaxat versatur. *Anima siquidem non perturbata* (ratio est *Digbæi Instit. Peripat. l.* 2. *lect.* 2.) *ex natura sua* (intuitiva) *objectorum obversantium, quam habet ad veritatem* (conformitatem rei cum objecto) *vim clarius percipit & latenter dirigit; inde fit, ut futura, vel absentia, quæ discursu elicuisse non poteramus vigilantes, in somno interdum percipimus.* Et de Insomniis quidem ex operationibus animæ circa ideas ab sensoriis exceptas hactenus.

III.

De Somnambulatione.

Ultimum, quem hic attingimus quorundam Somniantium actus ita huic loco videtur reservatus, ut pro confirmatione & synopsi hucusque dictorum de sensu, internis operationibus, & motu animali inservire debeat. Quid etenim Somnambulantium, nisi exercitium functionum omnium animalium excepto sensu? Et quomodo anima tales functiones exercere posset, nisi esset substantialiter, h. e. intrinsece & extrinsece intuitiva, adeoque & cognoscitiva & intellectiva; & præterea non esset a se mobilis interne rursus & externe, h. e. se determinans & corpus loco movens, adeoque volitiva? Eamus per exempla, horumque primum sit, quod describit *Gassendus in Vita Periescki*: Joh. Fernandus meus (inquit is) ita consurgit, ut fores aperiat, in vicum procedat, in cryptam vinariam descendat, vinumque ex dolio hauriat, quidvis simile faciat, scribat quoque interdum, & licet ista, aliaque id genus in mediis tenebris peragat, perinde tamen clare, ac interdiu videat; neque id modo, sed etiam ab uxore interpellatus ipsi apposite respondeat: omnia interim expergefactus cum est recordatur, imo etiam in medio vico, aut in crypta, aut alibi expergiscitur. Externi ergo sensus erantne ligati in hoc viro? Non erant omnino ligati, cæterum non audivisset; verum aderat nihilominus quædam cohibitio, cujus ratione idem adhuc obdormiebat, quæro itaque unde & quale esset ejusmodi impedimentum? Respon. processisse hoc in nostra sententia ex lentore sanguinis exigua vasorum capillaria perreptantis in sensoriis, & ex eo, quod mens in illum nondum ageret. Prior ratio est evidens cura Noctambulonum, quæ fit per solventia & incidentia, posterior patet ex natura somni. Excipies non esse culpandam humorum lentescentiam animæque intuitivitatem, quotiescunque membra & articuli affabre moventur. Sed contra est, quia in Somnambulis anima est determinata ad motum, non est determinata ad sensum; adeoque movetur sanguis ad partes motui destinatas, non autem ad illas, quæ inserviunt sensationi. Sic cum dicitur Noctambulationem esse somnum vigiliæ proximum; hæc propinquitas intelli-

gi debet de ſanguine, qui in ſenſoriis nondum ab anima, ut ſic dicam, irradiatus eſt, quemadmodum in vaſis capacioribus motui animali dicatis. Liquet igitur exhinc in quo conſiſtat ſenſuum in Noctambulonibus ligatura; utque ad propoſitum redeamus, actiones illius Fernandi erant determinatæ ex habitu, quem induxerat ad aperiendas fores, ad procedendum in vicum &c. quemadmodum ex habitu ſimiliter determinatæ erant actiones illorum Somnambulonum, quorum mentio fit apud *Hippocratem l. de Morb. Sacro. Galenum l. 2. de motu muſc. c. 4. Cardanum l. 8. de variet. cap. 44. Horſtium, Andream, Laurentium, Majolum, Maſſenium*, alios. Quomodo jam vero parentur habitus innotuit *prop.* 13. Ubi adeo non dicam ſcribam iis, qui Noctambulationem in melancholicam corporis conſtitutionem refundunt; ſiquidem oſtenſuri ſumus poſtea, quod ex habitibus internis gignuntur etiam temperamenta, ſeu ſanguineæ craſes peculiares; ſed hoc principium qui ponunt, effectum ſtatuunt pro cauſa. Temperamentum quippe non eſſe cauſam proximam noctambulationis ſuadetur experientia: dum nec puer ille, cujus meminit *Libavius l. de Noctamb.* nec alius ille juvenis, de quo *Horſtius* erant melancholici, nec cerebrum habere poterant exſiccatum: addo his etiam caſum, cujus nuper, dum hæc ſcribo, teſtis fui. Filiola quædam D. Conſtantini Mercatoris fere decennis circa finem Februarii hujus anni præmature ſatis cubitum profecta bihorio elapſo ſurgit e lecto dormiens, qualis erat in induſio; mox ſcalam conſcendit, hoſtium horrei arrepta clave reſerat, feneſtram ejus omnium remotiſſimam vectibus ac repagulis obſignatam aperit, ſeque ex illa præcipitem dat in ſubjectam plateam lapidibus ſtratam (mirum quod manſit incolumis, ut ut a tertia domus contiguatione). Mulier interea quædam e vicinia audito ſtrepitu tanquam ſarcinæ cujuſdam ab alto dejectæ locum facula explorat, invenitque puellam ſibi ultro notam humi jacentem ſupinam dormientemque. Excitat ergo illam, manuque prehenſam ad ſuos adhucdum vigiles & foco aſſidentes reducit. Mane facto acceſſimur ego & Chirurgus mecum ſciſcitandi cauſa, quo loco ſtarent res noctambulæ; utque vidimus ſalva eſſe omnia, rogavi matrem ediſceret a filiola, quid forte ſomniaſſet, quidque externa die animo volu-

lu-

volutasset? Nec mora; paucis elapsis diebus detulit ad me illa, rescivisse se se a puella ipsa, nec non ex fraterculis & sororibus cum ea cubare solitis, qualiter illa die valide commota fuerat eadem ex gestibus & actionibus viri cujusmodi personati (agebantur enim tunc temporis Bachanalia) quique obvias quasque adolescentulas quasi basiabundus appetebat; edixisse propterea illam, ut cubiculum ingressa est, si talis persona ad ipsam forte accederet in cubiculo, recepturam sese in horreum, indeque e fenestra præcipitem se potius daturam, quam ut ab eo viro basiari pateretur. Ille ergo Juvenis qui e lecto surgens indutus vestimentis, calcaribus appositis super fenestram conscendebat, & hinc atque inde divaricatis cruribus parietem perinde ac si equus esset, incitabat. Alter vero biliosus contentiosus, & litigiosus, qui noctu surgens arma velut enses, pugiones, hastas &c. comportavit, hastas vibravit, ac contumeliosis verbis antagonistam quasi suum compellavit, non secus ac si vigilans cum aliquo contenderet. Eratne itaque temperamentum melancholicum, & præterea cerebrum siccum, (sunt verba *Keckermanni Syst. phys. l. 3. c. 29.*) & denique spiritus subtiles, ferventes, impetuosi ejusmodi Somnambulationis causa efficiens? Non; sed fuit pridianum motivum, & determinativum, quod, quia recens & valide impressum fuit, cum post animæ a somno mox excitatæ sub conspectum cadit, hæcque circa illud operari incipit, in causa fuit, cur eadem se movere cœperit secundum ordinem idearum comitantium tale determinativum, quoad proposita quæque executioni mandata fuerunt, sensu interea silente, quoniam ad sensoria eadem haud se converterat. Quocirca ex his aliisque capitibus concludendum venit duplicem esse Noctambulationem; alteram habitualem, alteram ad tempus. In priori sanguis certe peculiarem crasim nactus idoneum evadit ad somnambulandum instrumentum, prout constabit ex dicendis de moribus ex temperamento: in posteriori nulla est illius prava diathesis, tantum fortis determinatio ex aliquo motivo: quare invaluit opinio apud plerosque, ut crediderint somnambulationem imaginationi esse adscribendam. Sic enim inter alios *Andreas Laurentius loquitur l. 4. Hist. Anat. qu. 12. dicamus moveri dormientes, quia exigua vis in musculis latens a forti imagi-*

ginatione excitatur: propterea non moventur somniantes, nisi valida imperante imaginatione brutorum imaginationi simillima. Videl. imaginationi tribuunt, quod est proprium voluntatis; an quia voluntas est una res cum intellectu, dormientes vero hujus compotes nequaquam sunt? Sed ex dictis de somniis manifeste liquet; item & somnambulos, quod evidenter probat historia, quæ refertur Eph. Germ. Cur. D. 2. A. 5. O. 189. de juvene studioso, qui a Præceptore exhibitum sæpius argumentum Germanicum latinitate donandum, Discipulus lucubrationes aliis impendens studiis versionem in latinum auroræ semper reservavit; e lecto vero surgens manum ac mentem operi admoturus hoc a se infectum jam jam factum invenit. Quocirca re insolita attonitus factus diabolicas suspicatus est illusiones, proindeque præceptori omnia detulit: hic autem jussit binos ejusdem commilitones accuratam dormientis curam gerere: dictum factum; sanus ille æger una alteraque hora somno usus surrexit musæumque ingressus latinitatis specimina inscius confecit, ac ad lectum rursus se recepit pro ulteriori somno capessendo. Narrat etiam *Christ. Francis. Paullini Obs. Medico phys.* 21. de quodam Silesio vitæ modestioris studioso, qui crebrius post mediam noctem in somno surgens preces recitabat matutinas, cantabat hymnos sacros, aliquando concionem vel lectam, vel nuper auditam sine multa hæsitatione repetebat, & demum in lectum iterum se conjiciebat: versus etiam somnians ingeniosissime fudit & cudit, suaque manu scripsit: inter quos lubet tantum sequentes (inquit *Zan. in specul. Physicomathemat. scrut.* 5. *Disq.* 2. *c.* 6. §. 2.) in eximium Juristam lucriorem pauperculo clienti marsupium exentrantem hic recensere, unde acutissimum ingeniosi somniantis laborem colligere possumus:

Addiderat vetus illud J. U. D. pro more lucrosus
Quid sibi cauda, rogat Rusticus, ista velit.
Tandem cum gemitu; nunc, nunc ex ungue leonem
Noscito! Judæus, sic ait, iste fuit.
O Jurista tuam modo clarius exprime mentem:
Cur non scribis Guth, cum tamen istud ames?

Sed me ter miserum! J. U. D., J. U. D. bona cuncta voravit:
Atra D. J. U. nigrum J U. D. mihi Morsa fuit.
O fugite hinc, quot quot sapitis; latet anguis in herba!
J. U. D. Juristarum devoret omne bonum.

Intelligunt itaque somniantes, & per consequens volunt, h. e. se determinant ad agendum non ex præsentanea, sed ex jam facta deliberatione, quæ postea in somno menti repræsentata in causa est Somnambulonum, prout nuperrime innuebam. Ut vero mens determinata peragit actiones omnes concernentes suum determinativum; ita mens imaginans nequit efficere nisi solum actum imaginandi, qui ex diametro repugnat tum actionibus reliquis noctambulonum & præcipue cum motu progressivo, ut constat ex natura imaginationis, de qua videsis *parad.* 2. Talem vero determinationem præextitisse in mente eorum, qui noctambulant, ex historiis eorum colligi potest. Nihilominus ejus considerationis gratia tradam adhuc istud ex *Martin. Delrio Disq. Mag. l.* 1. *c.* 3. *qu.* 3. quod sic habet: Erat Laicus quidam Legione Hisp. in quodam Religiosorum Collegio solitus interdiu pueros rudimentis Catechismi imbuere. Cogitationes eædem dormienti recurrebant, ita ut in somnis & præcineret & doceret & hortaretur & increparet pueros æque clamose ac ferventer, ac solebat interdiu, sicque turbabat vicinorum somnum. Itaque qui propinquior illi habitabat alter Laicus, eum sæpe monebat. Quadam die illi per jocum minatur: si pergat hos clamores edere, surrecturum se noctu, & ad cubiculum ejus iturum, & flagello ex funiculis intemperies has abacturum. Quid noster Consalvus (sic enim vocabitur) surgit circa noctis medium, & egressus, ut decubuerat, in indusio, cubiculum fratris Collegæ ingreditur manu forfices tenens, ac præsentans, & rector ad cubiculum alterius, qui fuerat interminatus contendit. Vide Dei providentiam! luna lucebat, & nox innubis erat, & frater ille vigilabat: videt accedentem, & celeriter se de lecto dejicit, qua parte erat nonnihil remotior. Noctambulus lecto proximus forficibus culcitram ter, quaterve petit, & confestim redit, unde venerat. Mane facto interrogatus negat se meminisse neque id facere unquam

in

in mentem vel leviter induxisse: tantum cogitasse, si alter cum flagello accederet, illum intentatis forficibus perterrefacere, & abigere. Confer. *Alemana comment. ad l.* Hippocratis *de aere*, aliosque plures.

De Evigilatione & Somno.

Mente demum suas longe lateque actiones diffundente sanguis etiam in sensoriis actuatur. Probant actionem hanc animæ diffusivam imprimis rumor ille, aut strepitus, quem evigilaturi sibi audire videntur centauricæ hostiorum pulsationi similem, aut explosioni alicujus bombardæ, aut tonitrui &c. ita ut, quod si forte somniamus ab alto ruere nos credimus, aut fuisse vulneratos; adeo nempe vehemens illa est actio. Quod si oggeris hæc plerumque non contingere; resp. hoc provenire ex diversa in variis sanguinis constitutione. Certe quibus sanguis vividus est ac solutus talia accidere in expergiscentia experimur, & quidem omnium maxime in juvenibus ob præfatam sanguinis constitutionem. Quamobrem in tali actione illud evenire mihi videtur in sensoriis, quod accidere asserit *Lucretius* in articulis ita de causa motus illorum canens:

Ergo animus cum se ita commovet, ut velit ire
Inque gradi, ferit extemplo quæ in corpore toto
Per membra atque artus animai dissita vis est:
Et facile est factu, quoniam conjuncta tenetur.
Inde ea pro porro corpus ferit, atque ita tota
Paulatim moles protenditur atque movetur.

Cæterum a totali actione animæ in sanguinem & sensoria oritur Vigilatio, quæ *Chavino in Lexic.* est sensationis externæ in homine actualis exercitatio: nec inepte, nisi causam deinde hujus exercitationis traderet ineptam. Nam dum subdit pendere illam ab organorum libertate, non affert causam, sed conditionem duntaxat, sine qua non, imo unicum ex requisitis instrumentalibus ad sentiendum: siquidem ad

hunc finem exigitur insuper dispositio humorum, & debita sanguinis constitutio in sensoriis. Talis vero conditio estne causa efficiens actualis sensationis? Nequaquam; sed est actio animæ, tanquam causæ principalis, per quam Sanguis & reliqua tam inorganica quam organica disponuntur ad excipiendas objectorum impressiones; ad quas porro conversa eadem, nempe anima, sentit subinde, hoc est int[illegible] unde etiam Vigil dicitur quisquis videt & legit. At nos jam jam eo, unde initium fecimus reversi sumus. Absoluto igitur hoc tanquam circulo nostras indagines hic sistemus.

MEMBRUM POSTERIUS.

De Motibus Animi ab objectis in Corpore.

I. Accedimus ergo impræsens ad rimandum sensum sanguinis immediatum juxta divisionem initio propositam. Complura vero sunt, quæ hunc sensum faciunt, hoc est sanguinem immediate afficiunt: dum præter genituram, quæ ingerit se se ovulo in prima generatione, maternosque humores, qui se se itidem fœtus sanguini commiscentur gestationis tempore; confluunt ad illum, in lucem jam edito eodem fœtu, multigenæ ciborum partes in chylum mutatæ & cum aere plures aliæ reculæ ejusdem sanguinis vel motum, vel substantiam afficere aptæ: ex qua affectione postmodum innumeræ emergunt perceptiones & ideæ diversorum actuum & habituum naturalium causæ.

Hoc argumentum quamvis prima fronte nonnullis videri possit paradoxum tantæ nihilominus dignitatis est, ut abditiora quæque Physicæ & Medicinæ arcana in se contineat, quicquid nimirum Imaginationi, Magnetismo, qualitatibus occultis, Mumiali habitui, Spirituum attraxiis, aliisque hujus comatis causis falso hactenus adscribi consuevit: nec non præterea rationes, propter quas medicamenta quælibet ac venena mutandis animorum speciebus, actibus & passionibus tam valide quandoque inserviant; adeo ut citra dicti sensus

co-

cognitionem, quomodo nimirum sanguis ab assumptis, aut alio quocumque modo ad illum introductis rebus afficiatur, desperem Medicum ad perfectam non animalium modo, sed & vitalium functionum læsarum cognitionem quoque posse devenire.

Ante auspicandum tamen præstat nos certiores fieri de hoc sensu. Licet enim tam *ex Asser.* 4. quam *ex theor.* præfixo ad hanc Partem sufficienter innotescat organon principale sensus esse sanguinem, positioni tamen isti non pauci adhuc refragantur. Probo itaque rem sic. Organon fundamentale sensus non sunt solida; ergo fluida, i. e. sanguis seu rubelli ejusdem globuli, prout significavimus *locis cit.* Prob. anteced. quia sedes animæ non est in partibus solidis, sed in sanguine; ubi vero anima immediate non est, ibi non potest esse organum principale suarum operationum, nec per consequens organon principale sensus. Neque dicas utrumque instrumentum huic operi inservire principaliter debere, siquidem frustra multa sunt, & anima vel solida primario inhabitat, vel duntaxat fluida. Prius nulla ratio, nulla experientia, nulla necessitas evincit, ergo concludendum est animam incolere duntaxat sanguinem, adeoque hoc esse principale sensus organum. II.

Quod si obiicis, in quem finem itaque posita sunt sensoria externa, repeto responsionem datam *theor.* 1. *allegat.* quoniam scilicet globuli sanguinis quia lubrici sunt & maxime tenelli fibris circumvestiri debuerunt, & ex istarum motu ab externis objectis varie repercusso diversas in eodem sanguine fieri tactiones pro variis sensationibus, seu objectorum qualitatibus animæ in sanguine hærenti repræsentandis: habere se se igitur fibras, seu sic dicta sensoria tanquam instrumenta secundaria motum externorum objectorum modificantia, itaut is in debita proportione ad sanguinis teneritudinem & objecti qualitatem pervenire posset, non tanquam organon principale. III.

Unde colligitur, quod si hoc organon sanguis est, si quid hunc afficere potest immediate, in ipsis vasis, peculiares inde sequi debent sensationes. Equidem ad hunc sensum non requiruntur crassa illa objecta, aut uno ictu aliquorsum se ferentia, quæ externum gignunt sensum. Talia quippe corpora IV.

præter

præter quam quod non reperiuntur inductibus sanguiferis, nequeunt singillatim percellere dictos globulos, prout hoc faciunt in sensoriis minimarum fibrillarum ope. Requiruntur igitur objecta, sive corpora proportionata, ut effluvia quædam seu moleculæ rigidulæ, quæ singulos quoque globulos tangere ac ferire valeant, aut alia corpora magis crassa, quæ illorum motum a consueto divertant. Mutato enim sanguine in substantia, aut motu sensus in eo fit & perceptio mentis, quæ antea non occurrebat. Insinuari vero in sanguinem ejusmodi moleculas, aut generari non est qui neget. Ergo præter sensorium, qui est sanguis, adest in vasis etiam sensile, quod est vel salinum quid, vel crassum, terreum, aut serosum &c.; estque id, quod nos vocamus objectum in corpore. Verum hæc magis elucescent ex dicendis & confirmabuntur: locus tamen postulat, ut priusquam de sensationibus, indeque oriundis animi perceptionibus, differamus, aliquid etiam præmittamus de vi nostris corporibus ingenita; unde est

A R T I C U L U S I.

De Ingenio.

I. QUid sit Ingenium nondum liquido compertum est: si nihilominus etymo hærere placet, definiri potest Vis nobis ingenita, seu qualitas animæ ad agendum secundum corporis constitutionem; aut, cum *Apostolo* 1. *ad Corinth. c.* 7. v. 7. quod sit *Donum*, *quod unusquisque habet ex Deo*, *alius quidem sic*, *alius autem sic*: vel, quod sit Talentum illud, de quo scriptum invenitur *Mathæi* 25. *Et uni dedit quinque talenta*, *alii autem duo*, *alii vero unum*, *unicuique secundum propriam virtutem*. Etsi namque pro indubitato habeatur quod eadem anima rationalis sit in unoquoque hominum a se mobilis & perfecte intuitiva *per def.* perfectio tamen hæc cum sit qualitas relativa potest admittere magis & minus pro diversitate subjecti in quod infunditur. Neque enim credibile est omniscium creatorem animam inspirare fortem in debili materia;

& e

& e converſo; ſed par eſt potius exiſtimemus ab eodem Deo infundi magis magiſque a ſe mobiles, magiſve & magis intuitivas ſubſtantias, prout materia corporum in prima generatione magis minuſve a parentibus fuerit conformata. Hinc velox aut tardum, verſatile, volubile, inconſtans, acutum vel obtuſum, perſpicax vel obſcurum quod dicitur ingenium a qualitate ſeu perfectione materiæ venit æſtimandum. Manet itaque definitio, quam præterea confirmant *Scaliger & Piccolominus* aſſerentes, alter, quod Ingenium ſit *mera & vera aptitudo, quæ a natura data crevit diſciplinis & contemplatione*; alter, quod ſit *mera conſtitutio per naturam eorum facultatum, quarum munus eſt apprehendere & invenire*. Quid enim natura (interrogat *Jul. Alexandr. l.* 8. *Seſc.* 5.) niſi *Ars Dei*, qua corpus naturale ſuam habet eſſentiam, affectiones, actiones & paſſiones? Cum propterea Deus contra naturam nihil agat, ut vetus fert adagium, concludendum eſt nec illum ſua talenta, niſi pro cujuſvis corporis exigentia & virtute diſtribuere.

Hac occaſione deſuper quæri poteſt, an Deus impertiendo II.
animas materiæ pares communicet ſimul & infundat ideas omnes, aut iſtarum ſemina, quæ deinde ſenſim extricentur pro neceſſitate animæ ad ſuos actus exercendos? Sed ſi hæc per eſſentiam propriam eſt a ſe mobilis adeoque activa, & intuitiva, habetne in ſe vim intuendi & agendi, hoc eſt ſe movendi, ſentiendi, percipiendi, judicandi, & per alios actus, ideas ſibi quaslibet efformandi? Quid opus igitur talismodi infuſione, quæ potius officeret illius libertati, ſeu ſui a ſe mobilitati? Quomodo item extricarentur ideæ, & occaſio quomodo unam potius quam aliam ideam a ſuo involucro vindicaret? Unam itaque duntaxat agnoſco ideam innatam, notionem ſcilicet exiſtentiæ Dei; & ideo agnoſco eam, quia cum anima ſit veluti auræ divinæ particula, impoſſibile videtur partem activo-intuitivam in ſuo diſceſſu a toto, hoc eſt in creatione, potuiſſe non videre iſtud, aut ſaltem perceptionem aliquam non habere motoris, unde mota eſt, atque etiamnum in motu ſuo convenienti perſeverat. Nec profecto aliunde univerſaliſſimam illam notionem provenire cenſendum eſt,

aut

aut talem fuisse factam, nisi quia quisque percipit se ex se non esse, sed ex motore omnium vivere, esse, & moveri: quod *Vellejus* apud *Ciceronem* solidissime probat 1. *de Nat. Deorum*, cum nulla sit gens, aut genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Entis cujusdam superioris, colligens ex hoc postmodum dictam existentiæ divinæ notitiam nobis esse ingenitam his fere verbis: ***Quare cum non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma contentio, intelligi necesse est esse Deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus:*** confirmatque Divinus Psaltes notissimo textu; ***Signatum est super nos lumen vultus tui Domine!***

IV. Ex ideis præterea infusis non admittimus aliam, præter Divinam Gratiam qua efficaciter, quave sufficienter comitantem, prævenientem, excitantem, aut subsequentem nostras operationes; ita ut ea vis quædam motrix sit, sine qua nihil possumus operari: alias quippe rerum ideas infundi nobis cum occasio fertur eo minus verisimile est, quo magis observamus recordari nos, cogitare pariter, ac plura intelligere citra ullam occasionem extrinsecam, talemque recordationem, cogitationem aut intellectionem intrinsece ex nobismetipsis occasionari. Verum arbitror qui ideas innatas fecerunt aut infusas animam credidisse cæcam, aut passivam, i. e. nec intellectivam, neque volitivam, quo cogitari nihil

V. potest absurdius. Objicies dari in plerisque animalibus Instinctum ut latrandi canis, prædandi aquilæ; ejusmodi vero instinctum non nisi ab ideis innatis proficisci posse. Resp. hunc instinctum humano ingenio correspondere, nec aliam causam agnoscere, quam organicam partium conformationem animæ sui generis proportionatam, h. e. illius mobilitati & intuitivitati accommodatam. Sed his relictis, ut ad rem nostram transeamus, ad perceptiones scilicet quæ fiunt a sensu sanguinis immediato, initium dicendi faciemus ab ideis connatis: Pro quo sit

ARTI-

ARTICULUS II.

De Indole, sive Moribus Hæreditariis.

VEtus dictum est, liberos parentibus esse similes, fortes fortibus procreari, & id genus alia: fundamentum tamen hujusmodi similitudinis nondum meo videri, in apricum deductum est. Advocarunt aliqui in hoc negotio Facultatem formatricem; alii vim plasticam, quæ idem est cum illa; alii denique spiritum genitalem. Verum hæc principia ceu pure metaphysica rejiciunt saniores; & quamvis in facto de morum I.
similitudine liberorum cum patre ad istius genituram necessario confugiendum sit, hujus nihilominus specialis virtus & agendi modus nedum hactenus fuit determinatus. Ostendimus *Assert.* 1. quod ad ovulum derivatur tempore fœcundationis ejus esse particulas spermaticas fermentatas, & proinde in auram veluti subtilizatas. Nullum igitur est dubium, quin causa fun- II.
damentalis dictæ similitudinis consistat in tali aura i. e. particulis præfatis. Superest illarum agendi modus: ad cujus intelligentiam supponendum est *ex Assert.* 2. tanquam certum, quod laudatæ moleculæ saltem quæ non implantatæ sunt tenellis fœtus lineamentis, sed se se ovi colliquamento immiscuerunt abripiuntur simul cum hoc in circulum: quo deinde perennante cum necesse sit, ut earum aliquæ pertingant globulos colliquamentosos, i. e. sanguineos, eosque afficiant, sequitur, ut ex hoc sensu mens percipere debeat species non tam paternæ imaginis, quam & commotionum animi ejusdem patris in illis moleculis, earumque motu. Quod ut clarius innotescat, siquidem nonnulla stabilienda sunt, quæ non tam hujus articuli, quam & sequentium probationis loco esse debent, præmittam hic certos canones ratione & experientia hodie satis obfirmatos.

Et 1. quod particulæ quæcunque corporum animatorum (adde, si libet, etiam inanimatorum) speciem referunt totius, cujus vel sunt, vel fuerunt partes; cumque recens emissæ sunt, eundem quoque motum conservare, quo totum antea movebatur. Fidem huic asserto facit ipsa materia transpirationis, qua

 nihil

nihil esse potest tenuius. De hujus autem apparentia & motu sic *Boyle l. de Determinata vi effluviorum*: *Siquidem sensoria nostra* [inquit) *vi pollerent sufficienti*, *ipsa* (scilicet effluvia) *in quantitate*, *figura*, *motu*, *quin & colore forsan quorundam visum nostrum fugientium corporum differentias adeo dignoscibiles perciperent*, *ut oculi nostri in statu suo præsenti diversas volucrum familias*, *puta accipitres*, *& perdices*, *& passeres*, *& hirundines ipsarum forma & volatu dignoscunt*. Testantur item *Hautpmnannus*, *KirKerus*, *Salmuth*. aliique in humoribus viventium animalium annotatas fuisse particulas colore, figura, motu ipsum animal, unde deciderant æmulantes: ut sileam, quod de inanimatis pariter observatum est a *Porta* & *Wiero*, aquas nimirum, olea, salia &c. ex diversis vegetabilibus arte elicita, vel expressa varias earundem plantarum icones & simulacra retulisse; id quod & ex Palingenesia, seu resurrectione plantarum colligi potest, illarum scilicet effluvia repræsentare imaginem totius, cujus sunt partes.

III. 2. Præfata effluvia, quo citius & velocius, minorique interposito intervallo ab uno vivente transeunt in aliud vivens, eo magis in pristina sua tum figura, tum mobilitate perseverare: imo hac amissa, quum deinde in vitalem locum traducuntur, pristinam resumere mobilitatem. Ratio prioris partis hujus effati constat ex eo, quod æque vitalis est secundus atque primus locus, adeoque, quod eodem modo illa se habent in uno, ac in altero. Utrobique enim circulantur & moventur, ac per consequens a pristina sua forma & activitate minime excidunt. Unde patet etiam ratio posterioris partis: dum nimirum eadem effluvia in circulo vitali constituta ad motum adiguntur, & calore vitali mediante flectuntur & actuantur, ita ut quæ antea velut erant emortua, in venis postmodum tanquam vitali balneo immersa reviviscant.

3. Sanguineos globulos particulis ut effluviis ejusmodi excipiendis longe pares esse, citiusque aut tardius affici, præsertim a fixioribus: quod longa probatione non eget; cum sciamus sanguine vel ab ipsa materia transpirationis in vasis cohibita turbari & corrumpi, ut in febribus catharralibus & malignis.

IV. His ergo sic stantibus formo hoc argumentum: particulæ seminales

minales ad ovum traductæ referunt paternos motus atque imaginem; eædem particulæ aptæ sunt percellere, seu afficere sanguinem filii: ergo mens filii potest, imo debet, ex tali sensu percipere motus & ideam patris. Et rursus dictæ particulæ in sanguine fœtus constitutæ conservant assidue motum pristinum & figuram; ergo mens fœtus nequit non diu percipere talem motum & figuram; sed ex diutina perceptione nequit illa non assuescere eidem motui & ideæ; ergo ex diutina perceptione acquirit mores paternis similes, h. e. habitus naturales, seu connatos, quos alio nomine etiam indolem appellamus. Quid V.
autem motuum ejusmodi nomine indigitemus liquet ex dictis *Membr. superiori*; sunt nempe affectus, iique vel virtuosi, vel vitiosi: & caracter illorum fœtus sanguini impressus perhibet etiam motiva, nec non determinativa. Anima quippe ejusdem fœtus speciebus aliis denudata & ad originarias duntaxat incumbens videt ex primis sensationibus quod alias, tam innumeris aliis gravata est, videre non posset. Hinc filiorum indoles nunc ad libidinem, nunc ad iracundiam prona, ad eos nempe motus, ad quos pater obversus est; quoniam aura seminalis tales motus induxit & fixit.

Quod concernit filiorum cum maternis moribus similitudinem; hæc ex eodem fonte quo similitudo morum in liberis cum paternis venit derivanda: ex nutritio scilicet matris succo proli communicato. Hic enim cum iisdem pene motibus ad fœtum propellatur, quo pellitur maternus sanguis, non potest non æqualibus momentis illius nempe fœtus, sanguinem percellere, & hinc hujusmodi perculsionibus non efficere, quin istius mens percipiat tales motus ex affectibus, aliisque maternis commotionibus provenientes: quo porro fit, ut fœtus dictis motibus assuetus maternam indolem postmodum redoleat. VI.

Unde colligitur esse ex parte verum, quod effertur a Physiologis, fœtum nempe in utero vivere vita matris; in quantum quod is ibidem sentit materno sensu per motus ejusdem matris sanguini impressos; & per hunc proprio quoque sanguini communicatos. Hæc communicatio facit, ut quemadmodum ad levem quamlibet sensationem totus maternus sanguis minime commovetur; ita nec fœtus sentiat omnes matris sensus,

sed illos duntaxat, qui aliquanto validiores sunt, & ex quibus idem maternus sanguis totus est motus, prout contingit

VII. in affectibus, aliisque actibus cum virtuosis, tum vitiosis. Cæterum commoveri sanguinem in fœtu ex maternis sanguinis commotionibus probant abortus necesque eorumdem fœtuum in utero ex ira, aut genitricis paulo vehementiori metu. Cur etenim ista contingerent a tali causa, nisi hæc ageret in sanguinem fœtus incutiendo in iram, impetum, aut contractionem, propter quam impar is deinde evadit vitalibus, h. e. reciprocis motibus exercendis.

VIII. Quocirca falso gravidarum præcipue imaginationi tribuitur similitudo liberorum cum parentibus tum quoad mores, tum quoad externum habitum, sive speciem. 1. quia Imaginatio sive contemplatio est actus animæ pure intuitivus (confer. *parad.* 1.) nec proinde capax ullum imprimere caracterem. 2. quia si experientiam consulamus, pervidebimus tam ejusmodi similitudinem, quam nævos, partusque vel totaliter, vel partialiter monstrosos ex maternis animi commotionibus; sive affectibus proficisci. Primo namque Amor est, qui liberorum vultus ad exemplar parentum delineat. Quod si dicas manere in vulgi opinione filios ex adulterio natos plerumque magis similes esse marito adulteræ, quam vero genitori, extareque adagium illud; *Filium ex adultera excusare matrem a culpa*, resp. primo adesse experientiam in contrarium; secundo, quod quando hoc accidit, censendum est adulteram habere pro objecto sui amoris proprium maritum, adeo ut motus suos erga istum dirigendo una cum his signet fœtum. Denique signaturam hanc non a coitu esse auspicandam, sed ex progressu conformationis: quo tempore cum mulier sæpius respiciat ad maritum, ex hoc affectu sanguis fœtus movetur juxta illius ideam, confingiturque is, nempe fœtus, seu ipsius corpus, ab anima percipiente tales sanguineos motus ad objecti similitudinem. Dico ab anima percipiente, h. e. ab anima fœtus: quandoquidem hæc aliter tenellum corpus architectare haud novit, quam juxta motus & ideas ex sensatione sanguinis motu perceptas.

IX. Deinde sensationum animique commotionum effectus evidenter deprehenduntur ex Nævis. Nuspiam enim legitur implan-

plantatos fuisse istos, quin præcesserit in gravida ex pathematibus aliquod, imprimis Cupido & metus : ergo imaginatio gravidæ non facit nævos. Modum si quæris, repeto modo allegatam encheiresim. Mulier tempore gestationis in utero desiderat intense fragas E. g. cerasa aut uvam : in tali desiderio tangit etiam sui corporis aliquam partem, debitoque tempore enititur infantem fructus ejusmodi figura ea præcise in parte, quam illa tetigerat notatam. Dico igitur, quod mulieris anima extensive se habente ad objectum in tali affectu ejus quoque sanguis extensionem patitur in suis motibus intestino & progressivo : ex hoc autem sanguinis motu commotis itidem succi alibilis globulis per arterias ad venam fœtus umbilicalem derivatis commoveri eodem modo sanguinem ejusdem fœtus ; & ex hoc motu istius mentem percipere objectum, affectus, secundum quod ipsa deinde pingit nævum in ea parte, ubi motus in matre per contactum cœptus est. Quippe supra insinuatum fuit animam fœtus sentire hoc est videre objecta a matre sensata per istius sensum, cujus organon fundamentale sanguis est; hic vero quoniam cum embryonis sanguine consentit, non potest non repræsentare istius animæ eosdem motus, & per consequens easdem objecti qualitates, quæ ab ipsa materna mente fuerint spectatæ, seu sensatæ; quamobrem istius sensus signum exhibet pingendo objectum in suo corpore præcise, ubi illa vidit & sensit, & se commovit, siquidem organon fundamentale sensus materni cum organo sui sensus unitum est. Nescio an ratio hæc satis perspicua Lectori facta sit: constat tamen ubi idem instrumentum duabus potentiis inservit, non nisi unica esse posse ambarum operationum; nec sanguinis motum, ab altera cœptum ubi continuus est, posse interrumpi ab altera, cui non est liber idem motus propter necessariam sui ex altero corpore sanguinis susceptionem.

Quod superest de nævorum formatione; illud imprimis supponendum est, animam in parvo corpore, puta in embryone, perinde activam esse; atque in homine jam adulto; negotiari deinde illam in utero structurationem sui corporis naturaliter quidem & pacate, quandiu mater nullis validis affectionibus obnoxia est; præternaturaliter autem, idest modo turbato, seu vio- X.

violento, quum e contra. In hoc ergo scilicet posteriori statu dictum est spiritum embryonis in suo corpusculo nævo implantare, siquidem ex paulo fortiori sanguinis motu activissimus ille spiritus paulo vehementius se movet, juxtaque ideas motivi vertit se se ad eam partem, quam ex sanguine commoto videt fuisse a matre sensatam, seu contactam. Tum is sanguinem illuc intensius urget, testimonium hujus rei præbente imprimis *Kerkringio*, ut qui narrat *Obs.* 87. de matre quadam, quæ gravidationis tempore ira percita ita commovebatur, ut menstrua ei fluere inciperent, & deinde mensibus singulis redirent, itaut illa, num vere gravida esset, addubitaret; præcipue cum sub finem gravidationis fluxus hic quindecim continuis diebus perseveraret: eo vero nondum cessante peperisse puellam, cui menses fluere incœperunt ipso nativitatis die &c. Urget jam vero sanguinem ille spiritus juxta perceptiones habitas ex motibus ejusdem sanguinis; & quoniam fibræ in quacunque parte sunt tenellæ & quovis modo flexiles, ex his & sanguine confingit ac designat fragas
XI. E. g. cerasa, moros &c. In colorum causam quum inquiro, non me præterit Hippocratis illud: inesse nempe sanguini & amarum, & dulce, & acidum, & sexcenta alia omnigenas facultates habentia, copiamque & robur, darique iccirco in eo & album & nigrum, quæ sunt fundamenta omnium colorum: nec insuper sum ignarus talem ac tantam esse animæ energiam, ut ex affectibus aut passionibus corpus ipsum totum ex florido luteum aut lividum facere soleat, & e converso. Quod si hoc in corporibus adultorum jam firmatis, cur non continget in tenellis nondum conformatis? Nævi itaque colorati causam habent materiam, sive humores ab ipsamet anima vel conjunctos, vel disgregatos, & qui propterea nunc lucem reflectunt, ut nigredinem, nunc vero albedinem repræsentent secundum objecti a matre, & per istius sanguinem a fœtu sensati diversas qualitates.

XII. Idem ultimo censendum est de formatione monstrorum; quæ sunt vel perfecta, vel imperfecta, i. e. vel totaliter, vel partialiter monstrosa. Sic quando fœminæ humanæ loco hominum enituntur glires V. g. aut ranas, feles, canes, leo-

nes

nes quoque, aut elephantes (si *Stumpsio* fides habenda est, qui in *Chron. Helvet.* leonini, & *Alexandro ab Alex.* qui elephantini partus meminerunt) vera & perfecta monstra illas edidisse scribitur; imperfecta vero, quando acephalos, cynocephalos, cynonologos, aut cynopropos, itemque auritos, monocolos, caudatos, pilosos, dentatos, loripedes, virides, cæruleos, nigros &c. fœtum in lucem emittunt: quorsum referri possunt etiam partus exotici, quando cum infante pariuntur beluæ, puta canes, serpentes, sues, rubetulæ, crocodili, cancri, lapides &c. Tantum distinguenda sunt tempora conformationis fętus. Certum enim est, quominus ossa fuerint indu- XIII.
rata, & musculorum compages minus elaborata, eo magis speciem futuri corporis posse mutari. Anima quippe fętus operando juxta perceptiones & ideas, quas haurit ex sensationibus & affectibus maternis, quoad hi minime violenti sunt, opus suum dirigit juxta naturæ ordinem, hoc est juxta effigiem corporis in ovo delineatam: ut vero illi modum excedunt ipsa etiam deviat a tali directione tanto magis, quanto minus corpus fuerit conformatum. Contingit propterea in hoc posteriore casu, ut eadem validissime operando nullo negotio torquet, flectit, dividit præfata rudimenta tam quoad partes organicas, quam inorganicas, & hinc pro objecti sensati repræsentatione varia humanum corpus in murinum, raninum &c. transformat, scilicet in perfectum monstrum: dum in priori casu in partem aliquam percutiendo aliquid ejus alibi addit, alibi vero minuit, amplificat, duplicat &c. monstrumque hoc modo ponit imperfectum. Res est clara ex nostris principiis de consensu sanguinis fœtus cum materno, de illius perceptionibus ex tali sensu, & de animæ in utroque individuo activitate. Accepi a fide dignis (imo hujus eventus XIV.
apud indigenas in longum memoria est) factum fuisse Carmaniolæ his in nostris regionibus, ut non infimæ sortis mulier utero gestans ita delectata sit imaginee Æthiopis in tabella, quæ cauponæ e domus suæ regione sitæ pro insigne erat, depicta, ut toto gestationis tempore, præsertim vero sex postremis mensibus e fenestra, qua illam adspectabat divelli nunquam posset: enixam deinde fuisse monstrum æthiopica facie,

pa-

patulis labellis, & dentes albiſſimos oſtentans cum pericranio in capite albæ faſciæ adinſtar circumplexo, quale ſcilicet talis imago referebat. Sed multigena ſunt hujuſmodi alia exempla. Dico igitur diutinam ſenſationem, indeque enatam delectationem in matre hujus monſtri occaſionem præbuiſſe, propter quam anima fœtus in conſenſum æthiopiſque perceptionem tracta, inque hac, ut ſic dicam, habituata non aliter, quam ad exemplum æthiopis ejuſmet fœtus faciem ſtructurare va-
XV. luit. Explicationem deinde rarorum quorundam caſuum & inſolitorum quod ſpectat, ut quomodo ſartoris uxor Mechliniæ præ foribus videns in conflictu quendam manum amiſiſſe ſtatim perculſa horrore parere potuerit filiam una manu, altero autem cruentoque brachio extinctam, quod manus ejus non reperiretur, & hæmorragia infantem interimeret. Item quomodo alia cujuſdam Mercatoris uxor Antuerpiæ, ut audivit, quod uno mane decapitarentur tredecim conſtituens ſpectare detruncationes aſcenderit cubiculum familiaris ſibi Viduæ in foro morantis, viſoque ſpectaculo ſtatim illam adorſus ſit dolor parturientis, peperitque maturum infantem cruento collo, cujus caput nuſquam apparuit. Item quomodo Uxor Marci de Vageler Mercatoris item Antuerpienſis videns militem mendicantem, cui pila ferrea in obſidione Oſtendana dextrum brachium abſtulerat, illudque adhuc cruentum circumferebat, mox abinde filiam pepererit orbam brachio & quidem dextro, cujus cruentus adhuc humerus per Chirurgum ſolidari debuit: quamvis hi caſus ab *Helmontio* relati *l. de iniectis material.* apud non paucos de fide ſuſpecti ſint, ſi tamen dicta noſtra principia & explicationes phænomenorum, quæ fœtibus utero hærentibus accidunt, attendantur, facile diſpaleſcent. Author certe poſt tertiam hiſtoriam ſubdit iſta: *nuſpiam reperibile fuit brachium dextrum, nec oſſa, nec ulla apparuit putrilago, in quam brachium contabuiſſet parva horula; attamen nondum conſpe-*
XVI. *cto milite fœtus bina habebat brachia, nec potuit brachium avulſum annichilari.* Quamobrem concludit poſtea ſic: *Certe non quadrant triviales rationes in tanto portento, aut paradoxo.* Verum imaginarium quid non eſt, quod ſanguis embryonis conſentiat cum materno; nec metaphyſicum acumen ſapit in

in ſanguine ejuſdem fœtus ponere potentiam ſuapte natura a ſe mobilem & conſequenter energeticam: quibus principiis ſtabilitis nonne aperte conſtat præfatam animam mediante ſanguine commotam id roboris exerturam eſſe, per quod & membra mutilentur & in ſubſtantiam a priori diverſam faceſſant, hoc eſt materiam nutriendis aliis V. g. partibus convertantur? Præſens ego nunquam fui ejuſmodi ſpectaculis; ſcio tamen, ſi interfuiſſem factum iri, ut materiæ illius retroceſſio ad aliquam aliam partem oſtendi potuiſſet hoc innixus fundamento, quod ut terror, per quem membra illa abducta fuerunt, motus eſt animi contractivus *per prop. 1. ſeqq.* ita a tali contractione ſubſtantia illorum in majora vaſa abrepta eſt. Nec te moveat oſſiculorum, carthilaginum aliarumque hujuſmodi partium tam prompta comminutio veluti liquefactio: anima ſiquidem fœtus plus, quam ut concipi poſſit, activa ictu quaſi fulminis atterit, ſcindit, dividit, eodemque momento in ſanguinem omnia rapit veſtigiis exceptis, quæ cum præhabita perceptione conveniunt. Vide quam repente nonnunquam ex objecto terribili vires noſtræ frangantur, ita ut in terram decidamus, aliqui etiam cani fiant, & ſecundum totum habitum mutentur, ſyderati evadant, aut moriantur &c.; & deprehendes longe truculentiora his in tenello corpore ab anima patrari negotio facili poſſe.

Sed ut eo, unde digreſſi fuimus, revertamur, h. e. ad morum ſimilitudinem, quæ inter liberos ac parentes intercedit, illud hic expendi mæretur, quod ut mores ſunt effectus, ſive motus animi habituales in noſtro caſu ab ipſa prima conformatione implantati, ſeu connati; ita ad hos motus velut imprimendos plus virium præſtat mater, quam genitor. Ratio eſt evidens ex dictis. Quippe licet ſeminalis aura figuram ſuam & motum conſervet etiam ad ovulum traducta, maternæ tamen ſenſationes & paſſiones conceptus ſanguinem, & hoc mediante animam ipſius movere magis aptæ ſunt, & ſi frequententur tales habitus quoque inducere. Narrat *Salmuth. Cent.* 2.*Obſ.*88. nobilem quandam fęminam tempore imprægnationis vaſculum Zinzibere condito refertum Mercatori Lipienſi ſubtraxiſſe; enixam deinde

fuisse filium, qui postea servis & ancillis varia utensilia, puta digitalia, acus, fila, strophiala, calceos, non malitia, sed consuetudine subtrahere, & certum in conclave includere solitus fuit, quod conjux postea clave adultera reserans abrepta illis semper restituit, marito de iis amplius non inquirente: neque tamen a tali actione imposterum ne per vitam quidem desinente.

XVIII. Referuntur item hujusmodi alia ab aliis: & præterea aversiones quorundam antipathiæ dictæ circa tam medicamenta, quam alimenta; circa gustum & esum carnis, volatilium, piscium; circa butyrum, caseum, ova, olera, fructus &c. non ne soboles sunt affectionum in gravidis se se propter apepsiam, & dispepsiam, picam aut malaciam contrahentibus, adeoque aversantibus ejusmodi cibaria? *Libavius Tract. de Antipath.* mentionem facit cujusdam commilitonis sui, qui fragas oderat, propterea quod mater ejus id genus fructuum aversabatur: quamobrem in ea est firmissimus sententia, ut putet naturalem quorundam ad varios cibos antipathiam non aliunde, quam a consimili prægnantium matrum antipathia provenire. Et revera qui illarum imaginationem, aut aliquod aliud metaphysicum principium accersunt in causa talis aversionis, nihil proferunt, quod naturalem sapiat philosophiam. Vix enim concipi abs me potest, quomodo materna imaginatio liberis communicari queat, & ex hinc per totam vitam producere in his nauseam; præcipitem virium lapsum, syncope, aliaque symptomata atrociora ad solum aspectum aut odorem quorundam eduliorum &c. Quod si dicamus per maternam sensationem fugamque ab iis cibis ita consuevisse filiorum animos se contrahere ab iisdem, ut nati isti naturalem consuetudinem postea retinuerint, in promptu est colligere uti ad sensualium objectorum commoto sanguine illorum animus contrahatur, & ex hac contractione rursus ad centrum coacto, seu condensato eodem sanguine symptomata exoriantur, quæ censuimus, quorumque explicatio alibi exponetur.

XIX.

A R-

ARTICULUS III.

De Moribus ex Lactatione.

NUtricum vitia in hæreditatem tenellulis quoque cedere dudum conquesti sunt Viri etiam Philosophi, inter quos *Favorinus* apud *Gellium l.* 12. & *Helmontius* referens *de Infant. nutrit.* se observasse sæpius salaces, furtivas, avaras, iracundas, aliisque perversis moribus præditas in latentes deduxisse pravos hos mores. Quid? quod tota dies asserti hujus veritatem tristem comprobat; dum miseri parentes non sine lacrymis & suspiriis in filiis & filiabus corruptissimos hos mores deprehendunt a nutricibus in illos derivatos, adeo ut nulla ulterius exempla adducere necessum sit, quæ alias etiam facile ex brutis peti possunt, quorum ferocia mutatur in mansuetudinem & viceversa mansuetudo in ferociam ex lactis diversi usu in educatione adhibito. Ratio hujus eventus eadem est, quam attulimus in facto de propagatione morum maternorum in liberos: quia nempe lac est chylus sanguine circumlatus & mediantibus arteriis in mammis secretus: qui proinde quoniam sanguinis motibus obsequitur, ejusque excipit vibrationes, ut deinde sic commotus sugitur ab infante, istiusque sanguinem eodem modo pariter movere pergit, ac per hos motus perceptiones affectusque nutricis passiones animæ instillare. Res majori, quam quæ *superiori artic.* data est, explicatione non eget, confirmarique potest exemplis torminum, alvi fluxuum, insultuum epilepticorum, aliorumque sævissimorum symptomatum, infantes divexantium ex sola suctione lactis a nutricibus graviori aliquo pathemate affectis: inter quæ non reticendum puto, quod novissimis hisce diebus, dum hæc scribo, mihi licuit adnotasse in puello nobili quinquemestri, utpote qui famelicus cum vagiendo lac petiisset, & nutrix eo tempore summopere excandesceret ob jurgia cum marito exorta, bihorio circiter a lactatione elapso convulsus obiit. Quemadmodum ergo fieri non potest, ut convulsio hæc evenerit, absque quod sanguis vehementer agitatus ad caput magno flumine propulsus fuerit, ita

existimare par est alumnorum sanguinem in enormes motus abreptum vi pathematum illarum, quæ illos lactant, in causa esse, cur ex iis motibus percipiant iidem nutricum affectiones, hisque pedetentim assuescant.

ARTICULUS IV.

De Moribus ex recularum humanarum viventium introsusceptione.

I. Recularum hujusmodi nomine indigitamus salivam E. g. Semen, & humores alios a vivo homine alteri affrictos, vel injectos, aut etiam ore assumptos. Horum quippe effluviis non ignotam esse aliquam energiam testantur, qui mirabilem vim effluviorum descripserunt; & primo de Saliva notum est, quod in os canis sæpius inspuendo illum nobis benevolum ac morigerum reddere solemus. Docent etiam, qui amandi præcepta tradunt, nullis illecebris citius invitari posse puellas ad amorem reciprocum, quam osculis non tantum vulgari rusticorum more cum crepitatione & sono impressis, sed quæ cum aliquali labiorum morsu, tremuloque linguæ saliva madentis motu dantur: quo porro spectare videtur *Proverb.* illud: *Irretivit eum multis sermonibus & blanditiis labiorum protraxit illum*, nec non carminicum hoc aliud:

Oscula virus alunt, & poscirumnia forti
Instillare animis toxica labra solent.

Vulgo præterea circumfertur fœminam incredibili amore teneri illius maris cum quo primitus fuerit congressa; ac tandem nemo non novit vim philtrorum ex humoribus propriis paratorum, imprimis vero sanguine menstruali, quod muliebre menstruum epotum hunc ipsum marem ad menstruatæ amorem, quam potenter alliciat. Cum itaque res hæc sit indubia, quod nempe reculæ hujusmodi humanæ in alium hominem translatæ flectant istius animum ad consimiles affectus;

II. Explorandum occurrit quomodo habeatur hæc propensio? Ex prin-

principiis nostris jam deductum est 1. quod cum pares sunt animi perceptiones, pares etiam sunt animi commotiones: unde facile deprehenditur, quod si Puella V. g. deosculata auscultet motibus labiorum & linguæ deosculantis, nullo negotio abripi debet in eosdem animi motus, h. e. effectus. Ipsa etiam saliva deosculantis osculatæ sanguini inflicta dum hunc amatorio motu agit, ideam pariter amantis repræsentat ex *præcit.* scilicet ut verbo dicam, quia in utroque eædem sunt sensationes, eædem ideæ, eædem denique affectiones. Ad illud deinde; quod fœmina omnium maxime diligat primum sui succussatorem, nulla est contradictio, quatenus primum introductum semen in illius sanguinem conservando pristinum motum & figuram prævalet semper posteriori, nec est possibile, quod secundum, tertium, quartum deleat vestigia illius, quod jam muliebrem sanguinem infecit & sui cum motus, tum figuræ imaginem obtulit illius animæ. Quæritur idcirco istorum effectuum causa proxima. Primum & secundum refundimus nos in particulas salivæ & seminis, quos dictum est *canon.* 1. retinere motum & imaginem totius, ex quo fuerint depromptæ. Eæ igitur sic motæ dum commovent quoque sanguinem objecti amati, in quem transfusæ excitant in istius mente ideam ejusdem & affectus, scilicet amoris, per quem moventur, unde illa quoque fertur extensive, scilicet ad amandum illud objectum, cujus percepit ideam. *Rodericus a Castro l. 3. c. 3.* loquendo de illius amore a quo fuit deflorata Conciliatoris sententiam amplectitur his verbis: *Conciliator ductus eorum auctoritate, qui fæminam viro imperfectiorem esse arbitrantur, ideo id fieri putat, quia perfectior vir fæminæ conjunctus imperficitur, fæmina perficitur; aut quia materia cujus vices gerit fæmina, formam appetit, quam assecuta quiescit, hæc vero a materia nihil accipit.* Sed nimis perplexa sunt hæc verba, nec rem declarant. Verum non quadrare has rationes in rebus naturalibus nemo hodieque est qui nesciat. Utimur ergo nostris autopsiæ quadrantibus in eo, quod primum semen defloratæ sanguini impressum primas obtineat in illius mente perceptiones, supra quas reflectendo quotidie magis in amore confirmatur. Tertium effectum quamvis absolute negent Jatrohistorici

III. (margin, beside line 5)
IV. (margin, beside line 9)
V. (margin, beside line 16)

dili-

diligentiores; imo *Riedlinus* in M. N. C. D. 3. A. 2. & cum alii memoriæ prodiderint Zenith. fæminarum viris propinatum tantum abesse quin successum habuerint optatum, ut potius
VI. istis exitio sæpe fuerit. Distinguo tamen tempora. Diu namque postquam excretus est sanguis habet se se tanquam cadaver motus expers, adeoque impar, quomodocunque hauriatur, communicando affectui, per quem antea movebatur: non sic si motu suo vitali adhuc percitus in venas propinantis ingrediatur; nihilominus si calide potetur, statimque atque emissum est suo non carere effectu certus sum, minori tamen, quam ipsemet sanguis recens a vena extractus. Novi Juvenem abstrusioris Physicæ non ignarum, uti non ita dudum ab ipso relatum audivi, qui deperibat virginem forma, divitiis & nobilitate claram; hic igitur cum ab ea se contemni aspiceret, optatasque nuptias desperaret, nec illa ut amorem redhostiret, ne in animum quidem unquam induxisset. Consilium iniit cum quadam fæmina ejusdem adolescentulæ amica de ipsa propriam in domum avocandam, quo virgo illa forte diverterat ad cocholatæ poculum hauriendum. Mane igitur indicto paratum fuisse poculum, in quo ℥. iij. circiter recens extracti sanguinis immiscuit ipso interim procul in dissito cubiculo moras nectente. Quid multa? factum est ex hinc ut paucos intra dies puella apud amasium accessum obtinuerit, rogavitque amicum, ut ad se adduceret matrimonio rursum intra pauca maxima
VII. cum utriusque lætitia postea subsecuto. Memini jam de materia transpirationis, ac si nimirum exhalando in aliud corpus ipsum disponat ad mores proprios suscipiendos; res dubitatione vacat; cum videre sit continuo Amicos una cubare solitos, & si mutuo se non tangant, tanto amore utrumque prosequi alterum, ut licet unus pro pthysico renuntiaretur (id quod mihi videre contigit) nihilominus alter ad Amici lectum deserendum nunquam induci potuerit. Quod si hoc ex solo concubitu, qualis & quantus esse debet amor inter Conjuges, qui se reciproce amplexantur, deosculant, salivali, pudendorum &c.
VIII. humore vicissim &c. Nec vacat agendi modum effluviorum ab uno in aliud individuum exhalantium denuo exponere, cum hæc expositio cum aliis de efficacia & vi eorundem sit omni-

no

no conformis. Memini etiam supra de sanguine amasii puellæ propinato: nunc dum hæc scribo, lego in novellis hebdomadariis casum militis in quadam septentrionali urbe, qui cum ursum a suis carceribus egressum & in vico quodam intentis unguibus & faucibus fæminam adortum pila plumbea occidisset muliere adhuc incolumi, petiit ab adstantibus qui ad spectaculum hinc inde contenderet cyathum spiritus vini; cui statim oblato admiscuit deinde sanguinem ejusdem ursi recens mactati, & exhausto cyatho tanto furore correptus est ut obvios quoslibet dilaniare vellet, donec ab aliis decem commilitonibus compressus & ligatus, optimis remediis curatus pristinæque sanitati denique restitutus fuit. Anticipatio ergo illa de Zenith muliercularum, quod inclinet mares ad amorem mutuum, non est sine fundamento, modo de vitali, h. e. in motu suo pristino adhuc dum perennante intelligatur.

ARTICULUS V.

De Aere & Regione, quid conferat ad Mores.

HActenus versati fuimus circa Mores ex rebus naturalibus viventibus in corpus introductos; pergimus nunc ad illos, qui parantur ex introductione non viventium, inter quas Aer primum locum occupare videtur. Est enim experientia certissimum, quod a tenui, puro, serenoque aere mens amæna redditur & exhilaratur: e contra vero a crasso, denso, caliginoso & aliena permistione inquinato eadem mæstitia perstringitur, & obumbratur. Ratio patet ex dictis de usu Aeris in Respiratione. Ut ergo ex puro aere sanguis redditur elasticus, & hic talis factus alacriter movetur, viriliterque suas edit operationes; ita mens ex hujusmodi motibus hilaritatem percipit ac serenitatem, sive expansivitatem: dum e converso globulis sanguineis a nubiloso aere laxatis quoniam hebes est istorum motus, ex hinc mens non nisi ignaviam percipit, angustias, & anxietates. Constat hoc ex anni tempestate *Gall. tems marin.*, quam segnes, morosos, sibimet infestos redit homines spatio etiam paucarum horarum? Quorsum pertinent & Loca. *Ubi ter-*

ra pinguis est & aquosa [inquit *Hippocrates l. de Aere*) *& temporum ratio alias probe conveniunt, ibi & homines carnesi musculis apparentibus, humidi, laborum tolerantes & ut plurimum maligni nascuntur, segnitiesque & somnolentia iis inest multa. Ubi autem regio est nuda natura munita et aspera, quaeque a frigore hiberno prematur, et a sole æstivo exuratur, ibi duros et robustos et artubus probe distinctos, vegetosque et hirsutos homines reperire fit; et in quibus natura laborum tolerantia et vigiliarum, quique mores habent pertinaces, ad iram proclives et contumaces, magisque de feritate participant, quam mansuetudine: insuper ad artes etiam acutiores et plus solertes, et ad res bellicas gerendas aptiores* &c. Ratio est eadem ut supradicta, nisi forte adjungere hic velis terreas, aqueas, uliginosas, metallicas aliasque diversi generis glebas, quæ ab aere elevatæ, & in sanguinem abductæ dum hunc diversimode percellunt diversigenarum quoque perceptionum sunt causæ; ut & hæ multigenorum motuum, seu affectuum, quos, quum habituales sunt, Morum aut habituum naturalium nomen promereri docuimus. Nil vero ex alia parte addo de calore ex radiis solaribus proveniente, & mediante aere nostrum sanguinem exagitante vel aliter afficiente: Paucos quippe fugit, quam vehementer a calore agitantur, dissipantur, aut alio modo alterantur humores, utque ex hinc novo sensu ac motu in sanguinem inducto novæ item fiunt perceptiones atque ideæ morum novorum causæ. Quamvis, quod neque prætermittendum est gentium diversi mores a varia quoque illarum institutione dependent, hominumque ingenia regionum qualitati respondent, quasi natura quod illi a natali solo deest, per industriam repensante.

AR-

ARTICULUS VI.

De Ingestis naturalibus quænam producuntur affectiones.

NUlla siquidem inclinatio, aut habitus ad agendum videtur expectare posse ab iis, quæ assumuntur per os, nisi quatenus cibus & potus tanquam remotæ causæ temperamentorum cum sint, & ex temperamentis inclinationes habeantur, hoc modo quoque valere dicantur ad conformandas animi propensiones. Et profecto licet vinum hominem lætificet, hyoscíamus dementet &c. affectiones tamen hæ non sunt in morum, sive habituum naturalium numero collocandæ. Carent enim motu intrinseco & vitali ad hoc ut sanguinem, & per hunc animam ad certos habituales motus disponant alimenta; & sic non aliter agunt ac medicamenta temporariam scilicet inducendo duntaxat crasim aut sensationem, unde temporariæ quoque emergunt perceptiones aut ideæ. Sub hac igitur exceptione considerandæ veniunt vires alimentorum, quæ ab Auctoribus describuntur respective ad animi motus: dum nempe volunt alia choleram, alia facere melancholiam &c. vel, si cum Neotericis loqui lubeat, alia spiritus reddere agiles, alia torpidos, sulphureos, oleosos, acres, volatiles, mites, obscuros &c. considerandæ, inquam, veniunt vel quatenus aliqualem moram sanguini conciliant, ut lactuca; vel quatenus hujus motum augent, ut aromata; vel quatenus ejusdem globulos afficiunt, ut salina plura; vel demum quatenus in illo motum & sensum creant, cujusmodi sunt animalium carnes imprimis parum præparatæ. Etenim a motus perceptione affectus, a sanguinis vero sensatione mens haurit ideas. Hinc complacentiæ & hilaritates a pastu, hinc etiam inassuetæ animi turbationes: Ut ut enim facilem aut difficilem digestionem culpemus, fundamentum tamen hujuscemodi affectionum stat in actione esculentorum & potulentorum in partes præcipue inorganicas, nempe sanguinem, majorque aut minor illorum in stomacho resolutio non respicit, nisi majorem aut minorem ejusdem actionis gradum. Si er-

go caro V. g. leporina, aut ejus sanguis generat tristitiam, metum, aut melancholiam, ideo illam generare valet, quia non rite cocta cum fuerit, transmisit in venas corpuscula motu pristino vitali nondum destituta quæ idcirco in sanguine se contrahendo meticulosam illam impressionem efficere sunt idonea: cæterum si enecto animali ejus caro aliquandiu refrigerari sinatur, ac deinde modo debito præparetur, disperem tale quid ab ea factum iri. Observavi namque ipsum cerebrum felis (a cujus esu insigne nocumentum illatum fuisse refert *Salmuth Cent. 3. Obs. 100.*) postquam diu sub nive permansit citra noxam fuisse devoratum. Verum hæc non sunt hujus loci.

ARTICULUS VII.

De Moribus ex Temperamentis.

I. QUid sit Temperamentum nondum constat apud Physiologos; conveniunt tamen Recentiores ad unum omnes in hoc, quod sit certa quædam crasis, seu miscela sanguinis non ex primis illis elementis Aqua, aere, igne, terra resultans, sed ex propriis portione videlicet globulosa, lymphatica (eaque duplici, viscida, & serosa) ac tandem salina, quæ ipsum sanguinem naturaliter ingrediuntur. Ex horum itaque principiorum mixtione & combinatione varia volunt enasci mixtum, sive temperatum quid in ipsa organica & inorganica complexione pro causarum miscentium in unoquovis indi-
II. viduo varietate diversum. Causæ miscentes quot & quænam sint, apud illos adhuc incertum; dividunt nihilominus Temperamentum in Innatum & Acquisitum, illud ajunt esse, quod a natura seu primo ortu cuique obtingit, hoc vero, quod decursu ætatis per res non naturales, vel præternaturales adsciscitur. Erunt igitur Temperamentorum causæ aliæ innatæ, aliæ acquisitæ; sed quæ sint innatæ rursus incertum.
III. Nos dicimus esse illas, quæ in hæreditatem nobis cedunt, Ingenium, Indolem, Lactationem, de quibus *in artic.* 1. 2. & 3. vim nempe animis nostris ingenitam, paternam genituram,

ram, maternum alimentum in utero, & lac nutricis. Hæc enim quantum valeant ad primigenium ſanguinem commiſcendum & attemperandum ex dictis *ibidem* colligi poteſt. Inter acquiſitas ponimus inſuper res humanas a viventibus corporibus reciproce communicatas, ut conjugales, de quibus artic. 4., Aerem deinde, Cibum & potum, Motum & quietem, Somnum & vigiliam, Humores coacervatos; & quod primo loco vindicari mærebatur, diſciplinam & inſtitutionem, necnon animi pathemata præcipue habitualia: quæ IV.
dum attente perpendo, ſumma cum naturæ providentia factum fuiſſe comperio, ut proſperis & adverſis viciſſim in hac vita excipiamur; ne videlicet ſanguis eodem ſemper modo ſe habendo conſtitutionem nanciſceretur chylo triturando, in humores concoquendo, ſecernendo, & per congruos canales exturbando ineptam. Ejus etenim globuli ſi continuo extenſive agerentur, ut in lætis, aut contractive ut in triſtibus, functiones ejuſmodi præſtare rite non poſſet: proviſum propterea fuit ab eadem natura, ut nobis nunc læta, nunc triſtitia objecta contingant, ex quorum proſecutione & fuga mutua nunc cum impetu, nunc cum expanſione, contractione, conſtrinctione &c. adactis ſanguineis globulis humores conficiantur, perficiantur &c. prout loco de functionibus vitalibus fuit edoctum. Quod ſi nihilominus prævalente aliquo ex affectibus homo in eo habituetur, craſis fit principiorum ſanguineorum ad diſſolutionem prona, vel ad coagulationem. Cauſas quod attinet particulares, rarum eſt, ut quis opio aſſueſcat, aut cicutæ, aut alicui alii veneno, itaut a tali conſuetudine craſim ſanguinis acquirat eidem veneno reſiſtentem, imo amicam. Conſuetudo nihilominus, ut adagio fertur, eſt altera natura.

At ſive una, ſive plures ex allatis cauſis concurrant ad determinandam ſanguinis mixtionem, quod facit ad rem præſentem, hoc eſt, quod quale temperamentum, tales ſunt humani mores. Fundamentum eſt hoc, quia cauſa principalis agit ad modum cauſæ inſtrumentalis, diximuſque *loco de Monſtris*, quod ſi anima rationalis haberet corpus raninum, aut murinum, non aliter operaretur, quam ut rana, vel mus; adeo V.
ut tamdiu decantata mutua corporis & animæ neceſſitudo con-

sistat in hoc, ut anima afficiat sanguinem, sanguis vero quocunque modo a materia affectus afficiat animam, h. e. in causa sit, cur anima percipiendo illius affectiones agat secundum id, quod percipit. Mores esse temperamento conformes dudum testatus est etiam *Celsus l. 2.* sic edisserens: *His efficitur, ut ex his notis facile in morum cognitionem deducamur, et pro sanguinis portione æstimemus ingenium. Animalium enim fortiora, quibus sanguis crassior est; sapientiora, quibus tenuior; tardiora, quibus minimus, et quibus nullus hebetiora; in quibus vero multus et pinguis, iracunda; item gracile corpus, in-*
VI. *firmum, obæsum hebes est.* Nam ex perceptione viscididatis in sanguine anima se disponit ad torporem & segnitiem: ex perceptione fluiditatis se disponit ad solertiam & agilitatem: ex perceptione expansilitatis in globulis se disponit ad amænitatem & hilaritatem; ex perceptione compressionis se disponit ad formidinem & anxietatem &c. Unde quod de cholera & melancholia a Priscis, de spiritibus negatis, torpidis, lucidis, obscuris &c. affertur a Recentioribus, de diversis sanguinis ex miscela humorum qualitatibus est intelligendum, sicut & quicquid de toto complexu organico in facto de Temperamentis ab Auctoribus venditatur.

ARTICULUS VIII.

De Amicitia naturali, & Sympathia.

QUandoquidem Amicitia hæc & Sympathia fundata est in æqualitate temperamenti inter duo, aut plura individua, hinc a Temperamentis transitum facimus ad Sympathiam, latine compassionem, aut consensum, quoniam nemo
I. patitur absque sensu. Sed si sensus per nos fundamentaliter est in sanguine, ut pluribus demonstratum ivimus, & adhuc demonstraturi sumus infra, subjectum sympathiæ, seu consensus, erit quoque sanguis idem vel cum alio sanguine, vel cum suis partibus sive globulis sentiens. Quærendum igitur primo quomodo sanguis in diversis individuis idem possit sentire; dein-

deinde ut is quoque cum aliquibus suis partibus extra orbem positis consentire valeat.

Quoad prius, porio iterum pro fundamento æqualitatem temperamenti supradictam, cum non sit impossibile, quin duo, aut plura individua idem specie temperamentum sortiantur, sive hoc sit ex parte Ingenii, sive paternæ genituræ, maternæ alimoniæ, lactationis &c. Hoc stante dico 1. ex ejusmodi æqualitate necessario sequi æqualitatem animorum, h. e. Amicitiam naturalem. Nam si animus imitatur temperamentum per §. 2. *præcedentis*, colligitur ex hoc, quod ubi III.
est æquale temperamentum, ibi sunt etiam æquales mores, in qua morum æqualitate consistit æqualitas animorum, sive amicitia præfata. *Novi ego duos juvenes* (ut scribit *Schot. Mag. Univers. P. 4. l. 5.*) *quorum unus tam deformis erat facie, tam insipidis moribus, ut infantum terror passim audiret, ab altero tamen tam impotenter et constanter amabatur, ut ejus alloquium et conversationem omnibus aliis præferret; et licet suam videret et damnaret stultitiam, affectum tamen moderari non poterat*. Hoc itaque efficiebatur per similitudinem temperamenti, propter quam animi coalescebant. Nam similia sunt quasi unum, & simile gaudet simili juxta tritum vulgi sermone proverbium. Objicies similitudinem tempera- IV.
mentorum importare quoque similitudinem morum, qui tamen in præfatis juvenibus erant diversi. Resp. non constare ex historia hanc morum diversitatem; tantum quod deformis alter moribus erat insipidis: potuerunt igitur tales etiam esse in formosiori, verum propter partium symetriam ex prima conformatione contractam ingenium istius non fuit æque insipidum ac in illo: quod nihilominus non tollit similitudinem temperamenti. Quin imo ex hinc concludo, quod, si ambo V.
ingenio, institutione & temperamento convenissent, facti fuissent inseparabiles. Memini, ad hoc propositum, legisse me in Historia Episcoporum Vercellen. a *Cusano* descripta casum de duobus generosissimis Athletis Amico & Amalio, qui sub Carolo Magno militantes commisso prælio apud Sylvam pulchram (quæ ob id Mortaria imposterum dicta est) quamvis diversa in acie cæsi inventi sunt, deinde ad unum tumu-

lum

lum conveniſſe ; quamobrem tam exotici caſus ergo celebre ibidem monumentum erectum eſt , quod etiamnum extat . Haud enim ambigo, quominus utriuſque animus ad alterius amorem determinatus efficere potuerit, ut quandiu ſanguis in illorum venis ſuperſtes fuit, uterque alterum adierit , unaque ſimultando procubuerit . Vehemens etenim determinatio vires addit, & alacritas temperamentum alterum per conſimilia veſtigia quærit. Horſum etiam ſpectat caſus de puero quodam Inſulis in Belgio , qui , ut narrat *Delrio in Diſquiſ. magic.* intenſo flagrans deſiderio parentem inviſendi, quaſi per extaſin raptus eum inde multis milliaribus abſentem inviſit, & ad ſe rediens omnium , quæ viderat , memor, multa quoque ſigna præſentiæ ſuæ apud parentem dedit . Verum de naturali amicitia ſatis.

Reſpectu Sympathiæ, quamvis hæc pro fundamento habeat temperamenti æqualitatem præfatam , quoniam nihilominus conſenſum præſupponit duorum aut plurium individuorum, ut
VI. ſupra innuebamus , & hic conſenſus fit in eodem ſanguine , quærendum primo loco venit quid ab eodem ſanguine æqualis craſeos in pluribus exiſtente perſentiri valeat . Sed dictum fuit ad hanc craſim conciliandam concurrere aliquando paternam genituram, aut alibilem ſuccum a matre fœtui utero hærenti impertitum ; interdum etiam lac nutricis, aut res humanas viventes in corpore introductas. Ponamus itaque tale ſanguinis temperamentum ſic fuiſſe comparatum in liberis, lactantibus , & conjugibus, inſuperque ejuſmodi temperamentum idem eſſe cum temperamento parentum, nutricis, & alterius ex conjugibus, utpote quod nullam involvit contradictionem , aut impoſſibilitatem ; dico hoc ſtante conſenſum illum ſequi debere quotieſcunque ſanguis in alterutro, hoc eſt, in parente vel filio; in nutrice, aut puſione; in marito, aut uxore commoveri contingit. Ratio eſt clara ex Canonicis ; quia nempe particulæ ſeminales, alibiles, lacteæ, maritales aut uxoriæ tenent eundem motum in aliud corpus traductæ, quem poſſidebant in eo, ex quo exciderunt. Confer. *canon.* 1. *art.* 2. Quare ſi commoto ſanguine V. g. in genitore moleculæ ſeminales commovent ſe ſe in filio , conſenſum illum inter patrem & filium dari neceſſe eſt, quoniam

niam talis molecularum motus iſtius ſanguinem percellere debet. Ambigis circa hunc motum, an videlicet commoto ſanguine E.g. paterno moveant ſe ſe in prole effluvia ſeminalia. Verum is aperte adeo conſtabit ex dicendis de ſympathia demorſorum hominum cum animalibus rabioſis aliiſque, ut omnis dubitandi anſa penitus caſura ſit. Ex ejuſmodi itaque principiis, æqualitate ſcilicet temperamentorum, ex motu cum ſanguinis, tum vitalium particularum in aliud vivens transfuſarum analogo derivandæ veniunt tam Præſentiones, quam conſenſus, & affectus omnes ſympathici, quæ inter animantia obſervantur. VII.

VIII. Et primo quoad ſympathiam liberorum ac parentum mutuam narrat V. g. *Borellus Cent.2.Obſ.* 41. de puella quadam apud Ruthenos, quæ, dum ejus pater factionis dux a carnifice ſe inſcia laniaretur rotæ impoſitus, eodem tempore ingentibus convulſionibus diſtorta fuit. Unde hoc, amabo, niſi ex eo quod vehementiſſime commoto ſanguine paterno pari modo commotæ ſunt particulæ ſeminales in filiæ ſanguine exiſtentes hujuſque craſim illius temperamento ſimilem conſtituentes, ex qua propterea commotione immanis ille ſenſus convellens & diſtorquens in eadem filia fuit excitatus. Objicies ſimile non contingere in reſpectu genitoris. Nuſpiam enim legitur in hiſtoriis, quod excruciato filio pater talismodi convulſiones ſuſtinuerit; ergo conſenſus non eſt reciprocus, nec a motu particularum ſeminalium in filio dependet. Reſp. diſparitatem hanc procedere ex eo quod tales moleculæ poſſunt quidem temperamentum ſanguinis paterno ſimile conſtituere in filio; Sed ex alia parte filius nihil habet, quod tranſmittat ad patrem, & ex quo iſtius temperamentum poſſit conſtitui. Non deſinit tamen pater ex moleculis illis paulo vehementius commotis præſentire affectiones filii in rebus proſperis æque ac adverſis, quoniam videlicet commoto iſtius ſanguine & per conſequens iiſdem corpuſculis ſeminalibus aliqualem motum creant in ſanguine paterno, a quo exciderant; verum hic imperfectus motus præſenſio eſt, non conſenſio. Dubitabis de hac qualecunque ſeu præſenſione, ſeu conſenſione, quoniam ſanguis unius cum alterius ſanguine non eſt continuus. Verum hæc cauſalis IX. X.

iabo-

laborat falso supposito; dum sensus & motus supponit actionem animalem, non continuitatem; actio certe animalis ad partes animales diffusa est, sint utcunque hæ continuæ, vel separatæ, adeout quandiu animatæ sunt, hoc est motu vitali perfruuntur cum toto animato cohæreant etiam decisæ, quoniam scilicet a communi agente moventur saltem per motum ipsis ab hoc aliquando communicatum. Quamobrem versa vice quando ab alio motore fortiter aguntur, nequeunt non motum suum participare toto animato, unde fuerant excisæ tanquam partes unius animati. Non percipis hanc unionem & correspondentiam partium cum toto & totius cum suis partibus animatis. Sed partes aqueæ nonne coeunt cum toto aqueo, quamvis longe dissitæ, aereæ cum toto aereo, mercuriales cum mercuriali &c., quumque coeunt motum impressum toti communicant? dubio sine, quamvis ad hanc coitionem non concurrat nisi motus extrinsecus aeri V. g. & aquæ in prima creatione impressus. Quid igitur non se commoveant animatæ per motum spiritualem intrinsecum, h.e. per actionem principii interni totum animantis suamque materiam ubique in communi motu continentis? Nam ad hanc communionem motus non conducit continuitas; sufficit ut partes semel motæ ita constitutæ sint, ut pristinum conservent motum, & ne ab animatarum prærogativa excludantur. Siquidem in hoc casu semper sub actione unius spiritus, semperque una conspirant, actione spirituali distantiam & locum non agnoscente, sed tantum quod suum est. Hinc particulæ V. g. sanguineæ animæ ubi ubi existant, quoad motu gaudent primigenio, nequeunt non vel a toto moveri, vel totum movere, adeoque cum toto consentire, quoniam videlicet unus est motor, unus est motus. Instabis, non dari actionem in distans, sed dari eam vel sola monstrat illuminatio, qua Sol aerem, a quo distat maxime, illuminat. De ea vero lis magna, an agere quid possit in distans non prius mutando & afficiendo medium? Quod ipsum quoque confirmare experientiam videmus. Magnes ferrum trahit, licet medium de effectu non participet; Sed quid urgere pergimus materialia, si istorum vis ne umbram quidem præsefert spiritualis activitatis. His propterea missis, ut aliquid etiam deli-

delibemus de sympathia inter matrem & liberos; extat in XI.
Ephemerid. German. D. 3. A. 7. O. 18. casus de matrona quadam, & ex ea natis aliquot filiabus, quæ omnes vesicam levare non poterant, nisi audito stillicidio aquæ decidentis in suppositam pelvim. Sed de causis hujus sympathiæ itemque antipathiæ, ad caseum, fructus, flores &c. sufficienter locuti fuimus ubi de Moribus hæreditariis; in quarum confirmationem subjiciam hic duntaxat *Cartesii* judicium, de passion. animæ pag. 136. *Facile* inquit, *est cogitare miras quorundam aversiones, per quas nequeunt odorem rosarum ferre, aut præsentiam felium, aut similia, non aliunde proficisci, quam quod ab initio vitæ suæ valde fuerunt læsi a similibus quibusdam objectis, aut quia compassi sunt sensus matrum suarum; quæ cum gravidæ essent a talibus læsæ fuerunt. Certum est enim relationem dari inter omnes matris motus et motus infantis, quem gestant in utero, ita ut, quod uni contrarium est, alteri etiam nocat*. Quando igitur matres gravem aliquem filiorum affectum XII.
naturalem æque ac præter naturalem, puta variolas, præsentiscunt, hoc non aliunde evenit, quam quod paulo fortius commotis reculis maternis in liberos transfusis, ejusdem matris sanguis item fortiter commovetur, & ex hac commotione fit perceptio illa, seu præsensio; id quod pariter, potiori etiam jure, contingit in filiis commoto sanguine materno, quod ex hoc motu valide item commoveantur reculæ præfate eorumque sanguinem percellant &c.

Secundo respectu Sympathiæ, quæ nonnunquam inter fra- XIII.
tres, sorores & agnatos intercedit, si advertamus a simili genitura in posteros propagata similem quoque crasim in singulorum sanguine productum iri; facile constabit, quamobrem unius sanguine turbato alterius sanguis item turbari debeat, vel alterari. Ut ut enim jamdiu vita functi fuerint parentes, eorumque genitura consequenter cessaverit moveri proprio, i. e. illorum motu, pergit nihilominus deinceps se movere motu sui individui; & sic stante craseos æqualitate præfata motus ejus in uno subjecto correspondet motui sui ipsius existentis in altero subjecto itaut in hoc turbari, seu alterari nequeat a sanguine, quin turbetur, seu alteretur quoque in il-

 lo,

lo, sitque in diversis subjectis ejusdem alterationis causa efficiens. Narrat *Helwigius Obs.* 162. historiam de variolis, quæ duos consobrinos alterum Lugduni Parisiorum, alterum Norimbergæ commorantes eodem tempore adortæ sunt, quamvis Lugduni eæ non essent Endemiæ. In hoc facto negat *Scroechius in Schol.* id provenisse ex Sympathia, h. e. talem effectum fuisse vere sympathicum; sed ideo contigisse asserit, *quia æque in hoc loco atque in illo* (sunt ejus verba) *utrique ac eodem tempore causa suppeditata est ab aeris constitutione epidemica, vel alia ex sex rerum non naturalium censu arcessenda, fermenta scilicet morbifica latitantia movens & excitans*. Verum ab aere non potuisse gigni ejusmodi phænomenon testatur absentia variolarum Lugduni: ex sex igitur rebus non naturalibus non alia videtur determinanda causa movens fermentum variolarum præter genituram ad utrumque consobrinum ex ortu derivatam: quæ motum pristinum in utroque retinens non potuit, stante craseos sanguineæ similitudine non eodem modo commoveri, variolosumque fermentum in utroque non excitare.

XIV. Tertio quoad sympathiam nutricum & infantum mutuam, cujus exempla prostant, quando V. g. vagitus infantis percipitur a nutrice procul existente, hæc ex prædictis principiis quoque venit deducenda; dum præ desiderio lactis impense commoto alumni sanguine commoventur itidem minutiæ lacteæ eundem ingredientes: quæ propterea variato motu efficiunt, ut motus lactis in nutrice pariter varietur, & per hoc item sanguinis motus, unde talis perceptio originatur. Dices iterum te non intelligere hanc actionem rerum lactearum existentium in lactante in lac & sanguinem nutricis. Sed repeto rationem datam, quod animatum est unum esse, & motum rerum animatarum æquæ fieri a posttema ad primam, atque a prima ad postremam, quoniam earum una est anima. Videatur §. superior n. 3. Hinc desuper ex desiderio lactis in infante lac sponte ex uberibus almæ profluit. Desiderium enim est motus animi expansivus *per propos.* 9. sic vero motis una cum sanguine rebus lacteis in pusione fit ut similiter moveatur, h. e. expandatur, sive extendatur lac in uberibus nutricis, utque hoc adeo exeat ex illis.

Quar-

Quarto dari quoque inter Conjuges Sympathiam docent fundamenta art. 4. stabilita circa mutuam maris & fæminæ irrumationem, qua mediante alterius mores communicantur. Cum itaque conjugales reculæ in alterutro conjugum existentes moventur paulo insolentiori motu, tum his percipi, seu sentiri ab altero necessario debet. Refert *Borrellus Cent. 2. Obs.* 47. de muliere quadam, quæ dum socias sanitate plena alloquebatur, subito de ingenti in fronte ictu conquesta est: paucis vero ab hinc diebus nunciatum fuisse, quod conjux ejus eodem momento in remotis plagis occisus fuit ictu bombardæ, & quidem in eodem frontis loco. Ferebantur ergo in hac muliere moleculæ seminales eodem motu, quo sanguis mariti [proprer syncrasiam) hoc vero sanguine vehementer perculso moleculæ præfatæ pariter perculsæ, sunt nec alibi, quam ubi is sanguis perculsus est; quandoquidem tam hic quam ille ab unico principio activo, seu anima, nec non ab eodem instrumento i. e. sanguine movebantur. XV.

Quinto illud quoque nobis in hoc argumenti genere sustinendum occurrit, dari pariter sympathiam inter sanguinem extravasatum & illum qui est in vasis contra negantes effectus hoplocrismatis, seu unguenti armarii, aut pulveris sympathetici &c. vel eos pro Diabolicis habentes ex pacto sive implicite, sive explicite cum eodem Dæmone inito, aut ex supernaturalibus aliis causis. Nam si magnes E. g. cum ferro sympathizat, quia in ferri fodinis nascitur, cur non sympathizabit & sanguis extra propria vasa cum eo, qui est in vasis, quandiu uterque aptum animæ fuerit instrumentum, & alter alteri assimilabitur, i. e. quandiu uterque possidebit eas prærogativas, quæ requiruntur ad impressiones sustinendas, & ad motum exhibendum, quarum ambæ in globulorum elasticitate consistunt? Dubitat de actione animæ in organo extra corpus existente, sed caput habet ne vim limitandi sphæram activitatis spiritualis? Nequaquam. Spiritus est anima, & quia finitus, in loco determinato; quia vero spiritus, nullis obstaculis cohibetur. Hinc tametsi sanguis, quem semel animavit, sive movit, extra corpus existat, ejus nihilominus impressiones videre, h. e. sentire non cessat, quoniam scilicet intuitiva est, XVI. XVII.

nihilque ejus aciem poteſt effugere. Ut igitur non eſt repudianda dicta ſympathia, ita nec ſympathicæ curationes improbandæ. Illinitur gladius recens ſanguine delibutus unguento armario, aut huic ſanguini inſpergitur pulvis ſympatheticus: ex impreſſione conſtrictiva hujus ſanguinis facta per ſantalum rubrum & cranium humanum in unguento, aut per vitriolum calcinatum in pulvere conſtringit pariter ſe ſe anima talem percipiens impreſſionem, & mediante hac contractione ſua contracto item ſanguine in corpore exiſtente ſenſim fibræ quoque contrahuntur, vulnuſque conſolidatur. En in quo conſiſtit tota formalitas ejuſmodi curationum! Eſtne in ea aliquid, quod naturale non ſapiat philoſophiam? Quod autem a tali conſtrictorio motu in ſanguine recenter extravaſato contrahat ſe ſe anima in corpore, tam clare evictum eſt ex dictis, adhucque magis ex dicendis, ut de hoc impræſens non ſit ulterius ambigendum.

XVIII

XIX. Sexto majorem admirationem parere videtur ſympathia cum proprio quidem ſanguine, at in alieno, vitali tamen & homogeneo loco, tranſplantato, cujuſmodi eſt illa de inſitiis naſis. Hujus celeberrimum exemplum eſt, quod narratur de *Tagliacotio*. Exciderat hic Boemiæ pro more ſibi ad hunc finem conſueto carnem muſculoſam ex quodam bajulo, impoſueratque pro naſo Nobili cuidam Belgico inciſis undequaque naſi deficientis carthilaginibus: ut vero is naſutus factus Bruxellas reverſus eſt, parvo interjecto tempore comperit naſum ſibi ſuum computreſcere, quando nimirum eodem tempore bajulus ille e vita exceſſiſſet. Factum hoc a pluribus controverſum eſt, authentica tamen, quibus illud memoriæ hominum proditum fuit, teſtimonia nulla dubitationi locum relinquunt. Quæritur ergo, quomodo a morte bajuli naſus ille computreſcere potuerit? Pro reſponſione in mentem revocandum eſt effatum *in* 2. ſtabilitum, & *in præſenti artic.* multis confirmatum, quod videlicet res viventes in aliud vivens traductæ vivunt, ſeu moventur vita & motu priſtino vitali. Sanguis igitur in illa bajuli muſculoſa carne ex ejus brachio recens exempta relictus fovebatur quidem & in vitali tanquam balneo continebatur mediante ſanguine & nutrio ſucco Nobilis Bruxellenſis, quo

fa-

factum est ut viveret, h. e. in sua elasticitate perseveraret, non ideo tamen illius motu movebatur; & sic quando bajulus vivere desiit, desiit & vivere, seu animari sanguis ejus existens in tali naso, unde evenit, ut amisso motu, elasticitate, seu pristina inspiratione idem nasus computruerit & exciderit. Objectioni de nullitate actionis in distans jam satisfactum fuit supra; & præterea conservatio elasticitatis in sanguine non est continuata actio, sed permanentia actionis primigeniæ eousque subsistens, quoad subsistit spiritus, qui illam produxit, & quo sufflaminato ut corpus, ita reliqua ab illo animata fatiscunt ubicunque existant. Postremo hæc sympathia mihi suggerit in memoriam casum de sympathia fœtus cum secundina. Pepererat Uxor D. Antonii Boschii Barbitonsoris Cremensis infantem masculum, qui quod frigidus, sensuque & motu destitutus videbatur cum pro mortuo renuntiaretur, adstantes mulierculæ consilium injerunt de cremanda secundina. Hoc enim remedii genus expertissimum nonnullæ earum sancte asseverabant. Dictum factum, cremataque secundina infans paulatim vitæ restitutus est, ita ut & incalesceret, & se moveret & vagiret. Biennio durante pancratice vixit infans, quandiu nempe lacte nutritus est: verum ablactatus labascere & pedibus nutare cæpit; sensimque crura illi, pedes, brachia, collum & cæteri artus ita distorti sunt, ut decimum sextum ætatis annum (quo tempore ego illum primitus invisi) monstrum hominis repræsentaret potius quam hominem, donec circa decimum octavum e vivis excessit. Dixisses hunc puerum artuum & totius spinæ distorsionibus cremantem secundinam fuisse imitatum; nec quispiam porro est illis, qui eum inviserunt. Ut ergo casus iste probat existentiam consensus, i. e. sympathiæ sanguinis cum sanguine, & hoc mediante etiam cum fibris, ita corroborat rationem de illo traditam, quod nempe sanguis extra corpus (modo cætera sint paria) organon proximum est animæ perinde ac qui est in corpore; & quod proinde illius affectiones æque in causa sunt sensationum atque animi perceptionum, ac sunt affectiones istius; imo quia ibi major est sensus, ubi major est affectio, si contingat, ut sanguis extra vasa magis afficiatur, quam qui est in vasis, eveniet pariter, ut

ut ex iſtius affectionibus majores fiant perceptiones, quam ex affectionibus ſanguinis in vaſis. Unde, ex hac ſuppoſitione, cum acciderit in caſu noſtro, ut ſanguis fœtus in ſecundina exiſtens contortus pene fuerit & exuſtus, non potuit ejus anima non percipere ideam ejuſmodi contorſionis, eamque ſanguini tenello in corpore communicando iſtius quoque contorſionem exordiri. Verum interrupta eſt hæc contorſio per interventum lactis materni, donec hoc ſublato auxilio ſanguis ad priſtinam diſtorſionem inclinatus per veſtigia primigeniarum perceptionum abire iterum coactus eſt. Anima namque nondum aliquibus ſpeciebus occupata primas facilius retinet, ac ſecundum eas fortius agit. Supereſſet hoc capite, ut aliquid attingeremus de cadaverum cruentatione, verum quoniam nullum ejus eſt aſſignabile fundamentum, niſi forte, quod permanente in ſanguine viri in rixa, aut in duello occiſi priſtina ad dimicandum determinatione contingere poſſit ex hinc, ut ex impreſſione effluviorum occiſoris iterum excitato eodem ſanguine jam per ſe ad peripheriam determinato fiat illa cruentatio; quod tamen non niſi in ſanguine recens occiſi locum invenire poteſt, illius indagini ſuperſedebimus.

XX. Septimo ſolum occurrit ſympathia inter ſanguinem per orbem ſuum circulantem, & ſanguinem extra orbem; verum etiam inter humores, qui ſunt in corpore & illos, qui ſunt extra corpus. Teſte ſiquidem experientia exareſcunt mammæ lacte in ignem expreſſo; exaſperantur fauces ſaliva pariter in ignem projecta; uredo enim apprehendit prunis candentibus fæcibus, quæ recens dejectæ fuerint, ſuperimpoſitis. Novi etiam murarium fabrum ſolitum permingere e feneſtra tectum humilioris domus eo præſertim tempore, quo illud utpote apricum maxime æſtuabat, in gravem dyſſuriam incidiſſe, quam ego facti gnarus (erat enim vicinus, & de tam inverecunda mictione ſæpe inaudiveram) cum ad me acceſſiſſet opem petiturus, inaudiviſſemque multos e vicinia de tali fabri intemperie conquerentes, utpote qui crebro inter prætereundum ſub illo tecto fuerant *perminxti*; conſilium dedi, jubens, ut deinceps in matulam frigida plenam impoſterum mingeret, atque a conſuetudine illa deſiſteret, quo facto citra ullum aliud reme-

diurn

dium convaluit &c. Ratio omnium eſt, quam ſæpe recoximus, quia ut ſanguis, ita ejuſdem recrementitiæ partes moventur motu unico animalis quodque anima percipiendo in iis motus a ſuo diverſos contrahit ſeſe & ſanguinem, unde ariditas mammarum E. g. videturque illis ſentire in corporeis emunctoriis ſenſum uredinis, caloris, aut frigiditatis.

Confirmat hunc totum diſcurſum de ſimilitudine effluviorum XXI. animatorum quoad motum & figuram cum ſuo toto, juxta noſtrum effatum *art.* 2. poſitum ea demum ſympathia, quam ſubſiſtere obſervamus inter homines & beſtias, a quibus ii demorſi vel icti fuerint; quæque licet ad titulum de functionibus animalibus læſis remittenda erat, ob id nihilominus hic exponi meretur. Rabire V. g. homines non tam qui a cane, quam qui a lupo, equo, cato, aliove rabido animali demorſi fuerunt, ſat ſuperque docent hiſtoriæ: ſupereſt inveſtigemus, quomodo a belvis hominibus communicetur hæc rabies. Non enim deſunt (imo receptiſſima hodie iſtorum XXII opinio eſt) qui exiſtiment rabioſum quendam caracterem ſive ideam imprimi ſpiritibus hominis demorſi a belua mordente, cujus ratione hi deinde in pares motus rapiantur. Verum quicquid dicant ii Phyſiologi, pro indubitato habetur aliquid ſub ſpecie vel ſalivæ, aut effluviorum a rabiente animali ſemper affigi vulneri dentibus inflicto. Quare videtur potius inquirendum, quid præſtare valeant corpuſcula illa ſalivalia in vulnus morſu patratum introducta. Eſt autem etiam certum, uti ea ibidem cum ſanguine miſcentur, demonſtrante ut pote hoc *Borello Cent.* 3. *Obs.* 68. ubi aſſerit in urinis hydrophoborum effigies canum obſervari. Quo ſtante redeo ad axioma poſitum ſub *art.* 2. de effluviis animalium, quod referant imaginem, & motum ejus viventis, a quo ſunt emiſſa; & dico in hac hypoteſi (quæ ulterius verificatur in noſtro caſu obſervatione *Salmuth.* referentis *Cen.* 1. *Obſ.* 83. a ſaliva canis rabioſi in veſte relicta poſt morſum vermes capitibus catulos repræſentantes fuiſſe enatos) quod talibus corpuſculis humano ſanguini affrictis anima rationalis non videre, h. e. ſentire, & percipere ideam illius belvæ, cujus ea ſunt corpuſcula. Unde porro imprimis duplici ex cauſa diſtemperatur XXIII. idem

idem sanguis, ratione scil. motus ejusmodi particularum, & ratione perceptionum animæ rabiosarum; ita quod illius temperamentum ex humano pedetentim vertitur in caninum, donec ad extremum per rabiosa spicula ejusdem globuli dissolvantur & gangrenentur. Jamque in ea dispositione & crasi sanguis, qui, ut toties recantatum est, sensationis omnis est subjectum, eodem ferme modo se habet, ad recipiendas objectorum externorum impressiones, ac caninus. Quamobrem nec mirum videri debet, quod recitat prælaudatus *Borellus Cent.* 3. *Obs.* 68. de viro, qui cum a rabido cane demorsus fuisset, ejus veneno non solum rabidus factus est, & canis venenum in eum non modo inseruit, sed etiam odoratum & sagacitatem venaticam illi communicavit, adeo ut accedentes amicos e longinquo licet non videret, olfactu venire perciperet & amicis renuntiaret, quinam venturus esset ex amicis suis, qui & statim veniebat. In data namque sanguinis constitutione caninæ analoga consimilis quoque ad sensum, puta odoratum in hoc casu, erat aptitudo. Interea mens humana ex rabidorum effluviorum motibus rabiosas percipiens affectiones, in has ferri necessario debet (non enim liberæ sunt sensationes) proindeque ringunt, latrant, aquam metuunt κυνὶ δάκνται &c.

Hoc ut reddatur magis manifestum sumo exemplum a Sympathia Tarantatorum cum bestiola ejus nominis, phalangium
XXIV. Apulum aliter nuncupata. In vulgus notum est hanc bestiolam, seu Tarantulam animalculum esse de genere araneorum octopes, sub die inter arbusta degens, udum amans & siticulosum, colorisque diversigeni, grisei, subrubri, viridis &c. quod insuper quando quempiam ictu appetit, vulnus ei infligit per duo tela, quæ ab ore emittit forcipi hamato similia, quorum apex acutissimus est, eaque ratione facillime carnem penetrant, & videntur esse veneni emissaria: quod demum cuti a vulnere linquitur mador quidam & circulus livido, nigro, aut subflavo colore tinctus, subrepentibus deinde paucis elapsis horis ingenti cordis angore, difficultate respirandi, & mæstitia extrema. Non est igitur dubium, quin per tale vulnus inferat tarantula non ideale quid, sed substantiale in sanguinem hominis demorsi: hujus autem particulas motum & figuram referre vi-

viventis animalis demonstrat experientia. Patognomonicum quip- XXV.
pe symptoma tarantulinum morsum a cæteris distinguens (angor enim cordis, difficilis respiratio & mæror etiam a vipera demorsi sunt communia) est, quod icti a tarantula mirum in modum coloribus afficiuntur; dum hi rubro, illi viridi, flavo aut alio gaudent, aliosque odio habent: unde statim ac objectum coloratum & amicum ipsis occurrit, ita vehementi ejus desiderio accenduntur, ut veluti leones famelici (sunt verba *Schot. Mag. Univers.*P.4.) illud involant, stringunt & frequenti morsicatione vellicant; deinde ad blandimenta devoluti non secus ac amoris insania laborantes hiante ore, expansis brachiis, oculis lacrymantibus, frequentibus ex imo pectore haustis suspiriis in teneros & amorosos amplexus irruentes unionem &, ut ita dicam cum *Kirchero*, identificationem affectare videntur. Sunt item, qui gladiorum fulgore præterea delectantur, & qui nunquam quiescunt, nisi vitreum vas aqua plenum obtineant, quod manu circumferendo incredibiles gestus edunt: quidam etiam conchas aqua plenas videre circundatas viridibus herbis & potissimum arundineis foliis maxime lætantur &c. Ni ergo effluvia illa imaginem repræsentarent tarantulæ, unde anima has erueret perceptiones? haurit vero has ex affectione sanguinis ab iis inducta dum ipsius globulis affricantur: ex qua proinde sensatione totius animalis naturam exprimente ea postmodum fertur ad colorem effluviis sensatis similem, inque eos motus, in quos tarantulæ ipsæ abire consueverunt. Motuum istiusmodi occasione laborarunt hactenus Physiologi in
explicandis cum affectibus præfatis, tum præcipue curatione ejus- XXVI
dem Tarantismi, quæ fit per musicam: unde nempe eveniat, ut tales ægri humi prostrati, semimortui, gravi sensuum omnium oppressione correpti, viribusque ita destituti, ut vix latus moveri queant, nihilominus adventante musica & incipiente sonorum modulatione motum ipsum membrorum augeri, donec tandem patiens vehementissime in pedes eripitur, saltationes inchoat, suspirat, & vehementem hanc choræam continuat. Verum non adeo ardua ista videtur explicatio considerantis, quod alias vulgatissimum est tarantulas ipsas etiam musica delectari. *Hujus rei experimentum* (ut refert *Kircherus Art.magnet.l.* 3.P.8.c.2.) *in civitate Andriæ in palatio Ducissæ Andriæ coram uno de Patribus nostris totaque aula est factum. Nam cum Ducissa de*

ea re sæpius inaudivisset, ut coram spectans & tam admirabile naturæ miraculum oculis inspiceret, tarantulam data opera quæsitam conchæ aqua refertæ imponi & in ea supra festucam tenuem librari jussit; mox & citharedum præsentem pulsare citharam præcepit. Tarantula primo quidem ad sonum citharæ nullum motus dedit signum; mox tam ut suo humori & veneno apropriato sono præludere cæpit, bestiola frequenti pedum subsultatione totiusque corporis saltatione non affectavit sonum, sed mox ad numeros armonicos subsiliendo effecit, & continuavit quandiu sonus continuatus fuit, cessante vero citharædo cessavit & subsultare bestiola. Hoc vero (pergit idem) quod præsentes tunc in Aula tanquam exoticum mirabantur, Taranti postmodum ordinarium esse compererunt. Nam sonatores ad curam Tarantatorum certius & facilius accelerandam, & ne sonus improportionatus molestiam in iis creet, ex ipsis quærunt, quo loco et cujus coloris tarantulæ fuerint: accepto responso indicatum locum adeunt, et inter alias conspectis tarantulis indicati coloris varia tentant harmoniarum genera, ad quæ nunc has, nunc illas subsultare conspiciunt; cum vero ejus coloris tarantulas, qui a patiente fuerat indicatus, in saltus prorumpere vident, notant harmoniam, eamque citissime sciunt esse, quæ ægroto sit proportionata et ad ipsum sanandum apta, quod et re ipsa ita esse comperiuntur. Ex nova igitur hac tarantulæ proprietate facile devènire possumus in cognitionem, quod tarantatorum sanguis venenosorum effluviorum actione mediante ad tarantulinam constitutionem redactus ut deinde per speciales radiorum phonicorum motus affici & moveri incipit tales motiones animæ repræsentat: quæ propterea aliunde ad imitandos tarantulinos motus per se disposita cum sit, accedente postmodum præfato incitamento ad motus ejusmodi magis magisque determinatur; ne dicam insuper concurrere ad sanguinem ulterius movendum ipsam intrinsecam effluviorum virulentorum mobilitatem eo præsertim tempore, quo idem sanguis per sym-
XXVIII. phoniam ad motum solicitatur; sic ut causa proxima saltationis quod instrumentum sit partim sanguinis syncrasia, partim ejus motus per radios phonicos & effluvia tarantulina effectus: causa vero principalis animæ perceptiones.

CO-

COROLLARIUM.

Colligitur ex his binis præternaturalis ſympathiæ exemplis aperte conſtare noſtras poſitiones de ſenſuum fundamento, quod in ſanguine conſiſtat. Nam ſi odoratus augetur canina craſi ſanguini conciliato, ſi auditus acuitur, quando ſanguis tarantulinam adeptus eſt, reliquis ſenſibus interea hebetatis, quid remanet, niſi ut dicamus ſanguinem ſenſus & motus eſſe organon immediatum & conſequenter mentis noſtræ ſedem. Verum hoc adhuc clarius apparebit ex dicendis de actionum animalium læſione.

ARTICULUS IX.

De Moribus ex Humoribus.

HUmores, ut norunt Medici, ſunt vel primarii, vel ſe- I.
cundarii, qui rurſus duplices, recrementitii & excrementitii. Primarii humores ſanguinem ingrediuntur, & pro diverſitate mixtionis varia ejus temperamenta conſtituunt: Secundarii ſunt, qui e tota maſſa ſecernuntur, & per certos ductus tranſcolando vel in ſpecialibus receptaculis coacervantur ad peculiares uſus, aut e corpore eliminantur. Principes illi ad binarium hodie numerum vulgo redacti ſunt nomine ſeri, ſub quo comprehenditur cum lymphatica, tum ſalina portio, & ſanguinis proprie dicti ſeu portionis globuloſæ. Ab horum itaque exceſſu vel defectu manent temperamenta, quorum vim in mutandis moribus *art. 6.* rimati fuimus; vidimuſque in hoc conſiſtere, ut rubellos globulos expanſiles reddat, aut conſtringat, mulceat aut irritet &c. Ex hujuſmodi quippe globulorum affectionibus lætitia, triſtitia, alacritas, ſegnities, ira, manſuetudo &c. proficiſcuntur, quæ cum perennant in mores abeunt, h. e. in habitus naturales.

Reſtant ſecundarii, ex quorum item exceſſu, vel defectu, cæteriſque qualitatibus nonnullas animi affectiones obſervatum eſt effluxiſſe. Stat in ore omnium vetus illud:

Cor gaudet, Pulmo loquitur, Fel commover iras,
Splen ridere facit, docet amare Jecur.

II. unde non pauci peculiares noſtris affectibus in corpore adſcripſerunt ſedes. Divinus *Plato* nonnulla pathemata in Hepate reſidere docuit V. g. iram, amorem, odium, cupiditatem, & in Liene riſum, triſtitiam, melancholiam: ad cujus imitationem elapſo ſæculo cauſam paſſionum harum in corde, Liene, Stomacho, & in aliis partibus rimatus eſt *Renat. des Cartes Tract. de paſſion.* qua ratione vero non video. Nam ſi rem æqua lance perpendamus, nihil reperire eſt, quod reſpectu ſubſtantiæ vel celluloſæ, vel aliter fibroſæ cogat nos, ut agnoſcamus in iis viſceribus quidpiam uni paſſioni conveniens potius quam alteri; nec des *Cartes*, aut ex ejus ſolduriis quiſpiam explicat quales undulationes nervorum excitentur ab iis partibus apte determinare ſpiritus, aut mentem ad hunc effectum potius quam ad alium. Quod ſi loco ſubſtantiæ organicæ ſubſtituatur aliquid inorganicum, puta fermentum, aut humorem aliquem ingenitum iis partibus implantatum; ſuſpicio aliquid impreſſionem facere idoneum, indeque menti perceptionem & affectum aliquem procurare, non quod hujus ergo ibidem implantatus ſit talis humor, ſed quia in quantitate aut qualitate peccans ejuſmodi impreſſionem facere aptus eſt, & hac mediante peculiarem aliquem effectum excitare. Quis enim prudens dixerit bilem E. g. implantatam fuiſſe poro aut veſiculæ bilariæ ad bilem commovendam, ſuccum pancreaticum aut lienarem ad amorem aut triſtitiam conciliandam? Omnino nullus; & tamen conſtat experientia, quod exuperante bile animus fit ad vindictam pronus, glandulis proſtatis lympha erotica turgenti-
III. bus venereum deſiderium adeſt &c. Unde igitur hi affectus? prorſus ex eo quod humorum ejuſcemodi particulæ ob moram in ſuis receptaculis præfatis fortaſſe, vel ex alia cauſa rigefactæ ac fixatæ fibris mediantibus, & nonnunquam immediate percellere pergunt ſanguinem ibidem circulantem; ex quo poſtmodum ſenſu & perceptione rei allicientis, irritantis, aut aliter dictum organum afficientis mens ruit in venerem, ſive

amo-

amorem venereum, si sermo sit de stimulis & orgasmo lymphæ prostatarum in viris, humoris vaginalis in fœminis; propendet ad iram, si sermo sit de bile in sanguinem regurgitante, aut promptuaria sua paulo acerbius vellicante; ad mœstitiam, cum sermo est de turgescentia humoris capsularum atrabiliarium; ad lætitiam, si cruenti globuli sua libere fruantur expansilitate &c. IV.

Quorsum respicit etiam Fames, quæ in actu primo est sensus inanitionis, vel cum *Galeno* 1. *de usu Part.* sensus indigentiæ; in actu vero secundo Desiderium cibi. Inducitur ille sensus ex irritatione fibrarum Œsophagi & ventriculi orta e succo digestivo per illum nempe Œsophagum, certo tempore extillante ab Œsophageis glandulis, de quibus videsis *Dissertationem Jacobi Vercel. Archiatr. Anatom. de Gland. Œsoph. conglomeratis, Humore digestivo et Vermibus* &c. A tali quippe irritatione tum præcipue contingente, quando per Deglutitionem haud fuerunt depletæ dictæ glandulæ (id quod evenit quinta, sexta &c. a pastu hora) affecto sanguine tunicam antedictarum partium nervearum illuente percipit mens indigentiam sive inanitionem, ex qua mox fertur ad cupiendum cibum. Insuper inanitio percipitur ex sensu suctionis, quum ventriculo evacuato cunæ trahere non cessant. Confer de hac attactione *Assert.* 6. & defectu humoris convenientis fibras etiam ventriculi non modo, sed & intestinorum veluti convellant. V. VI.

Quoad Sitim, ista rursus in actu primo est sensus ariditatis in palato, gula, stomacho, verbo, primis viis; in actu secundo est desiderium humidi, sive potus. Arescunt dubio sine illæ partes propter absentiam seri ab extremis arteriarum capillaribus eo decidentis, h e. ad tunicam præfatas partes accingentem, & quæ capillaria ibidem in folliculos expansa poros constituunt glandularum miliarium nomine insignitos. Quare scabra ac veluti contracta dicta interiori superficie, dum hac mediante sanguis afficitur, ariditatis ille sensus excitatur, ex quo deinde mens appetit potulenta. Hunc appetitum notificatum fuit suo loco formaliter consistere in extensione, qua nempe mens petit ad objectum: quoad igitur famem, h.e. appetitum cibi, manifestatur VII. VIII.

ſtatur ea extenſio per motum ſalivæ, quæ in tali appetitu ejicitur
IX. ad palatum; quæritur cur idem non contingat in ſiti, ſeu appetentia humidi? ſed differentia eſt clara 1. quia in ſiti arteriarum capillaria carent ſero illuc, ad Œſophagum E. g. deferri ſolito; & ſic nemo dat quod non habet juxta commune proverbium. 2. quia ſcabrefacta & quaſi corrugata nervea, ſeu interiori gulæ tunica conſtringuntur dicta capillaria, proindeque impeditur acceſſus liquidi ad ejus poros.

Denique reſpectu humorum excrementitiorum, non pudebit occaſione Ructuum (ſit honos auribus) & crepituum, quos multis edere pro more eſt, loqui de flatuum generatione.
X. Communis Phyſiologorum perſuaſio fert, quod materia flatuum ſit chimus aut chylus craſſus & indigeſtus, qui calore ſtomachi aut inteſtinorum attenuatus elevetur in bullas, quæ porro in illo reſolutæ Ructus dent, in his autem Crepitus. Alii putant, quod idem chylus in tantum elevatur in flatus in quantum quod impuritates in ventriculo a prima digeſtione contentæ per excretoria deponi nequeunt; proindeque quod ex cruditatibus imprimis ſulphure viſcido impregnatis oritur motus quidam præternaturalis, in quo ope ſoluti & exaltati ſalis ſulphureæ partes centrales recluduntur ita quidem, ut non ut fieri ſolet in fermentatione regulari ſulphur æqua lance (non quoad pondus, ſed juſtitiam) pendeat cum partibus ſalinis, ſed prædominari videantur. Sino unumquemque proprio abundare ſenſu, nemo tamen inficiari poteſt, quod aer tam qui eſculentis & potulentis virtualiter incluſus eſt, quam qui aliunde & per os præſertim devolvitur ad ventriculum & inteſtina primas partes agere valeat in flatuum generatione. Quid enim vetat, quo minus is in viſcidis & indigeſtis chymi partibus hæreat incluſus, aut ad illas pervolet, ſubindeque ut calore ventriculi aut inteſtinorum rarefactus eſt, eas partes inflet atque in bullas elevet? Suadere quidem hoc videtur impetuoſus halitus & murmur, qui poſtea contingit diffractis bullis: item quod ventriculus elevatione ſua
XI. & depreſſione pulmonem imitatur in aeris tractione. Quænam igitur rationabilior eſſe poteſt cauſa flatuum? Jungitur talem ac tantum eſſe aeris influxum ad ventriculum, ut a

non-

nonnullis existimatum sit ejus vi sola ciborum concoctionem & in chylum conversionem obtineri. Dices concedi forsan posse, quod aer in ventriculo pervadendo viscidas chymi impuritates ex his bullas excitare valeat, sed quod idem ab illo præstari possit in intestinis verisimile non esse, quatenus huc delatus aut calore viarum per quas transit, elaterem suum jam amisit. Resp. tanti non habendum esse hunc calorem, ut existimare par sit aerem ad intestina provolutum esse omnino rarefactum, seu elatere proprio destitutum; cum videamus eundem aerem sanguini in pulmonibus admixtum vires suas diu conservare, ad minimum usque ad exactionem sanguinis ab arteriis in venas. Confer. *Assert.* 5. *&* 6. & præterea in iis, quorum laxius est sinistrum stomachi orificium, quid prohibet, quominus aer ad duodenum permeet citra ullam rarefactionem? Ructandi & pedendi habitum XII. seu facilitatem aquirunt nonnulli ex determinatione de judicio sensitivo, quod nimirum ad sanitatem conferant tales actus. Inde namque dum inspirationem cohibere, respirationem augere assuescunt, ex illo ructus, ex hoc vero crepitus eniti contendunt viis interea flatuum dispositionem aut habitudinem ad utrumlibet admittentibus.

Horsum etiam spectant mores oscitandi & pandiculandi. Fit XIII. oscitatio propter sensum gravedinis in pulmone, quando materia exinde perspirabilis sanguinem ibi aggravat ac pulmones distendit. Ex hoc etenim gravitatis sensu anima contractis solito prolixius respirationis organis hiatum oris diutius diducit, & sic fuligines in ejusdem pulmonis vasculis contentas, ipsiusque parenchyma aggravans expellit. Pandiculatio vero item fit ex XIV. sensu ejusdem gravedinis in vasculis cutaneis & in ipsa cute; ex quo sensu oritur conatus ille, quem anima deinde intendit, ad expellendos fuliginosos halitus cutem obsidentes ab ejusdem poris. Quæritur, cur oscitante uno deinde oscitet & alter? Resp. quia in oscitare assuetis, statim atque oscitationis XV. imago repræsentatur, anima quoque in pariles motus abit. Substantia quippe intuitiva ex natura sua tendit ad simile, se se contrahit a dissimili, prout pluribus insinuatum fuit. Confer.

fer. dicta *de Habitibus* sub N. 9. *in Appendice de Motu Progressivo*.

ARTICULUS X.

De Moribus ab Ætate, Sexu, itemque Partium Symetria & Ametrya.

I. ÆTates sunt vitæ dimensiones; unde vero vita mensurari debeat, incertum. Est tamen cunctis manifestum, eluxitque hac *Assert.* 3. seqq. vitam ejusque functiones primario a sensu pendere; ergo & vitæ dimensiones a sanguine sunt dessumendæ. *Corporis certe nostri* (sunt *Listeri* verba) *illa duratrix firmitas ad plures annos sanguini puro puto ac soli debetur. Sanguis supra omnes humores ætatem sibi prorogat; reliquorum fere omnium certe ex magna sui parte velocitas quotidie transvolat.* Quid vero in sanguine puro puto, i. e. portione ipsius globulosa considerandum occurrat, ex quo deinde ætatum differentiæ augurari possint, nondum est determinatum.

II. Vulgo enim creditur sanguinem pari modo se habere in infantibus puerisque, & in juvenibus æque ac in senibus. Verum si ratio & experientia consulantur, patebit dubio sine alium habitum esse sanguinis in infante, alium in puero, alium vero in adulto &c. nimirum ejus contextura in singulis ætatibus multum variat: dum ejus globuli simpliciores, & per consequens molliores observantur in infante, compactiores in puero, adhuc magis firmi in adolescente, ac tandem firmissimi ac durissimi in sene, nisi præ seri copia in extremo senio constitutis pristinam fortasse induant mollitudinem. Certe ut fibrosa corporis constitutio, ita & sanguinis structura ætate firmatur, valetque inferre ideo firmari illud, quia sanguinis firmi-

III. tas incalescit. Ratio constat ex mechanicis; nam corporum elasticorum sibi invicem contranitentium resistentiæ reciproce semper sunt proportionales: hinc cum fibræ cordis molles sint in fœtu E. g. cruenti globuli non debent esse duri, & e converso duræ cum in viro sint eæ fibræ, sanguinei globuli non debent

bent esse molles &c. A duritie itaque sanguinis majori vel minori mensurandi veniunt vitæ gradus, qui cum notabiles evadant quovis singulo septennio, nulla videtur potior ratio vitam dimetiendi quam ex hebdomadis annorum. Haud nobis IV.
curæ sunt istarum nomina, modo teneamus mutationes, quæ in singulis eveniunt corporibus tam quoad partes organicas, quam quoad inorganicas, & harum respectu quibus affectibus aut moribus nostri animi imbuantur. Hoc enim impræsens nostri pensi est. Proindeque ad illas quum respicio, in ea rursus opinione confirmor, mentem nempe nostram in suis operationibus suum instrumentum, i. e. sanguinem imitari. Veritatem hanc docuit jamdudum etiam *Hippocrates*: *sanguis, qui in homine existit*, (inquit) *magnam partem ad prudentiam confert, ut quidam vero dicunt, totam*. Et alibi: *Imprimis autem in animum inducor ex iis, quæ in corpore insunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quam sanguinem. Is namque consistente habitu persistit prudentia etiam constat. Permutato enim sanguine, simul quoque intelligentia concidit. Cujus rei multa sunt testimonia, ac primum quidem somnus; Is enim ubi corpus corripuerit, tum sanguis refrigeratur, cum suapte natura somnus refrigerare soleat; perfrigerato autem sanguine tardiores sunt ejus transitus. Id vero inde fit manifestum, quod corpora graviora inclinantur (cum gravia omnia ad imum ferri natura soleant) oculi clauduntur, et intelligentia permutatur; opiniones etiam alienæ diutius immorantur, quæ certe insomnia appellantur. Rursus vero per ebrietatem aucto repente sanguine animi functiones ejusque intellectus concidit, et malorum instantium obliti futurorum bonorum optimam spem concipiunt. Multa etiam hujusmodi enumerare possem, ex quibus sanguinis permutationes intelligentiam immutant. Perturbato igitur in totum sanguine prorsus quoque intelligentia deperit. Affectus enim et recognitiones inter consuetudines numerantur: quum vero a solita consuetudine discedimus intelligentia nobis tollitur*. Qui ergo fiat, ut diversis hominis ætatibus varii mores respondeant, accipe. In infantia, quoniam sanguis molliu- V.
sculus, fluxilis & mobilissimus est, ægre fiunt perceptiones, ideæque haud facile retinentur; hinc infantes vividi, instabi-

les, obliviosi: non sic in pueritia, quando ejusdem sanguinis pelliculæ compactiores effectæ suscipiendis externorum objectorum impressionibus sunt aptiores. Tum enim ut minus fugaces sunt sensationes, ita & magis stabiles sunt perceptiones primæ, fitque hæc ætas primis item artium rudimentis addiscen-
VI. dis idonea. In pubertate præter quam quod sanguis pelliculis auctus est unoquoque globulorum quatuor aut quinque alios in se jam complectente, chorroideus plexus eam jam quoque possidet habitudinem, quæ requiritur, ut in illo mens possit
VII. reflectere. In quarto septennio, i. e. adolescentia numeris suis omnibus absoluto & statuminato eodem chorroidali plexu cæterisque partibus cum organicis, tum inorganicis convenientem perfectionem nactis secundæ perceptiones actusque intellectuales
VIII. feliciter eliciuntur. In quinto, seu juventute prima, quum globuli in unum coaliti senarium numerum compleverunt, facilitas adest ad agendum tam intrinsece quam extrinsece; un-
IX. de hujus ætatis robur & activitas mira. In juventute secunda ob compactam structuram multum aeris non amplius admittente sanguine, dum hic paulisper consistere incipit, prudentia & ratio adventat, prout item in virilitate prima & secunda, & senectute utraque i. e. in septimo, octavo, nono & decimo septennio usque ad decrepitatem; unde a consistendo, aut consi-
X. dendo consiliis aptæ hæ semper visæ sunt ætates. Decrepitas vero ad pueritiam redire dicitur, quia induratis globulis, aut sero obrutis nec sensationes, nec per consequens perceptiones rite succedere possunt. Non vero prolixus in præstolandis argumentis, quibus ejusmodi in sanguine mutationes respectu substantiæ ejus probari possunt, autopsia idipsum demonstrante,
XI. quam, inquit *Vallæus Instit. Med. c. 6.* scribens eum sanguinem, qui decies per cor transivit, non esse tam perfectum, quam ille est, qui centies, & qui centies minus prefectum, quam qui millies &c. Diutina siquidem cordis actione globuli pedetentim conformantur, alii induuntur, farciuntur, constringuntur, indurantur &c. prout dictum fuit loco de hæmatosi; pro sanguinis vero mutatione & vasorum mutari etiam sensationes, perceptiones, aliosque animi agendi modos hucusque satis declaratum est.

Præter

Præter ætatem variat animi mores etiam Sexus: fundamentum istius diversitatis physicum non aliud invenio, quam globulorum sanguinis in utroque sexu varietatem: scilicet cutem asperam, carnes tango solidas in viris, levem illam; carnesque molles in fœminis; nonne hæc differentia a succi nutritii diversitate procedit, ut hoc discrimen a rubicunda sanguinis portione talis succi fabricatore, vel authore? Dubio sine interesse debet igitur differentia inter substantiam sanguinis masculinam & fœmininam; experimurque revera hujusmodi discrepantiam in præparationibus ejusdem sanguinis culinariis; dum fœmininus minus coalescit, citiusque corrumpitur masculino. Unde fortem conjecturam foveo muliebrem sanguinem nec ita pelliculosum esse ac virilem, nec fortasse pelliculis constare tam compactis. Auget hanc conjecturam pulsus creber, mollisque in fœminis, indicio hoc existente certo, quod sanguinei globuli haud æque fortiter contranituntur arteriosis fibris atque in maribus. Quod si adeo mens sequitur vestigia sui proximi instrumenti, nempe sanguinis, quid mirum, quod hoc existente molli ac lubrico muliebre ingenium quoque appareat fragile, inconstans, credulum, vanum & suspiciosum. XII. XIII.

Tandem in hoc passu quum ad solida me converto, non contemnendum video augurari debere morum ex illorum constitutione dependentiam; ut cum viscera imo aut medii ventris a dextris ad sinistra sunt transposita, aut viceversa, vel quum sunt in numero aucta, vel non naturaliter prostant conformata. Plures quippe inventi sunt, qui propter cor pusillum & durissimum ferocissimi; propter idem cor inversum flagitiosissimi; propter lienem duplicem & testes triplices truculentissimi, & salacissimi evasere. De nobili Polono narrat *Sculsetus Trichius admir. p.* 82. quod decorus facie cum esset, artubusque legitima proportione cohærentibus morigeratissimam indolem spondebat; cor tamen hirsutum & partem trunci aortæ osseam, illum audacissimum reddidisse. Adeat, cui plura hujusmodi exempla legere volupe est *Cabrolium Obs. Anat.* 15. *Thomam Bartholinum Cent.* 1. *Hist.* 68. *Ballonium Castierium Mollembroekium*, alios: utque ab interno ad externum corporis habitum progrediamur, paucis non perspectum XIV. XV.

est, quam pravis humoribus scateant quotquot organis vel in situ non bene ordinatis, h. e. distantiis rite proportionatis præditi sunt, vel in dimensionibus non convenienter structuratis, vel in numero non juste absolutis. Quotidie namque ante pedes veniunt luscíosi, strabones, cochlites, blæsi, voce fœminili præditi, mutti, gibbi, claudi, verrucosi, aliique similis notæ homines, in quibus vitiosi quid semper deprehendere solemus magna sæpe cum offensione, sic ut de iis repetere cogamur tritum illud *Cave a signatis* : dum ex alia parte formosa specie homines egregiam indolem pollicentur teste inter
XVI. alios Sanctiss. Cardinali Carolo Borromeo, qui ad famulitium suum nonnisi speciosos forma admittere solitus fuit coram asserens in pulchro corpore non nisi pulchram posse habitare animam. Ratio horum omnium est ista, quia in corpore proportionato ut sanguis regulariter progreditur, ita mens ex hoc progressu non percipit nisi regularitatem : e contra in corpore improportionato ex indirecto illius motu non percipit nisi aberrationes. Perceptiones autem rectæ vel pravæ ad rectos aut pravos actus, habitusque ducunt.

ARTICULUS XI.

De Somniis ab Objectis in Corpore.

INgenium, Indolem, Affectus præcipue habituales, consuetudines locorum, victus rationem, Temperamenta insuper & Humores cum naturales, tum præter naturam in corpore existentes, nec non denique Sympathiam cum parentibus & agnatis ostendi ab Insomniis tam certum est, quam quod certissimum. Quo circa *Hippocrates l. de Insomniis*, & ex eo *Galenus l. de Præsaggiis ex Somniis* Medicis auctores sunt, ut hanc Onirocrisim instituant fore enim ex ea, ut multa quæ latent, in apricum deducantur. Et revera, si quæ interdiu sensus nostros externos afficiunt, noctu sæpe somniamus; si sub dio, aut sub ombra dormientes, aut in lecto stragulis male cooperti videmur nobis in somniis vel pluvia madere aut fluentum tranare &c. quidni somniare quo-

que

que possumus, prout de facto somniamus, quæ nos afficiunt interne? Sensus itaque internus, i. e. contactus corporum etiam minimorum immediatus, nec non fibris etiam mediantibus in sanguinem exertus; & præterea motus & dispositio partium istius, unde porro resultant perceptiones & ideæ occasionem dant somniorum, quæ proinde nos appellamus somnia ab objectis in corpore existentibus, & de quibus devenire plane possumus in cognitionem temperamentorum præsertim & humorum, itemque rerum nostro sanguini comixtarum, indeque captare indicationes curativas in morbis sive chronicis, sive acutis. I. Hujus Onirocriseos specimen exhibuit *Rhasis* 3. *ad Almansor.*, ubi *Si quis se volare somniaverit* (inquit) *& invadere sicut accipiter, et capere siccitatis demonstrabitur excessus, atque humorum levitas ac subtilitas. Si quis ab aliquo se aggravari somniaverit, repletione laborare ostenditur. Qui autem in Somniis videt quod quasi incedat per hortos bonum habentes odorem, æqualitas humorum significatur, et a putredine quod sint remoti. Per loca vero angusta si quis ambulare se conspiciat, instrumenta anhelitus gravem pati ægritudinem demonstratur, quæ ipsi tantam aeris quantitatem trahere vetant, quam ei est necessaria.* II. Nos vero in genere dicimus læta somniantes sanguine pollere elastico, a viscidítate immuni, quo fit, ut idem libere se expandat; qui vero tristia, e converso, & præterea in his pro ratione objectorum vel atrorum, vel funebrium, aut monstrosorum, quod salinis partibus scateat ea viscíditas corruptis, ad motum ineptis & cadaverosis, quæ sanguineos globulos percellendo talia repræsentant. III. Quod insuper quotquot se volare somniant, currere aut æquitare, aut ascendere & descendere sanguinem possident libero progressivo motu gaudentem, seu libere circulantem: & si præterea cursus ille per loca amæna & serena institutus videatur, quod sanguinis ingredientia naturalia affabre sunt commixta, nec ullam inferunt irritationem. Rursus, quod qui in somniis incendia aut scintillas se spectare arbitrantur salibus abundant volatilibus motum sanguinis intestinum augentibus; qui vero pugnas aut duella, & quod e vulneribus propriis sanguis exeat, ii particulis

culis abundant acribus & biliosis, quæ se se mutuo intersecando cruentos globulos afficiunt, aut configunt. Ulterius flammæ, bilis, pluviæ & inundationes feri, nives lymphæ, venerea seminis aut lymphæ eroticæ redundantiam significant &c. Verbo quales sanguinis affectiones motus & miscela, talia sunt
IV. insomnia: id quod præterea confirmatur ex somniis in statu præternaturali. Celebris est historia *Gesneri*, qui cum somniasset se a serpente morderi, pestilentia se moritum prædixit, hancque prædictionem litteris nondiu expectato eventu mandavit. *Arnaldus* item *Villanovanus* Medicus & ipse doctissimus, teste *Fulgoso* somniavit a nigro cato se in pede vulnerari: postridie ea in parte cancer eidem enatus est. *Cœlius* quoque *Rhodiginus Antiq. lect. l.* 27. *c.* 7. memorat ex *Alberto* M. quendam, qui per somnium arbitrabatur in pectus atriorem sibi affundi picem, mox illucescente die atram bilem copiose rejectasse &c. Ex hinc enim facile colligitur pestilentiale miasma in sanguinem insinuatum, dum istum jàm inficeret serpentis ideam induxisse, ex eaque *Gesnerum* morsum ejus somniasse: idem dic de *Arnaldi* somnio &c. Confirmant ultimo effatum hoc non modo, sed & doctrinam traditam circa sympathicos effectus a rebus viventibus in aliud vivens traductis insomnia iccirco sympathica similiter appellanda. *Res est memoria et admiratione digna* (inquit *Alex. ab Alex. Genial. dier. l.* 1. *c.* 11.) *jacebat in lectulo Marius alumnus & cliens meus, cujus ego ingenium & animi indolem sæpe demiratus sum. Is cum per quietem matrem defunctam efferri & funus apparari vidisset, gravissimos gemitus & lugubres querelas quamvis somno sopitus edebat: quem cùm excitari jussissem, & causam tam luctuosi gemitus exquisivissem, retulit matrem vita functam sibi visam efferri & funerari. Observavi ego diem, & tempus, quo species hæ observatæ fuerant, notavi. Haud multo post nuntius defunctæ matris ad me venit; a quo cum diem exquisivissem, convenit eo ipso die, quo mater per quietem efferri visa fuit,*
V. *illam e vita excessisse*. Hujus somnii ratio ex Canonicis dispalescit, & ex dictis *art. de Sympathia*. Cum enim reculæ maternæ filio impertitæ viverent in istius sanguine vita vel motu

tu ipsius matris, ejusdemque imaginem repræsentarent, factum est, ut cessante ejus vita cessaverint & illius motu moveri particulæ: at quoniam a tali motu cessari non potuerunt istæ, quin ad sanguineos globulos filii impingerent sibi relictæ, ideo ex hac motus privatione & contactu sensatione oborta evenit, ut potissimum somni tempore, quo silent sensoria externa mens filii perceperit ideam matris mortuæ, & per additionem, seu conspectum consimilium idearum illam efferri & funerari somniaverit. Ad quam Sympathiam, hoc est temperamenti similitudinem per materna symbola contractam itidem referri debet somnium illud, quod legitur *in Ephem. Germ.* A. 1. O. 24. his fere verbis: *Mulier plebeja in lectulo dormiens jacebat, ut fessos spiritus ope quietis recrearet: hæc cum per quietem fratrem militantem in Sabaudiæ castris morientem vidisset, summos gemitus edebat, & a socia quæ cum illa dormiebat, interrogata de querelæ causa respondit fratrem morientem in bello se vidisse; nonnullis autem elapsis diebus Ferro jam venit miles quidam, qui retulit mortem fratris somniantis feminæ: interrogatus de mortis tempore asseruit, facto a nobis computo, fuisse eandem noctem, quo mulier supradicta vidit fratrem morientem.* Plura alia hujusmodi exempla recensere supervacaneum arbitror; non silebo tamen (quod concernit Sympathiam inter conjuges) mihi perspectum esse nobile istorum par animi tam concordis, ut fere quindecim annorum spatio, quo simul juncti sunt, ne minimus quidem dissensus inter illos intercesserit. Maritus igitur, vir alias in philosophia satis versatus, plura ex præsensione uxori prædicere solitus est: inter hæc nocte quadam vidit in somniis menstrua illi enormia supervenisse; expergefactus narrat conjugi quod viderat, quod ab utroque cum risu exceptum est: erat enim mulier tertio mense gravida, nec gestationis tempore tali quod unquam pati consueverat. Surgit igitur e lecto illa de more hilaris ac bene valens, & paulo post citra ullum symptoma prævium abortivit cum satis larga uteri hæmorragia. VI.

Causa itaque antecedens hujus somnii fuit similaritas temperamenti ingenio, victus ratione, & miscela humorum eadem VII.

com-

comparata, proxima vero fuerunt res conjugales, quæ in marito ſe movebant motu vitæ uxoris. Hinc ergo moto iſtius ſanguine verſus uterum, effluvia illa conjugem exprimentia deorſum pariter ſe movendo effecerunt, ut impacti in ſanguinem mariti ideam conjugis & motus ejus ſanguinis repræſentando iſte per ſomnium viderit uxorem menſtruari. Atque hæc de ſenſu & conſenſu ſanguinis hucuſque pronuntiata ſufficiant.

PSY-

PSYCHOLOGIÆ MEDICÆ

PARS QUARTA.

De Motibus Præternaturalibus.

EXORDIUM.

COgnitis naturalibus, quæ deinde fiunt præter naturam facile cognoſcuntur. Contrariorum enim eadem eſt diſciplina. A ſanguine modo naturæ convenienti affecto humanas actiones omnes naturaliter procedere in præcedentibus demonſtratum fuit; inſuperque quomodo aliquæ functiones animales a rebus quibuſdam præternaturalibus in venas introductis læſo ſanguine labefactentur, *cap. de Sympathia* edocuimus: quid ergo reliqui, niſi ut concludamus, ab eodem ſanguine in motu, ſubſtantia, & qualitate vitiato animalium vitaliumque functionum omnium vitia pariformiter eſſe derivanda. Hoc non obſtante e re duximus concluſionem hanc evidentius adhuc probare diſcurrendo per ſingulas actionum ejuſmodi læſiones, quæ aliter Morbi elucent, partim

SYNTAGMA PRIUS.

De Vitiis circa Functiones Animales inter quae ordine recto, qui in naturalibus servatus est, ante omnes se se offert

SENSUS EXTERNUS LÆSUS.

Duplex a nobis stabilitus est sensus, alter organicus, I.
qui fit per sensoria externa; alter inorganicus, qui fit per contactum sanguinis immediatum. Quaeritur de priori, unde & quomodo labefactatur? ad quod resp. distinguendo inter labem instrumenti remoti, seu organi, & labem instrumenti proximi, seu sanguinis. Vitiatur E. g. Visio ex inflammatione oculi, nubecula, cataracta &c. unde variae istius organi emergunt affectiones: praescindimus nos ab his, easque tanquam causas antecedentes parum nostra referre supra protestati fuimus: illud autem maxime, an sanguis laesus sit causa proxima sensus laesi, hoc est vel imminuti, vel abolitii? Affirmativa pars nullam patitur exceptionem, cum II.
observamus continuo a larga V. S. E. g. aut alia liberaliori haemorragia, postquam sanguis magna copia effluxit aegros incipere animo linqui, motum eorum animalem defficere, sensum hebescere. Quod si dicas haec ideo accidere, quia a talismodi evacuationibus defraudatur materia spirituum; resp. per illas non subtrahi materiam in cerebro existentem, quoniam quod eo jam delatum fuit per arterias, pauco temporis quanto sanguinis missio constat, non potest subduci per venas. Insuper notavit *Ettmulerus in Colleg. Pract. c. de Gutta serena* ex abusu volatilium aromaticorum, ut ex abusu talis armoniaci amaurosim obortam fuisse. Si igitur sentiendi impotentia potius inducitur a liquoribus spirituosis, an putandum est inferri eandem, per subtractionem materiae in spiritus abiturae? Verosimilius propterea videtur a profusiori phlebotomia in tantum sensum minui, E.g. visum, in quantum quod revellitur sanguis ex sensoriis; & in

casu *Esmuleri*, quia idem sanguis ibidem, in oculis, excoctus a salibus volatilibus impar factus est radiorum lucidorum repercussionibus excipiendis: in qua hypothesi est certe luce meridiana clarius, quod sensus abolitio aut imminutio sanguini in quantitate aut qualitate peccanti debetur potius, quam imaginariæ cuilibet spirituum attaxiæ. Quod præterea confirmatur e contrario in facto de amaurosi, quam compertum est nonnunquam ex mensium, hæmorroidum, aliarumque fluxionum suppressione provenire. Vascula quippe capillaria sanguine farta ac distenta non patiuntur minimas objectorum externorum impressiones eidem sanguini communicari; & ex alia parte hujus ipsius globuli in illis coarctati cum libere non moveantur, tales impressiones excipere non possunt, easque animæ repræsentare. Quod si proinde menses aliive fluxus suppressi postea redeant, depleris dictis vasculis, pristinaque libertate sanguini restituta tollitur amaurosis, testantibus *Bartisch. in Ophtalmod.* & *Sennerto Prax. Med. l.* 1. *part.* 3. *sect.* 2. *c.* 37. Urgebis item in causa abolitæ visionis *Plateri* observationem, quæ est 101. *l.* 1. de tumore globoso in cerebro nervos opticos comprimente & amaurosim excitante: item alias de exostosibus juxta nervum opticum inventis, quæ eundem morbum genuerunt; quo medio evinci manifeste credis abolitionum sensuum ex impedito spirituum per nervos influxu infallibiliter produci. Sed contra est, quia constat ex Anatome, uti per canalem osseum, quem nervus opticus excurrit, transire una simul arterias nervum hunc ambientes, & per retinam tandem se copiose diffundentes. Tuberculi ergo illi impedimento fuerunt in iis casubus, quominus sanguis ad alias oculorum partes, imprimis vero ad retinam convenienter permearet, ibique rectæ refractæque lucis exciperet impressiones. Rogas, quinam propterea
II. fit opticorum nervorum usus? Resp. qui & nervorum reliquorum, videlicet ut materiam subministrent membranarum & bulborum, ex quibus oculi constituuntur. Supra mentionem fecimus cæcitatis a salibus volatilibus inductæ; venit nunc in mentem observatio *Rhody* 37. *Cent.* 4. de eadem cæcitate ex haustu sudorifero: en, quod humores oculorum, sensilesque globuli defectu convenientis humiditatis exaruerint præ sudore? an.

an e contra id evenerit ob nimiam serositatem vi talis sudoriferi ad oculos delatam per extrema arteriarum capillaria, hæreo; at illud tamen certum est infantes maxime tenellos, senesque capulares iis, qui in media ætate constituti sunt, minus videre partim ob excessum seri in utrisque; partim, quia illorum sanguis molliusculus, istorum duriusculus minus a radiis lucidis percelli potest. Quod auditum, constat item autopsia IV. lædi ipsum, quoties propter aquæ aut aeris frigidioris admissionem condensatur sanguis tympani & cohleæ tunicas irrigans; aut eo in convenienti quantitate, qualitate, ac motu non affluit, puta quando paulo crassior est, aut serosior, aut exinde per V. S. V. g. fuerit revulsus. In his quippe casibus, quia rubelli illius globuli nequeunt rite percuti ab aere ad tympanum propulso subjectumque, aut inclusum verberante, juxta diversos ejus vibrationis gradus a sonoris corporibus impressos, nunc augeri, nunc minui, & inæqualis fieri auditio debet, ac nonnunquam penitus auferri. Idem dic denique de aliorum sensuum vitiis, sive hæc pendeant ex febrili motu vel æstu, sive a seri copia, vel inopia &c. Sisto exemplum in Corysa, a qua V. gustus & odor simul afficitur. Notum est dividi eam, nec male, in humidam & siccam: in humida serosus liquor continue e naribus, ore & oculis effluvit; econtra in sicca nihil quicquam; sæpius etiam cum maximo conatu emungi potest. Lympha igitur in illa fluxilior, in ista viscidior dum cruentos globulos suffundit, aut inviscat, efficit, ut sapidæ, vel odorosæ particulæ illos attingere nequeant pro gustus & odoratus formatione. De tactu imminuto, seu stupore nihil addo: pauci nesciunt rarius illum in omni tactus organo, sed ut plurimum in una tantum, aut altera ejus parte notavi; ibique accidere ratione organi vel exsiccati, vel nimio sero turgidi, propter quod porro globuli sub papillis aut fibrillis permeantes tangentium corporum impressiones excipere non possunt. Unde tandem infero vitia sensuum nonnisi a sanguine in motu, quantitate, aut qualitate vitiato esse deducenda.

Ad Tactum læsum pertinet præprimis Dolor, cujus formalitatem in molesta quadam ac tristi sensatione consistere ex omnium consensu perhibetur. *Bruno* tamen *in Lexic.* dolorem VI.

dicit

dicit esse sensum auctum; nec immerito, dum ex aucta sensatione dolor aut voluptas est: sed quomodo augeatur sensus non-
VII. dum investigatum est. Secundum nos augetur idem quando sanguis præternaturaliter, h. e. violenter afficitur; videlicet aut comprimitur, aut irritatur. Comprimitur nunc ob arteriarum angustias, nunc ob fibrarum circumjacentium distensionem, verbo, propter motum ejus impeditum: irritatur autem vel a propriis suis salibus, vel ab aere in continui solutione &c.; tandemque tum comprimitur, tum irritatur ex congestione fa-
VIII. cta in aliqua parte organica, i. e. ex stagnatione. In primo casu dolor dicitur tensivus: in secundo ardens, quando salina spicula volatilia sunt, punctorius, quando fixa, lancinans, quasi disrumpens, quando globulos dissolvunt: in tertio denique mixtus, ex tensivo, gravativo, punctorio &c. compositus. Itaque pro ratione majoris aut minoris tum compressionis, tum irritationis in sanguinem inductæ augetur, minuiturque sensus, sed ex actione dolor est: voluptas autem ex blanda ejusdem sanguinis volutatione, ac titillatione.

Sensus Interni dicti læsi.

I. Internæ actiones, quas item internorum sensuum titulo a Philosophis falso exornari ostendimus *in præced. Part. Membr.* 1. *sect.* 1. *theor.* 8. sunt Perceptio prima, Judicium, Phantasia, Memoria &c. quæ omnes fundamentum habent in sensu, ex quo ideæ, & ex his combinatis vel disjunctis judicia nascuntur, ut & reliqua intellectualia *per theor.* 2. & per consequens in primario sensorio, nempe sanguine. Hoc igitur labefactato tales actiones, seu functiones lædi necesse est, plus aut minus juxta magnitudinem aut parvitatem ejusmodi labefactationis: id quod insuper comprobat autopsia; dum a tali labe, quando increbuit, non tam vitiatur perceptio, judicium, phantasia, memoria, cogitatio, verum etiam intellectio, volitio &c. prout accidit in mania, melancholia, & reliquis deliriis evidenti cum judicio, quod præfatæ actiones in statu naturali exordium capiunt a sensu, & quod primarium sensus subjectum sanguis est.

Quo-

Quo ſtante læditur perceptio prima, quando objecta externa II.
rite non ſentiuntur, h. e. cum debita animadverſione; confer
Theor. 1. vel quando externum organon impeditum eſt, vel
quando internum, nempe ſanguis non eſt objectorum impreſſionibus excipiendis proportionatus. Prima cauſa non eſt hujus loci, ſecunda eſt per ſe nota; de tertia quod in totum dixerim, ejus veritas ſupra jam attacta eſt; dum pueri, quorum ſanguis molliuſculus, & ſenes, quorum duriuſculus percipiendis rerum ſenſibilium ideis minus apti videntur. In ſtatu vero præternaturali, quando ſanguis in motu & qualitate peccat, ut ſenſationes, ita pravæ quoque ſunt perceptiones quemadmodum in Ictericis, qui nigrum, album, viride indifferenter accipiunt pro flavo.

Læditur deinde Imaginatio per habitum imaginandi, qui III.
porro habitus motum ſanguinis ſuſpendendo craſim ejus reddit viſcidam alendæ propterea imaginationi aptam; quod nimirum imaginatio ex mora circa aliquod objectum *per parad.* 2. & ex perceptione viſciditatis animi mora pendeat, ut conſtat ex dictis *de Temperamentis*. Anima quippe intuitiva imitatur modum inſtrumenti, cui ineſt, & hinc modus operandi ſequitur modum eſſendi juxta canonem Philoſophorum uſitatum. Aliter depravatur Imaginatio a rebus peregrinis ſanguini hærentibus, quemadmodum vidimus loc. de Hydrophobia & Tarantiſmo, patebitque inſuper ex dicendis infra. Ex importunis etenim objectorum, quæ a dictis particulis ſanguini defixis repræſentantur, ſenſationibus efficitur, ut mens non poſſit non circa illa objecta item hærere defixa, unde Phantaſia juxta *Parad.* 2.

Tertio debilitatur Memoria vitio perceptionis, quando nem- IV.
pe vel difficulter ſuſcipiuntnr ideæ externæ; vel ibi cuncta ſive lecta, ſive audita imprimuntur, poſt iterum tamen brevi delentur; vel demum quando nec recipiuntur, nec ſervantur per ſenſoria communicata. Duobus prioribus relictis, quod eorum cauſæ ex dictis de perceptione ſufficienter eluceſcunt, noviſſimus hic caſus eſt attendendus, quum videl. non ſervantur ideæ,
quod proprie memoria eſt abolita. Efficiens proximum iſtius V.
deffcientiæ eſt vel totalis immutatio ſanguinis in plexu choroideo, vel prava iſtius conſtitutio, vel ejuſdem e ſitu ſuo natura-

turali deturbatio, vel nimia phlegmatis in cerebri ventriculis
illuvio. Primum discitur ex oblivione, quæ nonnullas ægritu-
dines interdum excipit. Messala Corvinus teste *Plinio* ex ægri-
tudine non tantum propinquorum & servorum, sed & proprii
VI. oblitus est nominis. Missis historiis, norunt Medici occasio-
nem præbere defectui memoriæ nunc febres malignas, nunc
terrorem ingentem, aut tristitiam paulo diuturniorem, nunc
puerperium, aut enormes evacuationes &c. Cur hoc? nisi quia
ab his vel crasis sanguinis subvertitur in plexu, vel ex hinc is
subducitur & derivatur? Secundum ex natura quorundam he-
betudine seu stupiditate. Non est enim improbabile, imo ve-
risimile potius est, ut cætera, sic & chorroidalem plexum a
natura male conformari posse; in quo casu impeditis functio-
nibus hebetudinem, & loco memoriæ ἀμνημὸν induci. Ter-
tium ex iis, qui capitis concussione, vulnere, ictu V. g. lapi-
dis petiti, in terram lapsi &c. obliviosi evaserunt. Quartum
VII. denique ex memoriæ imbecillitate in senio, quando sanguis, &
ex hoc cerebrum sero scatet; quo maceratus ille muniis, quæ
ab anima ibidem, in plexu, exercentur parum aptus est.

VIII. Ultimo quid censendum sit de causis depravatæ cogitatio-
nis, cognitionis & intellectionis, expositum fuit supra. Ut
enim actus, qui ad intuitivam animæ facultatem pertinent non
solum, sed & qui ad se motivam, idest volitivam, fundamen-
tum, verius initium capiunt ex sensu; ita depravato sensatio-
nis organo primario, nempe sanguine actus seu functiones ab
utraque potentia procedentes confundantur, misceantur, unaque
simul corrumpantur necesse est. Unde factum, ut cogitatio, co-
gnitio, intellectio, volitio læsæ sub diversis morborum nomi-
nibus comprehensæ sint, hæque vel Mania, vel Melancholia,
Phrænitis, aut Deliria vocitentur; & cum præterea læsis ima-
ginatione & memoria tanquam basibus reliquæ operationes iis
superstructæ integræ manere nequeant.

IX. Mania dicitur effectus ille mirus, in quo præter ineffabile
plane robur, ita ut ejus clientes catenas etiam ferreas, quæ ad
compescendum furorem injectæ erant, diffringant, adest insuper
vigiliarum & frigoris incredibilis tolerantia ciborumque absti-
nentia, vel alio tempore nimia voracitas cum summa auda-
cia,

cia, & delirio ultroneo, sed nunquam cum febre. Causam
agnoscit sanguinis intemperiem calidam, minime humidam &
viscosam: id quod per hæmoscopiam facile apparet, dum a V.
sectione observare est illum crassum, fæculentum absque ulla
serositate: imo quum hujus aliquam portionem annotare dabatur,
ex ejusdem majori vel minori quantitate celeriorem aut
tardiorem ægri sanationem auguratus judicio nunquam frustratus
sum. Insuper enuntiant illam, scilicet intemperiem, ante- X.
cedentes causæ, Ira, amor, agrypnia ex curis, inflammationes
& dolores exquisiti, vini potus largior, æstus radiorum solarium,
nimia diaphoresis &c. utpote quod ex hinc dissipatis
partibus serosis viscedo & calor M. S. conciliatur. Hoc stante,
dum sanguis item circulans in plexu pares induit qualitates,
anima istas observans, similesque idcirco hauriens affectus, ex
illius calore furorem concipit, ex viscositate tenacitatem. Quamobrem
hæc idearum suarum tenax facta, eoque magis quo
plus sanguis per animi motus & actiones glutinosus redditur,
magisque urgetur, in arrogantiam effrenemque temeritatem
abit, in iram, aut amorem &c. pro varietate objectorum,
ad quæ petere consueverat. Ex alia parte tam crasso existente
sanguine perque tam validos animæ impetus determinato,
quis miretur adeo fortem in articulis vim ut catenas etiam
ferreas disrumpere potis sit, firmos & constantes gressus exhibere?
Quod vigilias, si ex motu sanguinis pacato somnus est,
sequitur ex legibus contrariorum, ut a motu ejusdem violento,
qualis est in Maniacis ob pathematum auctionem, vigiliæ perennari
debeant; & quia partim ex animi attentione ad objecta
hic non advertit ad sensoria, partim ex sanguinis crassitie
sensationi parum apta organa impedita sunt, frigus, famem,
sitim &c. non percipiunt illi, eaque tolerant.

Melancholia, affectus ille tristis & calamitosus suos etiam clien- XI.
tes pene omni humanitate exuens efficiendo illos solitudinis amatores,
meticulosos, tristes lacrymabundos & gemebundos, anxietatesque
sibi adeo horribili sub larva fingentes, ut etiam proprias manus
violentas, quo facilius a conceptis miseriis liberi fiant, inferre
sibi non vereantur, ex diametro velut opponitur Maniæ sive causæ
spectentur proximæ, sive remotæ. Ut enim Ira, Cupidi-

tas, Ambitio Maniam; ita Metus, Tristitia, Abjectio generat Melancholiam: utque ex ira, cupiditate, superbia M. S. sero depauperatur, purpureique globuli turgidiores facti sibi invicem adhærent; ita ex timore, mærore, desperatione contractis iisdem globulis M. sanguinis sero luxuriat. In tali ergo contractione consistit causa proxima melancholiæ; in quantum quod sanguine sic affecto nihil, quod hilaritatem suggerat percipi a mente potest, nihil, inquam, quod eundem sanguinem expandat, sed meras duntaxat angustias, merasque anxietates. Adde, quod cum ad humorum digestionem, quæ secunda dicitur, apposite celebrandam talis sanguis sit ineptus, adeoque cruda & fixa multa continuo restitent in vasis, ex eorum propterea assiduo affrictu ad dictos globulos partis sensationibus, non nisi tristes, funereæ, truces hauriri quæunt ideæ, ad quarum obtutum mens postea offenditur, sonticosque actus perpetuo emittit ac meditatur. Diathesim sanguinis præfatam docet sufficienter pulsus, qui in melancholicis parvus, undulosus, intermittens observatur; motusque ejus intestini debilitatem, sive debilem concoctionem demonstrant læsæ humorum secretiones & excretiones; a quibus emergit melancholia cum additamento hypocondriaca vocata, cujus symptomata sunt ventriculi ac intestinorum cruditates, schirrus lienis aut hepatis, pancreatis, mesaraicarum glandularum, omenti, vel uteri, verbo malum hypocondriacum inveteratum, quod quum aliunde provenit, quam ex affectibus melancholicis, nonnunquam evadit istorum causa & per consequens melancholiæ; quemadmodum hujus antecedens causa pariter esse possunt vermes in intestinis copiose hærentes, aut alii affectus chronici.

XII. Phrænitis quid sit a Medicis non ignoratur, esse nempe delirium perpetuum vehementius cum febre acuta, pervigilio, furore, risu, clamore aliisque symptomatibus vehementioribus: sedes tamen ejus & efficiens proximum adhuc latet. Quoad prius volunt illi phrænitidis subjectum esse mæninges: quod posterius vero istarum inflammationem per sanguinis acrioris & ichorescentis effervescentiam immoderatam, aut impetuosiorem ejus affluxum cum impedito refluxu ex stagnatione obortam. At enim vero utrumque falsum esse clare ostendit autopsia; dum plu-

plures notati fuerunt casus, in quibus post phræniticorum mortem talis partis inflammatio nunquam fuit observata. Confer. XIII.
instar omnium *Bonetus Anat. Pract. l. 7. sect. 7.* Idcirco ad hoc propositum venit mihi in mentem, quod *Ballonius l. 3. Consil. 71.* scribit his expressis verbis: *Sæpe capita hominum morbo capitis consumptorum aperta sunt, in quibus nihil commendabile repertum est, quod morbum intentasset; cum alioquin Medicus aut abscessum, aut simile quid repertum iri pronuntiasset, spes augurantium ipsa inspectio fefellit, & eorum fiducia & expectatio in stuporem vertit, ac si cum ipsa anima mortis occasio avolasset.* Et ego certe plus quadraginta phræniticorum cadaveribus (hæc exagero) in Xenodochiis calvariam XIV.
secui absque quod in meningibus ullam phlogosim adnotaverim: tantum vascula multo ac rubicundo sanguine videbantur inflata; & ex alia parte cerebri substantiam offendi semper longe compactiorem, quam in statu naturali multoque aridiorem cum paucissima flavi, velut urinosi phlegmatis in ejus ventriculis quantitate: Quamobrem ex hoc defectu, & ex sanguinis choroidæum plexum incolentis febrili æstu conjectatus sum phrænitidem deduci debere. Quippe color ille summe purpureus cum alibi, tum præcipue in eo plexu annotatus nonnisi absentiam serositatis arguit ipsius etiam sanguinis exploratoris maximi *Leevvenboekii* judicio, in quantum quod circumflua serositas lucem reflectendo directumque istius transitum per globulos cruentos impediendo istorum colorem minuit: ne dicam talem defectum sufficienter manifestari in phrænitide ex ariditate totius cerebri præfata. Cum igitur valido projectitio, i. e. XV.
febrili motu concitati iidem globuli æstum sibi vicissim communicent per mutuum contactum vel affrictum, utpote nullo interjacente phlegmate, non potest anima percipere ex hinc, nisi ideam furoris, seu vehementis motus, & ex æstu non nisi ideam iracundiæ; quam insuper inducunt biliosæ particulæ in exiguo illo plexui hærente phlegmate tumultuantes. Quod si æstu hujusmodi non obstante dicti globuli remanent expensiles, ideæ lætitiæ, quæ in expansione consistit, adhuc suggeruntur; contra vero mæstitiæ: & si fixa quædam salia illis

hæreant infixa, pro illorum varietate diversa quoque spectra, seu phantasmata menti objiciuntur; unde subit considerare, quod quum phrænitici delirant circa consueta, ut-
XVI. quam tractant fabrilia fabri, ut dicitur, signum est, quod sanguis ab iis salibus est immunis, quodque iccirco mens non distrahitur a propriis ideis. Verum de his in Semioticis. Quod concernit Paraphrenitidem, quo nomine designatur phrænitis per consensum ex falsa illa anticipatione de mæningum phlogosi phrænitidis tanquam causa, & quam proinde phlogosim a mæningibus contrahi posse vitio alicujus partis inferioris arbitrantur talis sententiæ Fautores, teneo cum *Galeno* 5. *de loc. affect.* c. 4. raro aut nunquam observatam fuisse talem phrænitidem: quodque icirco vitium in partibus præfatis soboles est sanguinis ferventis, non causa phrænitidis: ac si nimirum paraphrenitis sit affectio composita ex phrænitide & ex inflammatione partis alicujus inferioris. Alias quippe solida cum plexu choroidali non communicant; & sanguis inflammatus quoniam mancipatus est, videlicet extra orbem positus sanguinem in plexu aut in mæningibus inflammare nequit; ne dicam, quod in hac hypothesi totum etiam corpus inflammaretur.

XVII. Ultimo de symptomaticis deliriis (sub qua rubrica comprehendimus inconvenientes omnes & absurdas visiones, quæ recurrunt mentibus febricitantium, sive periodica sit ea febris, sive continua, sed in remisso gradu; mentibus præterea hypocondriacorum, pestigerorum &c.) eadem cum præcedentibus est theoria. In febribus periodicis, hoc est intermittentibus, ut in tertiana E. g. tam legitima quam notha frigore, aut horrore declinante se se offerre incipiunt eæ visiones, tamdiuque percrebescunt, quandiu parmanet calor, quo tandem remittente cessant & apparere phantasmata. Deliria itaque in his febribus sunt pro varietate motus & sanguinis constitutione diversa. In principio, cum intestinus hujus motus augetur, hoc est quum cruenti globuli in algore antea oppressi asserere se se incipiunt in libertatem, lymphæque opprimentis vincula excutere ac conquassa-

re,

re , obſervantur enim quaſi lunares facies albidæ & prægrandes , ita ut earum aliquæ integrum hæmiſpherium occupare videantur : progreſſu deinde paroxiſmi, quando motu illo adaucto extricantur etiam ſalia ab lymphaticis illis filamentis , eaque ſanguinem percellunt , adſunt confuſæ , mutilæ , moleſtæque perceptiones ; ac poſtremo igniculi, conflictus, gladii &c. intuitivæ potentiæ repræſentantur , poſtquam extricata illa nempe ſalia hic illic in globulos adigi ac vibrari conſueverunt . In febribus autem continuis , vel quaſi talibus , XVIII. iiſque tam chronicis , cujuſmodi ſunt hypocondriacæ & lymphaticæ , five catharralibus , quam acutis , ut malignæ & peſtilentiales , deliria in tantum ſubrepunt, in quantum quod ſanguis item patitur nunc quoad motum , nunc quoad ſubſtantiam , nunc demum quoad utrumque . Quo plus enim is elatere ſuo naturali deſtitutus eſt, vel tendit ad necroſim , eo magis ſqualLidæ , lugubres, triſtes fiunt repræſentationes , maxime cum fixa & peregrina ſalia illum lacerant, excarnificantur : & ſic peſte V. g. laborantes multas res præſentes in cubiculo ſe videre credunt, & modo vociferantur, modo diſcurrunt , lugent , ſuſpirant, pavent, modo denique tot ſpectrorum in mente obverſatione adacti letho ſe afficiunt deſperati ; item qui lumbricis vexantur ſerpentes quoſdam nigros juxta parietes perreptare putant ; novique interdum pueros a tali germine infeſtatos, qui parentes monebant, aſpicerent ſerpentes illos , quomodo etiam lectulum aſcenderent , eoſque digitulo monſtrabant. A tali quippe vermium in ventriculo inteſtiniſve motatione factis ſenſationibus mens ex hinc anguium ideas concepiſſe nullum dubium extat. Quid multa? exoticum quidquid in corpus intromittitur aut in eo generatum ſanguinem mediate vel immediate afficere aptum eſt, idem exoticas quoque ideas aut ſimulacra obtendere ſolet menti , quorum propterea ratione hæc delirare debet, quemadmodum pluribus jam fuit demonſtratum.

De Vitiis circa Motum Animalem.

Quibus mens obnoxia sit erroribus ex parte intuitivæ facultatis inhærentiæ suæ subjecto, nempe sanguine, labefactato, huc usque perscrutati accedimus nunc ad rimandum eas labes quæ vitio ejusdem organi ei obtingunt, ex parte motivæ. Sunt vero hæ præcipue, Vertigo, Epilepsia, Spasmus & convulsiones particulares, Catoche, Paralysis, Apoplexia, de quibus pro-
I. pterea hic ordine agemus. *P. Honoratus Fabri*, & ex eo Recentiores nonnulli scribunt sedem Vertiginis esse in oculis: quod in iis primum spirituum rotatio contingens reliquorum aliorum sistema absurdo motu per consensum, quasi secundario, afficiat. Contra hanc tamen opinionem pugnant alii obtrudendo experientiam de iis, in quibus oculis sæpe clausis Vertigo causatur, ut in ebriis, itemque in iis, qui nocturno tempore, quo nulla objecta oculis offeruntur, multoque minus spiritus visoriis ab illis curcumgyrari possunt, malo tamen hoc pluries tentantur; imo, quod penitus evertere illorum hypothesin videtur, quia cæci quoque corripiuntur Vertigine, quale exemplum *Wdelius* in M. N. C. D. 1. A. 1. O. 16. de viro quodam litterato per integrum annum illa laborante recenset, concluduntque ex hinc Vertiginis causam proximam non esse spiritus in oculis, sed vel retrocessionem istorum, vel motum eorundem gyratum in oculis æque ac in partibus reliquis. Tametsi unde fiat, ut retrocedant spiritus, aut circumgyrentur, isti etiam tacent, supponuntque id, quod est in quæstione. Quare sedes hujus morbi alibi, quam in oculis, aut in nervis rimanda venit, aliisque ex causis, quam ex spiritibus deducenda: & ideo sedem
II. illam ponimus nos in plexu functionum animalium emporio *per Theor. 7.* causamque agnoscimus rotationem sanguineorum globulorum: quæ an ibidem contingere certis in eventis debeat, ipsa dictat autopsia. Capacioribus quippe in vasis, ubi hinc inde ad eorum latera percutiunt iidem globuli, eorundemque diametrum intersecant, talis rotatio equidem locum non habet; at in minimis, ubi non acervatim, sed seriatim, unus post alium progrediuntur, quis dubitat, quin inter unum & alterum forte

te concesso spatio, qui insequitur globulus susdeque sese vertere, & circumgyrare valeat? Multis jam vero de causis successiva illa globulorum series interpolatur, & primo ex animi pathematibus vehementioribus. Ira præsertim ac Tristitia; dum III. ex ira, quum jam defervere incipit hujus impetus alio motu se habent insequentes globuli, alio vero priores. Hi namque stante impultrice causa præfata ultro jam antecessere; illi, scilicet sequentes segnius procedunt: quamobrem inter hos & illos spatium aliquod intercedere necessario debet. Ex Tristitia vero coarctato sanguine, hujus globuli tam qui appellunt ad plexum, quam qui sunt in plexu lente incedunt, & sic inter eos spatium aliquod est concedendum. Secundo ex constitutione sanguinis serosa, ut in iis, qui catharralibus affectibus sunt obnoxii. Serum quippe globulis interpositum impedit, quominus se se vicissim urgeant, & hinc qui non urgentur in eodem sero sese volvunt. Tertio ex stomachi cruditatibus, utpote quæcum flatuum & viscositatum parentes sint, efficiunt, ne cruenti globuli sese mutuo insequantur. Quarto ex inedia, studiorum abusu & veneris, alvi fluxu, sudore, aut aliis evacuationibus, quoniam ex hinc motus sanguinis divertitur, aut hujus massa minuitur ac defraudatur. Quinto ex morbis malignis imminentibus æque ac præsentibus, ebrietate, doloribus & capitis contusionibus &c. quæcumque in censum causarum Vertiginis remotarum a Practicis refferri solent; quatenus nimirum crasim sanguinis invertendo, motum perturbando, ingredientium quantitatem minuendo &c. id efficiunt, ne illius globuli se tangendo columnas efforment suas in plexu, imo ut alii ab aliis disjuncti liberam obtineant se se gyrandi potestatem. Hoc igitur posito tanquam pro indubitato, quod globuli sanguinis in plexu tanquam in plano se se susdeque volvere valeant, est etiam certum, quod mens percipiens ejusmodi rotationes ex lege unionis, quam possidet cum primario illo suo instrumento non potest non abripi in eosdem vertiginosos motus. Discimus hoc etiam ab externis causis, dum nimirum aspectus & contemplatio rei celeriter motæ, V. g. fluvii rapide fugientis vertiginem ocyssime creat eundo influo; quod si ab extrinseca visione sola mens ita seducitur, quanto magis seduci debet ab intrin-

trinseca, ab obtutu scilicet globulorum sanguineorum se se volutantium in plexu; Idem dic de vertigine ex navigatione, corporis circumgyratione, quando e loco alteri ad subtus posito fit aspectus, quatenus in novissimo hoc casu vel ex metu, vel ex plurium objectorum simultanea repræsentatione & motu mens perturbatur.

IV. Epilepsiæ formalitatem ponunt nostri in convulsione, seu universali nervorum retractione superiora versus, nec immerito, quandoquidem citra hujusmodi contractionem motus ille partium, aut totius corporis involuntarius, seu concussio plus minus violenta cum externorum ac internorum sensuum oppressione conjuncta, in quo consistit epilepsiæ essentia, non contingit: qui tamen fiat, ut tali pacto convellantur nervi, quamcunque in partem sese torqueant, declarare vix sciunt. Communis eorum fert opinio provenire illud a liquoris nervei, h. e. spiritum animalium irregulari commotione, expansione, agitatione per auram malignam, nitrosam vel vitriolaceam explosivam aut congelativam excitata in medullari cerebri appendice & nervorum principio. Sed abrogata spirituum animalium hypothesi non amplius locum habent hæ causales. Eritne igitur fortassis illa aura, quæ tali principio impacta, vel aliunde transportata contractionis ejusmodi causa proxima? Verum ibidem implantata manere nequit sine perenni effectu, seu continua contractione: & quod ejus ascensum, deest cavitas in nervis, quemadmodum non est etiam assignabilis causa impellens talem auram.

V. Sentio ergo potius Epilepsiæ formalitatem consistere in atonia & pertinaci elevatione duræ meningis orta nunc ex prava ipsius conformatione, nunc a sanguinis ad eam appellentis vitiosa constitutione. Ut enim nervosi necnon fibrosi generis parens est (unde & nomen traxit) eadem dura mater; ita quum obtingit, ut sursum fortiter elata in eo statu persistat, totum nervorum systema post se trahere necessario debet; diathesim autem sanguinis crassam, flatulentam aut hicorosam vasorum ejusdem meningis inflationem, & per consequens hujus partis atoniam, sive elevationem fortem procreare posse nullos dubitabit, modo solum adverterit ad spumam, quæ in epileptico paroxismo sese prodit in ore ægro-

rum

rum. Ea namque soboles est sanguinis item spumescentis ideo talis facti, quoniam lympha viscida per cordis ac trunci aortæ systole & compressionem discerpta, globulorum deinde resilitione atque expansione in bullas veluti elevatur eo magis, quo plus aeris illi fuerit admixtum, quo propterea fit, ut turgescens illa, nempe lympha, & ad usque arteriolarum fines promota, in epilepticorum ore postea sub spumæ specie se manifestet. Tumidus jam vero, seu spumosus sanguis per carotides internas in meningem duram impactus non ne istius vascula inflare, totamque substantiam extendere potis est? Dubio sine. Itaque in tali casu vi majore minorem superante auferetur resistentia ex parte fibrarum duræ meningis, motuque reciproco impedito ejus totalis elevatio & per consequens nervorum contractio sequetur. Objicies contra hanc nostram mechanice insultus illos epilepticos qui tormina ventris, colicam, iliacam, hystericam passionem, vermes, uteri gestationem & consimiles alias causas agnoscunt, inferesque ex hinc, quod cum a nervorum intestinalium, aut uterinorum contractione dependeant ejusmodi affectus a duræ meningis depressione, seu contractione versus inferiora augurandi veniunt ii potius quam ab ejusdem elatione: Resp. nullitatem putatitiæ istius nervorum intestinalis atque uterini plexus in caduco ab allatis causis procedente detegi evidenter autopsia, utpote qua constat tales nervos nequaquam recta via cum nervis cerebri communicare, sed post longas ambages & nexus, quibus mediantibus æque cum spinali medulla consentiunt, ac cum cerebro. Quocirca imaginaria est talis causa, & in sanguine potius quærenda, cum appareat hypocondriacorum, hystericorumque convulsiones solutis flatibus cessare; invisoque ego mulierem juvenculam hystericæ ejusmodi epilepsiæ obnoxiam, quæ tum ab ejus insultu liberari solet, quando iidem flatus magno cum strepitu per vaginam erumpere incipiunt. Itaque stat assertum, epilepsiam scilicet oriri a duræ meningis elevatione clonica per crassum spumescentemque aut ichorosum sanguinem inducta: id quod probatur insuper ex eo quod lunæ phasibus auscultet is morbus Lunaticus propterea etiam dictus; Luna quippe crescens atmosphæram aeris præmendo efficit, ut hoc aere inspirato plenius imbutus sanguis magis reddatur elasticus admix- VI.

tamque lympham viscidam potentius verberet atque in spumam vertat, quam senescens: quamobrem & tali tempore cere-
VII. brum inflatur, scabies recrudescit &c. Nec eo secius dicas negari a nobis epilepsiam per consensum, cum hanc potius admittamus non quatenus fit per nervos, sed per vasa; & sic volumus his mediantibus resumi ex partibus humores ichorosos, fixos, malignos, aptos proinde lympham sanguinis alias viscidam conquassare & in bullas cogere, ita ut ex hinc distentis ductibus duræ meningis contumax istius elevatio contingat. En igitur Epilepsiæ causam! de qua fuisse votum *Cratonis* Utinam ante finem vitæ suæ exitum aliquis ostendat! testatur *Hofmannus Com. ad Gal. de Usu* P.n. 597.

VIII. Spasmus & Convulsiones particulares causam agnoscunt inæqualitatem tensionis in solidis contractilibus, ita nempe ut pars violenter distenta trahat ad se non distentam, sicque utriusque stasis destruatur. Tenditur autem pars quæcunque ex impedimento quopiam in principio, medio, aut fine nervorum existente, aut in musculis, eorumve tendinibus aut ligamentis; aut quum denique partium aliqua soluta est. Sic condensato Verb. grat. humore nutritio in parte aliqua trahitur istam versus pars consentiens; & quum illius unitas soluta est trahitur a consentiente. Partes enim corporis sunt inter se æquilibratæ, ad æquilibrii vero destructionem minima in earum aliqua sufficit mutatio additione vel subtractione vis infinite parve facta, ut loquuntur Mechanici: proindeque si ab earum aliqua aliquid demitur, vel si cuipiam aliquid additur, tollitur inter eas partes æqualitas, tantumque in ea ponitur, quantum ab altera demitur. Constat experientia aliquot uncias aquæ funi aspersas ingentia pondera elevare: supponamus itaque imbibi illam ab aliquo nervorum, nonne & hic annexas citimas partes abdu-
IX. cet? siccetur e contra alius, nonne rapietur a magis humido & ponderoso? In Emprosthotono idcirco omnia membra versus anteriora tenduntur, quoniam tertium, quartum, quintum nervorum cervicis, seu colli, par siccatum fuit; in opisthotono e contra, versus posteriora, quia primum, sextum, septimum, octavum idem patitur, aut quia nervi alterutrius partis nimis fuerint humecti: In Tetano demum cuncta rigescunt nervis illis

illis in sua origine exsiccatis, hoc est minus quam par est in mollitie sua naturali constitutis. Siccatio vero hæc nervorum universalis ab æstu ut plurimum febrili occasionatur, quando nempe M. S. phlegmate destituta cerebrum & consequenter initia nervorum eodem sero fraudantur; aut quando lympha tenax & glutinosa ejusdem cerebri appendicibus impacta prohibet nervorum irrigationem. Particu- X.
lares deinde convulsiones, quæ nempe aliquando manus, pedes, collum faciem &c. invadunt: quibus illa quæ faciem occupans os ad utrumque latus distorquet Spasmi cynici appellatione; quæ vero momentanea affectione brachia, crura &c. corripit barbarum Gramphi nomen dudum gerit; earum essentia itidem in tensionis partium sive carnearum sive aliter fibrosarum inæqualitate consistit, qua nempe fit, ut aliæ alias superent, ac tanquam victrices sub jugo quasi suo mittunt. Tenduntur autem magis 1. quæ sanguine magis farciuntur, seu in quibus hic de more circulare nequit, prout accidit in diutinis fluxionibus & articulorum compressionibus. 2. illæ in quibus lympha vel succus nutritius item coacervatur & fixatur, ut ab infrigidatione, Exemp. grat. partium nitrosarum accessio fit, eæ superant oppositas, vincuntur vero si a nimia humiditate fuerint relaxatæ: item distortæ a non distortis abripiuntur &c. & hoc modo contingunt dictæ convulsiones; in quibus maximam quoque partem dicit impeditus sanguinis ad partes influxus ob defectum æquilibrationis & impedito affluxu indefectibilem. 3. quæ vellicantur & per consequens ad contractionem irritantur ex humorum acrimonia V.g. punctione aut contusione &c. Tandem horsum etiam spectat partium Tremor, qui totum quandoque corpus occupat sic ut omnes XI.
partes tremulo motu agitentur; quandoque vero unam aut alteram partem tantum, pedes puta, manus, brachia, vel caput: nec is alium sui auctorem prodit, nisi tamdiu decantatam nervorum atoniam, ut videre est ex causis ejusdem antecedentibus; cujusmodi sunt evacuationes nimiæ, convalescentia ex morbo gravi, hæmorragiæ insignes, veneris abusus, senium &c. similiter & illum patiuntur, qui inclementi frigori corpus exponunt, multa vini copia se onerant, res diversas vehementer metuunt ac timent, terrore

subitaneo concutiuntur, ira inflammantur, fame ac inedia premuntur, catharralibus affectibus obnoxii sunt, sanguinis acrimonia scorbutica, aut ex mercurio aliove veneno oriunda cruciantur. Ex his autem remotis causis cum internis, tum externis æquilibrium tolli posse inter solida & solida, & inter fluida & solida, cujus inæqualitatis ratione tremor sequatur a nemine vertitur in dubium. Quam enim latet exhinc destrui partium æquilibrium succi nutritii, aliorumque humorum convenienti proportione alicubi subtracta, aut alibi addita?

XII. Convulsioni opponitur Paralysis, utpote quæ in partium relaxatione, seu resolutione consistit; dum illa e contra consistit in tensione. Loquor de Paralysi universali, quæ item, ut convulsio universalis, quæ vel Tetanos est, vel Emprosthotonos, vel Opisthotonos, ita vel Paraplegia dicitur, vel Hemiplegia, vel Paralysis cum partis affectæ additione V. g. pedis, linguæ, ani &c. in quo etiam correspondet convulsioni particulari. Erit ergo causa paralyseos causæ convulsionis quoque contraria, videlicet humectatio nimia, seu quasi maceratio nervorum e cerebro egredientium. Et revera in cunctis paralyticis, quorum calvariam secui in Nosocomiis comperi semper crebrum flacidum ex hinc multa pituitæ copia scatens; quemadmodum e converso in iis, qui convulsi obierant adnotavi semper idem cerebrum velut arescens, prout etiam in phræniticis. Novi desuper non ignobile conjugum par Johannis & Barbaræ Campilla nomine, qui septuagenario majores cum essent, altera nempe Barbara, suppresso ante tres menses uberi salivæ sanguine nonnunquam tinctæ effluxu per os, quo hic jam a decem annis derivabatur per Stenonianum ductum in illa satis patulum, paralysi prius, & post pauca apoplexia correpta interiit: alter, nempe Johannes eodem tempore, inque eodem, quo illa, sinistro scilicet latere paralyticus item factus est; sed hic, cum tribus abinde diebus complures tanquam fonticuli non modicam ichorosi seri quantitatem emittentes in scapula & brachio ei oborti fuissent, fatum uxoris evitavit quamvis a paralysi non immunis; maximo argumento dicendi, quod hic morbus a nimio phlegmate nervorum originem relaxante credatur. Pro majori autem aut minori hujusmodi relatione præter mo-

motum magis aut minus defficit etiam sensus. Cum enim sanguis per vias sibi consuetas h. e. per extremas arteriolas adire nequeat sensoria externa resolutis nervis eorumque propaginibus, i. e. fibris, mens advertere non potest ad ea, quæ ibidem transfiguntur & per consequens sentire: vel clarius cum fibræ ita resolutæ non valeant apte percurrere cruentos globulos in tactus organo E. g. hinc est, quod mens eo minime se vertat, percutiatque *per Theor.* 1. Cæterum non est necesse dicere, uti pro differentia quoque in numero & qualitate cum nervorum, tum locorum affectionem nunc omnes quandoque partes sub capite resolutionem sustinent, unde Paraplegia; nunc tantum medietas corporis secundum longitudinem, scilicet a capite ad pedes usque, unde Hemiplegia, nunc denique pars tantum una vel altera, unde Paralysis cum partis affectæ additione, v. g. pedis, linguæ, manus &c. ab Auctoribus nominari solet. Nobis quippe sufficit in hujus morbi causam proximam inquisivisse.

De Catalepsi, seu ut alias vocatur, Catoche, quid dicam XIII. *fere nescio* (sunt verba *Ettmuleri* F. 1. P. 2. c. 7.) *dum ægri instar statuæ in sua positura pertinaces persistunt, impulsi tantum moventur, sed tamen denuo in ista per motum acquisita figura fixi prostant: non dormiunt tales ægri, sed videntur dormire, & tamen moventur; non autem est ab intrinseco, sed tantum extrinseco, ab impulsu instar cujusdam machinæ. Explicet hæc qui potest* (subjungit deinde alibi) *profiteor ego candide, data licet qualicunque spirituum animalium diathesi id negotii ne tentaturum quidem, ad minimum nescire me, quomodo in eo affectu tales spiritus vere sint constituti; aut quodnam speciale vitium sit*. Sane in hypothesi spirituum animalium ut aliqua ad motum & sensum in statu cum naturali tum præternaturali facientia ita more plausibili etiam est hic affectus: secus tamen illam, puta ex nostris principiis, talis explicatio per se fluit. Testatur *Rondeletius* Catalepsim frequentissime a sanguine suos natales ducere argumento sumpto ab historia *Aetii c. 4. serm. 2. tetrabl. 2.* de adolescente, qui magna sanguinis profusione per nares ab ea liberatus est. Ponamus igitur dari in aliquo plethoricum aliquod visci-

scidumque sanguinis temperamentum; si deinde accidat, ut in eo supervenniat aliqua causa figens talem sanguinem nonne membra item rigida remanebunt? Non capis hanc fixationem, quæ
XIV. fit in sanguine citra hominis interitum. Sed in Catocho non est supponendus sanguis adeo congelatus, ut elatere destitutus sit, & consequenter motus reciprocos dare nequeat, in quo casu equidem mors adesset: verum supponi debet nisibus suis in corde & in principio aortæ edendis par; sed qui deinde in remotiores arterias propulsus non tam amplius hinc inde ad istarum parietes resiliat, verum tanquam plumbeus seriatim per columnas incedat glutinoso phlegmate ligatus. In hac igitur hypothesi utique vita superest, motus tamen animalis defficit ob defectum instrumenti, nempe sanguinis tam qui est in plexu, quam qui in articulis, a quorum altero determinationes mentis dependent, ab altero exequutiones. Arteriæ namque spisso sanguine fartæ membris conciliant duntaxat rigiditatem, cujus ratione commota ista, vel impulsa datum conservant situm: non acquirunt præ inaptitudine instrumenti, unde determinantur, nempe ex plexu. Quid? quod ob eandem sanguinis ligaturam, arteriarumque tensionem præter motum deficit in Catocho etiam sensus. Est enim sanguis utriusque instrumentum immediatum, cumque rite tangi nequit a sensilibus, non fit sensus *per Theor.* 1. Nota est historia *Tulpii* de juvene Britanno amori impensius indulgente, qui ex inopinata matrimonii repulsa vehementer adeo perculsus tristitia fuit, ut obriguerit instar stipitis; verum ubi exclamaretur alta voce rem ipsius meliori esse loco & cupitam habiturum amasiam, modo ad se reverteretur, prosiliit confestim ex sedili, & excitatus quasi ex profundiori somno rediit actutum ad se disruptis protinus illis vinculis (sunt illius verba) quibus ipsum arcte illigaverat tenacissima illa catoche. Clamore itaque opus fuit, nempe forti perculsione in auditus organo, ut sanguis ibidem moveri posset; ubi vero motus fuit, mens advertens motum determinavit sese ad præfatam prosilitionem. Cæterum inter causas figentes sanguinem per se crassum, præter Tristitiam & Metum, de quo *Poeta*

Obstu-

Obstupui steteruntque comæ, & vox faucibus bæsit;
Frigidus Arcadiis coit in præcordia sanguis.

quique hujus morbi genuina & ordinaria causa est, adnotantibus hoc *Henrico ab Heer Obs. Med.* 3. *Tulpios Obs. Med. l.* 1. *c.* 22. *Gul. Ballonio Cons. Med. l.* 1. *histor.* 1. &c. annumerari etiam possunt acor salinus in accessione febrium algidarum recurrentium ex observat. *Boneti in Schol. ad Obs.* 1. *sect.* 4. *l.* 1. hydrargyrum assumptum teste *Primorsio de Vulgi Error. l.* 4. *c.* 29. & hujusmodi alia.

Catalepsi contraria, saltem quoad causas esse videtur Ecstasis, quæ nonnunquam accipitur pro mentis abalienatione, aut ejusdem a corpore abstractione veluti ad contemplanda cælestia; interdum etiam pro raptu, quando una cum mente corpus trahitur ad aliquod objectum etiam longe remotum. Mentis alienatio habitum præsupponit, ut in doctis, v. g. mathematicis. Imaginando namque ita assuescunt animo hærere defixi alicui objecto, ut credant sese a sensibus & corpore abductos: in qua sententia fuit E. g. *Cardanus* referens de se ipso, quod quandocunque libuisset, extra se ipsum rapi poterat. Ast animam corpus deserere & ad ipsum postliminio reverti naturaliter loquendo est inverisimile. Obstat namque hujusmodi separationi lex unionis; & præterea absente anima quomodo vita in corpus inspiraretur? Quod si duplex statuatur anima, erit etiam duplex actu primo vita, actu secundo duplex animatum, duo viva, duplex mors. Chymera judice *Scaligero* Ex. 290. Sect. 2. & monstrum, quale referente *Schenkio in Obs. Med. P.* 1. *Obs.* 10. Imperante Theodosio in oppido Cmauspart, qui umbilico tenus integer extabat, supernæ partes geminæ, quarum una cibo & potu aliquando utebatur, altera abstinebat, una vigilabat, altera somno capiebatur, una videbat, altera lacrymabatur, mutuis nonnunquam se plagis cædebant &c. Habitus ergo imaginandi facit Ecstasim cum alias, tum præcipue cum concupitum objectum imaginatur: Insulis in Belgio puerum quendam tam violenta cogitatione ductum esse scribit Delrio, ut flagrante desiderio parentem visendi, XV.

quasi

quasi per extasim raptus eam multis inde milliaribus absentem inviserit, & ad se rediens omnium quæ viderat memor, multa quoque signa præsentiæ suæ apud parentem dederit. Signa vero hæc concepta fuerunt ex reculis maternis animatis in sanguine ejusdem pueri existentibus, de quibus consulantur dicta *loco præsertim de somniis sympatheticis*. Ubi, occasione somniorum, notandum est quod narrat, multisque testimoniis confirmat *La Mothe le Vayer* De le Feure civem Rothomagensem dum interrogaretur in somnis, omnibus linguis responsum dedisse, imo græce & indice: cujus phænomeni ratio a nobis data est, *ubi de Somniis ab objectis extra corpus*, & *de Noctamb.* Majorem hoc in passu admirationem excitant febricitantes aliove morbo mulctati, quorum aliqui visi sunt græce & latine loqui, licet utriusque linguæ ignari ante morbum essent. *Domina de Pille* (ut recenset *Borellus* C. 2. *Obs.* 54.) *Mansi Asilii in Vasconia morbum passa est, perque totum ejus curriculum Hispane optime locuta est, licet illius linguæ ante & postea ignara fuerit; & præterea extasim tantam passa est, ut pro mortua haberetur: cumque remediis revocata fuisset, adversus adstantes indignata non mediocriter fuit, quod a loco miro & delitioso revocata ab iis fuisset: dixit autem inter multa se vidisse senem, qui dixit ei fratrem ejus in bello mortuum esse, patremque in cubiculo remoto psalmum certum legere, cujus verba retulit, hæcque omnia vera fuerunt.* Nos dicimus ex morbo sanguinis diathesi mutata mutari pariter ideas, & exhinc proferri voces antea inusitatas tanquam proprias, quarum tamen memoria ob dictam mutationem non est in promptu: in casu vero Borelliano dicimus morbum illum somno profundo fuisse comitatum; in quo partim ob ejusdem sanguinis mira & amœna visa sunt. Confer tradita *loc. de Somniis ab objectis in corpore:* partim quoniam fratris & patris reliquiæ sensabantur, illius funus, hujus autem actio antedicta menti quo-
XVI. que fuerunt repræsentata. Quod Raptum, posse corpus subsequi mentem aliquo se elevantem ibique hærere volentem, aut in alium locum se tranferre tanto minus dubito, quanto magis persuasus sum in nobis nihil potius esse voluntate Cursorum exemplo, quorum aliquos tanta fuisse pedum velocitate per-

perhibetur, ut pene cervos & venaticos canes cursu æquarint; Romæ etiam sub Cæsaribus inter spectacula populo exhibita productum fuisse hominem, qui per aducosum parietem felis modo reptando scanderet, & qui fabrefactis sibi alis altiuscule a terra avolans per aerem avis modo veheretur, ex recensione *Sabell. l. 10. c. 19.* &c. Ad hunc tamen effectum præstandum præter intensam voluntatem, puta amorem, requiritur etiam habitus, insuperque sanguinis dilatativa dispositio, qualis in D. Philippo Nerio E. g. observata est teste *Andrea Cæsalpino* ipsius contemporaneo, de eoque ista referente *Prax. Med. l. 6. c. 20. Repertum est nuper Romæ in Beato Philippo Sacerdote ex vehementi extasi cor valde amplum, & arteria, quæ ducit ad pulmonem duplo latior naturali, eidem duæ costæ mendosæ in latere sinistro abruptæ* &c. Unde ab expedita hac san- XVII guinis expansilitate sumendam ducimus differentiam, quæ inter causam Ecstasis & causam Catalepseos intercedit.

Sub hac rubrica venit etiam Fascinum, triste illud malum, per quod infantes potentia viri impotentes virium omnino remanent & consilii, sequentibus inde pluribus symptomatibus, quæ & illos ægros reddunt, & nonnunquam in vitæ discrimen abducunt. Communis fert opinio, quod Fascinatio sit mentis liga- XVIII tura; sed potentiam liberam in solius Creatoris sui manu constitutam ligari posse ab alia præsertim ejusdem ordinis creatura, hoc est, quod ego concipere non valeo. Quæres igitur, in quo per me consistat illius essentia? Resp. in motu sanguinis alterato, indeque orta ejusdem discrasia ex metu, admiratione; aliisque pathematibus insolitis violentisque contracta. Globulos quippe sanguinis constringi in timore, dilatari in voluptate, eorumque motum projectitium suspendi in admiratione ex dictis *de Affectibus* conspicuum est. Quidquid horum igitur contingat; manifeste liquet totam S. M. subversum iri quoad motum tam projectitium, quam intestinum: subversis vero atque interruptis sanguineis tanquam columnis ad artus per arterias se extendentibus non ne hi fatiscere ac labascere necessario debent? Est enim sanguis motus animalis æque ac sensus instrumentum immediatum juxta allegata *in Appendice ad Subsect. 3. præcedent.* Insuper turbato sanguinis intestino motu, ejus-

sum, pileumque griseum in capite gerens, solebatque illi bellaria identidem tradere: quadam die domesticis alibi occupatis manu prehensum abducit in conclave omnium remotissimum, collocatque supra mensam quandam ibidem existentem tenendo eum sub utraque axilla rectum in pedes: tum primo os ori admovere cæpit, mox caput hinc inde motare eundem semper blandum ridibundumque intuitum servans, assiduoque proferens verba hæc *o'l bel figliuolo*. Sustinui parumper talismodi importunitatem (ajebat idem nepos charissimus) & mox fastidio an vertigine correctus nescio, in morbum incidi, quem novisti, nec illum hominem postea uspiam vidi. Retulit duntaxat mater amantissima, cum de illo quærerem fixam ejus ideam habens, accessisse eundem ad ipsam clamitando, qualiter mihi male evenisset; properasse idcirco se meque supra dictam tabulam invenisse prostratum supinum ac veluti semivivum. Hæc ille, nec sine solido fundamento suspicandi de fascino; cujus formalitas con- XIX.
sistere debuit in mentis alienatione orta ex importuna & continuata capitis in viro illo nequam motatione, verborumque semper similium assidua repetitione. Hinc namque alias debilis intuitiva & a se motiva potentia ad sensoria evocata & ad motus insolitos provocata dum propriis muniis vacare desinit corpus veluti dereliquit; sequente idcirco sanguinis in motu defectione; cujus effectus fuit humorum in illo eversio e statu naturali &c. Unde liquet in quo consistat pariter Fascinatio a XX.
laudatione: modo namque animus per se impos seu imbecillis suspensus teneatur & quodammodo abstractus, ne vitalibus functionibus sufficienter præsit, motus sanguinis alteratur, & ex hac alteratione motibus quoque reciprocis impeditis animi deliquia, febriculæ, nec non alia symptomata interdum sontica & exitialia præsto sunt. In hoc ergo casu functio animalis imprimis intuitiva læsa fuit, deinde loco-motiva, i. e. a se motiva, & ex utriusque labe denique vitalis, videl. motus sanguinis cum projectitius, tum intestinus. Labefactata fuit potentia sensitiva ob aspectum rei insolitæ; hic autem aspectus animum ab assuetis suis muniis retraxit & coercuit: deinde loco-motiva, quatenus imbecillis anima motionibus illis hinc inde auscultans ab officio movendi successive sanguinem distracta est;

ac tandem propter utramque distractionem accedente molestiæ ac metu sanguis cursu & elatere pristino fuit orbatus: nimirum, quemadmodum ex aspectu undarum sese mutuo propellentium aut reciprocantium vertigine quis corripitur, ita animula dicti pueri ex obtutu hominis caput hinc inde moventis, vocesque easdem ad utramque aurem insusurrantis: queis factum est, ut motus suos naturales evertere debuerit illa, terroreque postea capta sanguinis motum elasticum contrahere, sequentibus hæc statim virium prostratione, animi deliquio, aliisque vitalium functionum læsionibus, quæ prælongo ejusmodi morbo ansam præbuerunt. In reliquis vero casibus dupliciter alienari posse infantium tenellam mentem statuo cum Physicis, oculis videlicet aut laudatione: siquidem utroque modo illa cogitur a suis muniis abstinere; & oculis tamen metus incutitur plerumque, laudatione vero, stupor: quamobrem eo semper res cedit, ut fascinus ab animi pathematibus oriri dicendus sit; quorum occasio quamvis levis, multum tamen negotii animis tenerrimum sanguinem incolentibus facessere potest, & ex hinc hujus stasis & crasis omnino subverti. Et profecto quoties contingit, ut ex improviso aspectu larvæ alicujus, aut spectri febre postea vermibus, aliisque symptomatis corripiuntur infantes, *ut sup.?* quoties vel ex narrato duntaxat inani terriculamento? Verum igitur est, trucem aspectum vetularum posse deformi suo squalore ac tetritudine infantulos fascinare; sed hoc in tantum evenit, in quantum quod iis perterrefactis contrahitur ipsorum sanguis & coarctatur; ex qua postea coarctatione læsis vitabus operationibus morbi erumpunt chronici nonnunquam lethales ratione subversionis humorum, ad quam tenellus sanguis maxime dispositus est ac præparatus. Idem cogita de laudatione, in qua puerilis animus totus veluti ad aures sevocatus hæret attonitus, dumque quid consilii capiat nescit, in voluntariis motibus delinquit fatiscentibus membris. Importuna quippe verborum idem semper sonantium improvidas mentes a reliquis sensibus abalienat, maxime si delectet.

XXII Denique Apoplexia causam agnoscit causæ Epilepsiæ oppositam. Dictum est hujus essentiam consistere in distensione, sive elevatione duræ meningis, quod & ἐπὶ latine *supra* indicare vide-

videtur: dicimus ergo nunc Apoplexiæ essentiam consistere in ejusdem depressione; utpote quam τὸ ἀπὸ latine *ab* similiter denotat: unde etiam favente etymo Apoplexiam in duræ meningis abductione consistere inferri merito potest. Quamvis genuina ratio potius est, quod ex una parte si vulgatis Medicorum opinionibus (ut inquit *Bruno in Lexic. verbo Apoplexia*) insistere velimus, quænam vera hujus affectus causa sit adeo incertum est determinare, ut quo aliquis se velit deflectere reperiatur trabs in omnibus: ex altera vero si apoplexiæ formalitas in dictæ membranæ depressione & atonia ponatur, illius encheiresis nullo negotio elucescit. Laxata namque dura meninge nonne liquet appendices ejus, seu nervos, horumque propagines, nempe fibras corporis humani omnes pariter esse resolvendas; his autem sic resolutis motum animalem una cum sensu concidere ac perire debere ex dictis de Paralysi utcunque notum est. Dices fortasse non posse sequi tantam nervorum resolutionem ex matris illius concidentia, quanta in apoplexia forti potissimum spectatur. Verum non miraberis a tam parvo principio tam ingentem nasci effectum, si advertas corporis nostri partes universas esse inter se æquilibratas, & vel minimam æquilibratarum partium mutationem ipsarum destruere æquilibrium. Quid igitur, si talis mutatio parti omnium principi, fibrarum nempe omnium matri superveniat? Laxatur jam vero illa, & a naturali sua statu dejicitur 1. ex sanguine seroso eandem alluente, aut collectione humoris pituitosi in cerebro. 2. ab extravasatione ex casu ab alto, aut contusione capitis. 3. a fumis metallicis V. g. mercurialibus, aut opio, aut ab alio sulphure narcotico. 4. ex plethora, aut sanguinis coagulatione in vasis ejusdem meningis &c. Inde namque fit, ut nimis emollita, irritata, stupefacta, aut aggravata ista elaterem suum amittat ac fatiscat resolutionem hanc sequentibus deinde nervis eorumque ramificationibus sive fibris ex illa in totum corpus derivatis cum sensus motusque abolitione, de cujus causa conferantur modo dicta *de Paralysi*. Cæterum languor, vehementia, debilitas aut fortitudo apoplexiæ pendet ex majori vel minori laudatæ meningis resolutione, & hæc ex causa magis vel minus

effica-

efficaci: dum resolutio illa, quæ fit per colluviem serosam; major longe est illa, quæ fit ex plethora &c.; quæ ratio est etiam, quod apoplexia affecti nunc prævia aliqua vertigine aut cephalagia, nunc de subito & ex improviso cadant in terram cum omnimoda motus animalis & sensuum læsione, ut consideranti patescit.

De Vitiis circa Somnum & Vigilias.

I. Somnum excessu peccantem quinque distinctis capitibus exhibere solent Practici, quod totidem ejus faciunt species: Prima dicitur Somnolentia, quæ designat inexplebilem dormiendi cupiditatem, quæ nullo modo satiari potest, ut ut de die æque ac noctu profundus capiatur somnus. Secunda vocatur Cataphora, seu Coma somnolentum, quæ est somnolentia nimia cum hac tamen differentia, ut expergefacti ægrotantes a somno delirent febremque patiantur. Tertia Coma vigil, qui est affectus Cataphoræ oppositus. Summa namque ad somnum propensio adest in illo, sed citra omnem fruitionem, quoniam delirium continuum impedimento est. Quarta Veternus, seu Lethargus, qui est somnus adeo profundus, ut vix ullis mediis excitari possit: febris insuper lenta in illo observatur cum delirio oblivioneque omnium rerum. Ultima Carrus appellatur, qui nihil est aliud, gelidæ nisi mortis imago. Quidquid sit de hoc censu, colligitur satis ex eo, & ex praxi excessivum somnum secundum magis & minus differre; & ideo ad hujus gradualitatis causam potius, quam ad nomenclaturam est attendendum.

II. Nimii causa somni est motus sanguinis, cum progressivus, tum intestinus, i. e. elasticus depravatus; hujusque vitii author est colluvies nunc serosa, nunc salina, vel utraque simul. Exhinc etenim illius globuli sive macerati, sive concocti & indurati, aut alia qualitate affecti siquidem eos impetus præstare nequeunt, qui ad projectionem, humorumque divisionem sunt necessarii cum alibi, tum vero præcipue in plexu chorroideo, in causa sunt, ut mens convenienti ad motum instrumen-

III. to privata quieti se dedat. Colluviem serorum esse tamquam somni

omni causam magis remotam sufficienter ostendit somnolentia puerorum & senum: lymphaticam somnolentia hypocondriacorum; salinam somnolentia febricitantium & præsertim coma, lethargus, Carus. Quamobrem non est necesse in affectuum hujusmodi soporosorum causas ulterius inquirere; sed tenendum, quod Somnolentiæ causa sanguis est nimio sero maceratus; causa Cataphoræ sive Comatis somnolenti est idem sanguis serosus, & præterea salsuginosus, utpote cujus salsedinis ratione irritato sanguine fit delirium cum febre; causa Comatis vigilis est sanguis serosus quidem, sed dissolutus, hoc est lympha orbatus, adeo ut ob istius defectum quam citatissima moveatur; causa Veterni est sanguis vel dissolutus, vel coagulatus cum multa elateris destitutione; causa Carri defectus fere totalis ejusdem elasticitatis. IV.

Defectum Somni Græci Agrypniam (quam Latini Pervigilium interpretantur aut Vigilias nimias) nuncuparunt; estque in febribus ardentibus, & intermittentibus æstu ordinarium pene symptoma. Causam tunc agnoscit motum sanguinis paulo insolentiorem salinis stimulis incitatum. E tali namque illius motu cum febrili excandescentia conjuncto nequit animus non similiter in motu esse & quietem repudiare. Secus febres adest Pervigilium, quando acrimonia quædam scorbutica, gallica, aut aliter virulenta sanguinem divexat; quum propterea dolores adsunt, aut prurigines in cute, & cum postremo solicitudinibus, aut aliis pathematibus anima sese macerat. Ubi illud advertendum, quod ut motus sensionesque sanguinis in causa sunt, ut anima se movendo vigilet; ita hæc se movendo (nempe ex affectibus) in causa est, cur sanguis moveatur, & quasi reagendo anima ad vigilandum provocet. Vexato quippe sanguine vexatur mens, quæ illius vexationes percipit; & vicissim vexata mente a propriis objectis sanguis agitatur; & sic ab hac sensione reciproca vigilia redditur in diem contumacior & magis obstinata. V.

Quoad Insomnia nullum æque terribile observatur, atque Incubus, sive Ephialtes Hoc enim vocabulo insignitur rarum VI.
illud somnium, quo qui affecti sunt hominem vel aliud pondus somni tempore incumbere supra corpus, suffocationemque mo-

moliri, nec omni conatu & nisu se liberare ab ista sarcina; nec vocem edere posse sibi imaginantur, licet utrumque vehementer intendant; expergefacti vero tandem hinc inde ostendunt in corpore vestigia digitorum sanguine suffusa, & insigniter de totius corporis defatigatione, & virium ex hac lucta
VII. imbecillitate conquæruntur. Causam hujus somnii non male imputant hodierni Medici fæculento, crasso, & labe aliqua puta scorbutica inquinato sanguini: & si hoc, cur non etiam imputabunt sanguini, aliisque humoribus causam quoque illorum insomniorum, quæ fiunt corpore male affecto, prout nos fieri docuimus *in posteriori Membro præced. Part.* pergentque continuo culpare spiritus animales Phantasiam turbantes &c.? Cur vero talis constitutus sanguis pariat dictum somnium, sive In-
VIII. cubum, non explicant iidem Medici: nos asserimus, quod cum a crassa lymphatica fæculentia fiat ut sanguis minime celeriter pertranseat per vesiculas pulmonales, adeoque is pectus & pulmones aggravet non solum, verum insuper impediatur, quo minus aerem admittat tempore inspirationis, reddaturque elasticus *per Assert.* 5. efficitur, ut mens in somno talem percipiens gravitatem congreget phantasmata rerum aggravantium, & hinc videatur sibi hominem, aut aliam sarcinam pectori superincumbere, seque arcte complecti. Desuper ex nixu, quem aer præstat in pulmonum dilatatione percipit illa species luctæ & conatus ad vendicandum se se a præmente dicta larva, & postremo quod sugillationes & exortas in corpore lividuras, adscribendæ veniunt istæ salibus scorbuticis, aut aliter virulentis & fixis a sanguine in somno maxime coagulato ad cutem per arteriarum finitiones, prout & laudati hodierni Medici sentiunt &c. Quum itaque mens in somno videt illius globulos lympha viscida oppressos fixisque salibus pene transfossos, ideas gravedinis & ponderositatis necessario percipit; utque humanæ species magis ei sunt familiares, ita hominem pectori incumbentem plerumque sibi imaginatur. Mitto, quod nemini enim præterire potest, quod sanguis crassus utpote difficulter pervadens vasorum pulmonalium angustias ideam dicti ponderis augere debet; quodque non tam ex nisu pervadendi, quam ex salium occursu in præfatos globulos lentæ illæ complexuum & lucta-

luctationum facile originantur. Cæterum lassitudo, imbecillitas virium, sugillationes & lividuræ eandem semper arguunt sanguinis discrasiam. An vires expectandæ ubi sanguis in artus membra non irradiant, seu ubi ejus columnæ disjunctæ membra intendere non valent? Nonne salia vitriolica in somno phlegmate soluta partes magis dissitas veluti stigmasisabunt. I ergo nunc, & dic spiritus animales phantasiam turbant Incubum efficere! idem dices, quod aniculæ, quæ hujus somnii dæmonem incusant reum.

SYNTAGMA POSTERIUS.

De Vitiis circa Functiones Naturales & Vitales.

INcipimus a Naturalibus, quas nos Vitales secundarias esse potius appellandas *in cit. Assert.* 5. denuntiavimus; quarumque potissimas læsiones considerabimus in vitiosa cibi appetentia, Nausea & Vomitu, Malo hypocondriaco, Passione hysterica, Uteri furore &c. reliquis, & præcipue, quæ læsam respirationem concernunt, utpote quoad suas causas jam abunde cogniti ab hac familia dimissis. Appetentiæ vitiosæ titulo I.
complectimur Famem defficientem, auctam ac depravatam, quæ fames alias peculiaribus vocabulis effertur, Anorexiæ videlicet Bulimi, Malaciæ & Picæ. Prosternitur appetitus, seu contingit anorexia penes alios 1. ex defectu spirituum, aut ex istorum influxu ad stomachi fibras denegato, quod accidere perhibent in animi pathematibus E. g. in studio nimio, aut tempore gestationis. 2. ex cruditate aliqua pituitosa, nidorosa, aut etiam acida, ut ex crudis & dispepticis alimentis. Secundum II.
nos tamen, qui novimus oriri famem a sensu irritationis in gula & ventriculi orificio superiori facto, mediante succo digestivo e glandulis præsertim œsophagæis in dictam gulam transcolante per certos canaliculos *in Dissert. Anat. Jacop. Verc. Archiat.* indicatos, prosternitur idem appetitus ex defectu in quantitate & qualitate liquidi ejusdem digestivi: in quantitate, ut quando subtrahitur e dictis glandulis constricto sanguine, V. g. in metu, tristitia, aliisque affectibus, per quos mens hæret

circa aliquod objectum; vel ex hæmorragia aliqua; tempore gestationis, materia nempe illa, nempe digestiva aliorsum derivata: in qualitate vero, ut quum nimis aquosus est talis succus in constitutionibus puta phlegmaticis aut hypocondriacis, atque hujus feri porro ratione fiunt etiam cruditates acidæ vel
III. nidorosæ &c. Augetur e contra Fames, fitque Bulimus, quotiescumque idem humor digestivus copia & qualitate crescit. Adeo namque salso-acris, fixus & stimulans interdum evadit, ut ægrotantibus præter inexplebilem cibi appetentiam lipothymiam insimul afferat, si non latranti stomacho statim satisfaciant; utque insuper per vomitum aut secessum copiosissima ingurgitata paulo post ejiciant: id quod manifeste arguit appetentiam hanc non spirituum diathesi qualicunque adscribendam esse, sed liquori certo per œsophagum ad ventriculum & intestina transcolanti, nempe digestivo præfato acrimoniosis moleculis turgido. Harum etenim ratione dum alimentis minime commixtus e gula transit per sinistrum ventriculi orificium, cujus insignis nervis fibrisque mediantibus cum corde consensus est, irritatione facta leipothimiam inducit, unde & appetitus ille nimius Bulimus dicitur; dum vero stomachum afficit, aut intestina,
IV. vomitum creat, unde canina fames &c. Quod Malaciam respicit & Picam, illa est insolitorum, hæc vero appetitus absurdorum: inassueti vocantur cibi haleciiV.g. Ollera quædam, aut fungi; absurdi vero ut calx viva, creta lapides, terra gypsus, gosypium, corium, pisces & cancri vivi, aut (quod sine nausea vix nominare licet) ipsum stercus humanum quod Piccantes appetere nonnunquam sunt comperti. Utriusque morbi causa efficiens sunt dictæ moleculæ, quibus toties laudatus humor scatet, ita in iis morbis comparatæ, ut quando vellicant œsophagi ac ventriculi tunicas, & his mediantibus etiam sanguinem ibidem circulantem efficiant, ut anima ex ejusmodi sensationibus percipiat ideas rerum prædictarum, easque appetat tanquam palato ac stomacho convenientes &c. Dubitas existere in sanguine particulas ita caracterizatas, ut cum a glandulis filtratæ fuerint imprimere valeant sensum ejusmodi insolitarum & absurdarum rerum, & per hunc sensum earum species menti obtrudi, quarum perceptione ista ad tales cibos aucupandos postea feratur:

sed

sed ut notissimum, ita verissimum est illud divini Senis effatum: inesse nimirum sanguini & amarum & salsum, & acidum & dulce, & sexcenta alia omnigenas facultates habentia, copiamque & robur. Nulla igitur esse potest difficultas quin a sanguine suppeditari queant humori digestivo ejusmodi moleculæ aptæ proinde sensum inferre, ex quo anima percipiat ideas halecum, ollerum, fungorum &c. & ex hac perceptione talia in esum concupiscat.

Nauseam & Vomitum solo gradu inter se differre statuunt Auctores; & sic Nauseam definiunt esse molestiam quandam circa ventriculum cum salivæ collectione circa os, & vomendi desiderio: Vomitum vero motum ejusdem ventriculi inversum, ita nempe ut is non e sinistro versus dextrum orificium, sed contrario modo moveatur, & hinc omnia contenta ejus per œsophagum & os rejiciantur. Causam quod concernit, volunt iidem Auctores eam proinde utrique affectui esse communem, hærereque in fibris stomachi & ventriculi, nec de illius quidditate aliud præterea addunt. Quidquid sit de differentia; quod causam, non hærere hanc in dictis fibris ostenditur ex aversione & abominatione quorundam objectorum, pharmaci V. g. aut cibi, aut alterius vomentis &c. itemque ex Ira, corporis circumgyratione, navigatione. Quærenda ergo alibi ista causa; & si nobis integrum est in hoc quoque negotio mentem nostram aperire, præmittam quod certum est, & mechanica ratione confirmatum, solida nempe ac fluida ut in reliquis, ita & in œsophago & in ventriculo esse inter se æquilibrata. Hoc posito, siquidem, ut alibi docuimus, ad æquilibratorum corporum motum sufficit vel minima in alterutro mutatio additione vel subtractione vis infinite parvæ facta, concludendum venit in hoc casu, quod si tale momentum œsophago aut ventriculo addatur vel dematur, motus harum partium reciprocus mutari vel inverti debet. Additur jam vero illud in Ira E. g. quando sanguis magno impetu quoquoversum diditur, item ex ventriculi sarcina, aut aliqua irritatione, demitur autem ex aversione aut abominatione, circumgyratione, navigatione, Ob hoc igitur ipsum, & non ob aliam causam invertitur motus ventriculi in Vomitu (nam quoad nauseam vel paulo mole- V.

ſtior cauſa ad illam ſufficit, irritatio nempe gulæ aut ventriculi a ſucco quodam aliquanto fixiori inducta). Quamobrem ſtat aſſertum, Vomitum nempe, hoc eſt inverſum ventriculi motum a deſtructione æquilibrii, quod inter ejus fibras & humores intercedit, omnino proficiſci.

VI. Concoctionis vitia triplici nomine notantur, & ſunt Apepſia, Brandypepſia, & Dyſpepſia; quæ quid ſignificent in vulgus notum eſt. Cauſas agnoſcunt eaſdem, quas Anorexia; de qua modo locuti fuimus; defectum videlicet humoris digeſtivi in quantitate & qualitate, cujus ratione jam plane nulla contingit chylificatio; jam tarda eſt, & plus temporis conſumit in abſolutione ejus, quam alias requiritur; jam demum aſſumpta non in chylum laudabilem mutantur, ſed corrumpuntur & degenerant in cruditates. Hinc igitur vitia chylificationis partim culpæ dicti liquoris pariter imputanda veniunt, partim etiam vitio bilis & ſucci pancreatici, quorum beneficio chymus depurari, ſive a ſcoriis liberari debet. Inquires hoc loco, cur hic a nobis nulla mentio facta fuerit de Maſticatione & Deglutitione læſis, cum tamen & hæ functiones inter naturales, ſeu (ut nobis placet) inter functiones vitæ ſecundarias jure meritoque ſint collocandæ? Reſp. repetendo quod initio dictum eſt, noſtri penſi non eſſe animadvertere in illas læſiones, quarum cauſæ aliunde, ſcilicet per autopſiam ſunt determinatæ, verum in eas ſolas, quæ ex incertis, V. g. metaphyſicis principiis ſunt deductæ. Quocirca nec intendimus indagare cauſas læſæ protruſionis chyli in vaſa lactea, fæcumque ejuſdem ad anum (unde & iſtarum excretio ſimiliter labefactatur) adeoque præſtabilius fuerit ſermonem devolvere ad Sanguificationem læſam.

VII. Dupliciter lædi poſſe Sanguificationem, ſecundum confectionem & refectionem globulorum rubellorum ex dictis *Aſſert.* 5. ſatis ſuperque innotuit; vitiatur autem, ſive impeditur illorum confectio non aliunde, quam ratione pravitatis chyli ad orbem ſanguinis derivati. Quippe quod ſi viſcidus, ſeroſus, aut ſalinus ſit chylus paucos admodum ſuppeditare valet globulos in ſanguinem effingendos: ac præterea craſſum illud aut ſeroſum phlegma obſtaculo eſſe ſolet, quominus in vaſis exiſtens ad globu-

bularem formam jam concinnata materia ulterius perficiatur, id quod & de chyli falsedine intelligi debet; ut sileam quod ita viscati, diluti, aut a salibus transfixi cruenti globuli dum expansilitate illa carent, quæ requiritur ad cavitates cordis debite ampliandas, in causa sunt, quod cum istæ valide postmodum constringi nequeant in systole, vesciculas chylosas quantumvis per coctionem & convenientem subactionem jam rite præparatas alias in alias inducere non possint usque ad senarium numerum, quot nimirum observantur in unoquoque globulo sanguineo naturaliter absoluto. Quod respicit sanguinis refectionem, læditur hæc tum a præfatis impedimentis, tum quando aer est ita flexilis, i. e. rarefactus, ut elaterem suum præfatis globulis impertiri non queat in inspiratione.

Defectu jam vero convenientis elasticitatis in sanguine vitiatur protinus secunda concotio, quatenus illius globuli ad arteriarum parietes impingendo nequeunt ob talem defectum vivide resilire ac repercutere in humores ipsum sanguinem ingredientes, chylum videl., lympham, serum, saliumque familiam; & ita eorum partes solvere, incidere, attenuare: quæ porro causa est, ut hinc pelliculosa materia minime apte disponantur ad vescicularem formam suscipiendam (quæ nova causa est læsæ sanguificationis) inde vero crudum phlegma, aut tenax lympha, saliaque parum comminuta, nempe fixa, luxurient in M. sanguinis. VIII.

Superfluum nunc est referre qualiter humorum secretio depravetur, quatenus aperte liquet; turgescente in sanguine serosa, lymphatica, aut salina portione offendicula non pauca in arteriarum extremitatibus præsto esse, sive istarum relaxatio consideretur ex parte seri; sive obstructio ex parte lymphæ aut molecularum terrearum, tartarearum, aut aliter salinarum, sive tandem utraque simul. Quamobrem non est expectanda exinde legitima secretio, aut excretio, in membris atque in partibus alibilibus, neque item in receptaculis, aut humorum emunctoriis, sed vel defficiens, vel exuberans quoad fluida etiam dictis locis minime competentia. IX.

Sed dictum est modo vitiari secundam concoctionem defectu motus sanguinis intestini, h. e. elastici, addimus nunc vitia-

X. tiari pariter eandem ratione motus istius projectitii. Turbari namque sanguinem in suo progressivo motu, & consequenter alterari talem coctionem vel ipsæ testantur animi commotiones. In Ira E. g. idem magno impetu urgetur, documentum hujus impetus exhibentibus hæmorragiis, quæ ob eam sæpe erumpunt ex ore, labiis, utero, naribus quoque & oculis aliisque inassuetis locis prout *Camerarius in Sylloge Memorabil. Med.* C. 10. *Pechlinus Obs. Med. l.* 1. p. 404. aliique adnotarunt: idem evenit insuper ex Amore, Gaudio, cæterisque pathematibus, in quibus anima prosequitur objectum.. Etenim liquet imprimis ex *Borelli Observat.* 93. C. 1. ingentia vulnera ad 38. diem feliciter deducta ob amasiæ præsentiam recruduisse; dum *visa puella* (inquit) *vulnerati adolescentis sanguis amore fervens antiquas vulnerum vias quærens magnas produxit hæmorragias; quibus is paulo post obiit*. E contra in Timore, Mestitia, aliisque effectibus contractivis reprimitur idem projectitius motus: unde *Cartes: In metu*, inquit, *sanguis coagulatur & in strias abit circa cor, quæ ipsum coarctant, & suam communicant frigiditatem reliquo corpori*, ut colligitur ex genarum pallore, pulsus debilitate ac parvitate, mensium suppressione aliisque symptomatibus subjecta hujusmodi passionum infestantibus. Non est igitur dubium, quin sanguis utroque modo, extensive scilicet ac contractive agatur in animi commotionibus: id quod præterea disci potest tam ex mortuis ex affectibus, quam ex iis, qui affectum contrariorum ope vel ab extremis morbis fuere liberati. Turbato jam vero tali progressivo motu, nonne & concoctio, & humorum secretio alterari debet?

XI. Effectus labefactatæ concoctionis, & per consequens secretionis, aut excretionis humorum sunt Plethora, & Cachexia: illa ex lymphæ, ista provenit ex seri copia; & rursus illa eatenus impedit secretiones, quatenus turgescente lympha coarctantur & contrahuntur vasorum capillaria; Cachexia vero, quatenus alia relaxando constringit alia juxta legem corporum æquilibratorum; *Quantum in uno demitur, tantum in altero ponitur, & e converso*. Non turget propterea sanguis, i. e. istius globuli, in Plethora, sed lympha, & hæc lympha per actionem eorundem globu-

globulorum in tali casu fortasse nimis elasticorum exaltatur.
Reduntur ii magis elastici ex atmosphœræ compressione, ut in
noviluniis; aut ex aere imbuendo sanguini magis accommoda-
to. Hinc quid de mulierum fluxus menstrui causa censendum
sit vide sis *Listerum de Humor. c. 45. in Schol.* Quemadmo-
dum nempe lympha a corporis nutritione superstes & in testi-
bus accumulata viris dat semen, si eadem coacervata in arte-
riarum extremitatibus, quæ ducunt ad uterum & vaginam sup-
peditant menstrua tunc plane erumpentia, quando sanguinis au-
getur motus vel intestinus vel projectitius, cujus vi ampliatis
illarum orificiis una cum eadem lympha, aut chylosa materia
ipse etiam sanguis qua data porta profluit; documentum hoc
præbentibus vetulis, in quibus cum defficit eadem chylosa ma-
teria, pro rubris alba menstrua plorant &c. Quod Cachexiam,
non solum phlegmatica hæc est, verum & salina; unde &
icterica & scorbutica, aliisque nominibus mulctatur pro diver-
sitate salium exuberantium in M. S. nonnunquam etiam cum
lympha in Plethoris conjungi solent.

Salium tamen excessus in utraque hac præternaturali sangui-
nis constitutione generant febrem. Quid sit Febris nondum li-
quido compertum est. Posuerunt Veteres ejus essentiam in ca-
lore preternaturali in corde accenso; Recentiores vero in motu
præternaturali spirituum jam a peripheria ad centrum, jam a
centro ad peripheriam concitato. Nos vero cum *Wilisio* col- XII.
locamus febris naturam in motu sanguinis inordinato, videl.
nunc acuto, nunc imminuto & a statu naturali remoto. Au-
geri namque eum motum in febribus docent continuæ & ca-
lidæ; minui vero febres algidæ hypocondriacæ, catharrales. Di-
ces in omni febre calorem observari & pulsus celeritatem; er-
go motum sanguinis imminutum non esse de febris assentia.
Sed contra est, quia febres omnes algidæ, quæ calidas præce-
dunt in intermittentibus, & leipyria in continuis calore va-
cant; celeritas autem pulsus complurimis individuis etiam mi-
nime febrientibus familiaris est, ut mulieribus & infantibus.
Quaproter nec in colore, nec in celeri pulsu consistit febris
essentia, nec uterque hujus signum patognomonicum esse potest:
proindeque nec militat contra nostram assertionem de motu
sangui-

sanguinis imminuto, qui & ex pulsus tarditate aut parvitate
XIII. in dictis febribus algidis &c. adnotari potest. Causam utriusque, i. e. tam aucti, quam imminuti motus in Sanguine proposuimus salium copiam. Utut enim aer, cibus & potus & reliqua non naturalia, imprimis vero animi pathemata (unde manavit quoque in vulgus *Ambrosii* illud *Febris nostra luxuria est, febris nostra libido est &c.*) dictum motum augere & minuere valeant, continentes tamen causæ non sunt hujus vel auctionis, vel diminutionis secus ac salia, i. e. crassæ quælibet ac fixæ moleculæ in sanguine luxuriantes. Augent jam vero hæ talem motum, quatenus a subsequentibus globulis percussæ antecedentes repercutiunt, sicque in eos impingunt, ut eorum motum reddant priori longe majorem. Elasticorum quippe corporum velocitates compressione quavis multiplicantur, ut ex bombardis aereis, arcubus, lacrymis vitreis, terræmotibus & aliis infinitis phœnomenis colligi potest, in quibus aer angustiis compressus ad tam veloces incitatur tremulationes, ut ingentium ponderum vires superare possit. Sic & aqua in syphone epistomio compressā motum acquirit &c. Quamobrem cum & arteriæ conicæ sint figuræ, si a vi quantumvis parva in iis præmantur dicti globuli, nequeunt non suscipere impetum antecedente duplo majorem. Ex alia parte minuitur idem motus, quando crassa quadam amurca vincti sunt ac detenti laudati globuli, ut in febribus algidis; vel quando nimio sero innatant, ut in catharralibus, vel quum elatere debito sunt destituti, ut in hypocondriacis. Quæres cur in febribus E. g. catharralibus quamvis parvus, pulsus sit tamen creber? Resp. quia adest quidem in illis impetus sanguinem percellens ex parte seri cujusdam salsi; verum quod hujus ratione insuper orbetur elaterismo convenienti sit ne validas resilitiones is exhibere valeat cum in corde, tum in arteriis: ex hoc igitur parvitas, ex illo provenit pulsus celeritas.

XIV. At enim vero cum de Pulsibus sermo est de ipsorum scil. differentiis & mutationibus, harum causa pendet unice ab inæqualitate virium in potentiis sibi invicem contranitentibus, sanguine videl. & fibris in aortæ trunco, prout ex dictis *Assert.* 4. colligi potest. Quotiescumque namque augetur nisus, aut minuitur

nuitur ex parte sanguinis, vel crescit aut deficit resistentia ex parte fibrarum, in tali casu motus arteriarum reciprocus, qui pulsus est, alterari debet, axiomate videlicet existente hoc mechanicorum, quod *si a potentiarum æqualibus momentis in oppositas partes sibi contranitentium alterutra aliquid demitur, reliqua sunt inæqualia; quodque quantum ab harum una demitur, tantum in altera ponitur*. Ut igitur ad pulsus æqualitatem exigitur, ut sanguinis & fibrarum vires & resistentiæ sint inter se reciproce proportionales, ita ablata hujusmodi proportione debet adesse illius inæqualitas, alteratio sive mutatio. Tollitur jam vero talis proportio in statu naturali a rebus non naturalibus, quotquot sanguinis motum projectitium pariter atque intestinum augere vel minuere valent; ab aere nimirum, cibo & potu, necnon præcipue ab animi pathematibus, id quod probatione non eget: in statu vero præternaturali ab affectionibus non tam sanguinis, quam fibrarum, ut si nervi cum arteriis consentientes convulsi sint, aut paralysi vexati, sive resoluti; in priori quippe casu major est resistentia ex parte arteriarum, quam quæ requiritur ad sanguinis vires repellendas, in posteriori vero minor. Et sic quod in totum dixerim, variat pulsus in statu naturali æque ac præternaturali ratione sanguinis in motu cum circulari, tum elastico, substantia vel qualitate mutati; necnon ratione fibrarum ita, ut novimus vel contractarum, vel resolutarum; aut denique ex labe utriusque potentiæ. Quarum profecto læsionem quoniam pulsus est tanquam signum, de istius præterea differentiis & speciebus opportunior fortasse in Semioticis erit discurrendi locus.

Devenimus nunc ergo demum ad vitia motus machinæ vitalis; inter quæ primum sese offerunt Tremor & Palpitatio, XV.
quorum quidditatem suppono ex sensu manifestam. Causa est eadem cum modo adducta de pulsus varietate; disproportio scil. quæ recurrit inter nisum & renisum potentiarum sibi invicem in corde contranitentium: ita ut quemadmodum arteriarum, sic per talem disproportionem vitietur cordis motus; utque hoc vitium in arteriis magnitudo, aut parvitas, durities aut mollities &c. est; sic in corde Tremor aut Palpitatio dicitur. A diversitate propterea momentorum, quæ utrique dictæ poten-

 tiæ,

tiæ, solidæ & liquidæ accedunt, provenit motus cordis magis aut minus tremulus; cumque ex parte sanguinis vehementia sunt ejusmodi momenta, in tali casu adaucta diastole Palpitatio sequitur. Sed quod ponitur de præfata disproportione in genere haud ita intelligendum est, quasi in omnibus cordis cavitatibus admitti debeat eadem in Tremore & Palpitatione ipsiusmet cordis. Etenim in tali hypothesi quamvis fortia vel debilia essent virium momenta in potentiis contranitentibus, non tamen sequeretur tremor aut palpitatio: verum ita concipiendum est, ut in una cavitate, dextræ auriculæ E. g. sanguis suum fortiter explicet elaterem, in altera, puta ventriculi ejusdem lateris, debiliter, vel e contrario. Hoc enim posito facile dispalecit, quod cum non detur æqualitas inter motum & motum, inter motum auriculæ & ventriculi, aut viceversa, aufertur æquilibrium, & per consequens stasis naturalis totius machinæ, unde istius tremor aut palpitatio. Hinc quoties & quandocunque in aliqua dictarum cavitatum existunt vermes E. g. flatus, polypi, aut carunculæ, evenire solent dicti affectus, in quantum quod impedita ibidem sanguinis explosione, aut fibrarum proportionali resistentia contingere necessario debet inæqualitas inter pulsationem unius & pulsationem alterius cavitatis, & sic tremorem cordis palpitationemve supervenire juxta mechanica principia supra dessignata. Quo proinde revocandum est quidquid affertur de causis eorundem affectuum occasionalibus, Plethora Exemp. grat. mensium suppressione, Aqua pericardii, vasorum Abscessu, Spasmo & convulsione cardiacorum nervorum, & præprimis animi Passionibus: quippe quod, si harum effectus debite expendantur, eo res redigetur, ut appareat ideo tales effectus inde subsequi, quoniam tollitur proportio, quæ intercedere debet inter diastole & systole singularum cordis cavitatum. Exemplo ut res reddatur evidentior; propono iterum Palpitationem, quam nos diximus a sanguinis vehementia seu forti ex-
XVI. pansione provenire. Ajunt igitur Pathologi affectus hujuscemodi causam prætendi non posse aliam, nisi sanguinem congrumatum, cujus ratione spiritus in irregulares motus acti reddunt illum atonum cordis motum: Ego vero missa tali exceptione autumo non esse

esse spiritus efficientem causam ejus motus, sed quia cruoris grumis per systole unius cavitatis exsolutis cruenti globuli sui juris facti resiliunt deinde magis in altera cavitate, istiusque pulsationem idcirco faciunt vehementiorem. Ex quo conjicitur palpitationem cordis esse ventriculorum propriam 1. quia in his major contingit diastole, quam in auriculis & in principio arteriæ pulmonalis. 2. quia auricularum constrictio sufficit ad asserendum dictos globulos in libertatem, hoc est ad vincula illa lymphatica quibus ii coercebantur dissolvenda. Quicquid nihilominus horum sit manifeste liquet, uti dilatationum & constrictionum inæqualitas in unaqualibet cavitate cordis & appendicum ejus est causa proxima Tremoris, ita paulo vehementior diastole ventriculorum est causa proxima Palpitationis. XVII.

Motus item cordis depravati soboles sunt morbi illi omnium facile principes, Lipothymia seu Leipopsychia, vel animi deliquium, & Syncope, quos tamen Medici hodieque ad unum omnes in sensuum & motus organis constabilire, horumque proprios esse affectus asserere non verentur. Sed si motus cordis vera causa adhucdum ipsos latuit, quid mirum obscura iis quoque sit morbosarum hujusmodi affectionum, ut & aliarum plurium, prout hactenus adnotatum fuit, Æthiologia? Quo magis vero pateat sedem talium affectionum esse cor, sufficiat animadvertere in illarum phases: dum animo linquentes pariter ac syncoptizantes nunc plane ex improviso, nunc prævio quodam dolore aut levi saltem sensu molesto omni motu, sensibus externis æque ac internis destituti videntur, facie pallente, membris omnibus rigidis, algidis, sudoreque frigido madescentibus. Profecto hisce consideratis, ni ad sanguinem instrumentum vitæ primarium eæ labes referantur, nescio cui authori imputari debeant. Nam quod dicitur de spirituum retrocessione, aut defectu tam ineptum est, quam quod maxime. Unde namque evocatio illorum a partibus, aut inopia in gaudio, amore, odore rerum gratarum, consimilibusque aliis lipothymiæ causis occasionalibus? Præterea si cor vitæ fons, & vita in syncope periclitatur, cur dicendum erit hunc affectum hærere in nervis? Sedes itaque lipothymiæ Cor, majusque aut XVIII.

minus animi est deliquium prout magis aut minus defficit illius motus. Quare leipopsychia dicta, eclysis, sincope non sunt animi, sed motus cordis deliquia. Delinquit vero aut defficit is motus, prout alterutra, vel utraque potentia caret viribus necessariis ad illum exercendum, ut quando sanguis in quantitate, motu, aut qualitate peccat, aut quum fibræ ad reni-
XIX. tendum non sunt proportionatæ. Sic a V. sectione aut alia hæmorragia larga, inedia, sudore nimio, hypercatharsi, venere immoderata contingit animi deliquium propter sanguinis a corde aliorsum subtractionem; a plethora propter ejus copiam superantem orificiorum resistentiam; a metu ac terrore propter ejusdem sanguinis constrictionem, seu defectum sufficientis elateris; ab amore & gaudio propter nimiam expansionem, cujus ratione fibræ a stasi sua nimium dimoventur; ab odore suaveolentium rerum ob congenitam aversionem, qua sanguis contrahitur &c. Porro autem defficiente cordis motu (qui defectus concipiendus est de pulsationibus, quæ fiunt in singulis cavitatibus, alias non esset deliquium, sed palpitatio aut tremor) defficit quoque in arteriis aorta & pulmonali reciprocus idem motus; quamobrem in iis affectibus pulsus saltem vestigia, respirationisque reliquiæ supersunt: & quia in aortæ propaginibus sanguis non urgetur, labascum membra, vires concidunt, resolvunturque illarum extremitates, per quas adeo serum effluit sudoris nomine frigidi quidem ob defectum caloris, sive motus ejusdem sanguinis intestini. Quid multa? juxta cum cordis motu defficit & vita, crescit agonia; eoque penitus ablato denique mors est &c.

Syncope ut modo dictum fuit est totalis vitæ eclypsis, quando in machina vitali omnis cessat motus, hoc est quando aut sanguis niti, aut fibræ reniti ulterius nequeunt ad motum cavitatum cordis reciprocum continuandum. Est ergo syncope stricte sumpta Mors, & mors est totalis cessatio motuum, qui in corde fiunt & quorum exercitio vita constat. Quod igitur de privatione vitæ, in qua mortem consistere docent Physici, de privatione, sive abolitione motuum in corde intelligendum est. Vivit enim homo, quandiu movetur cor, & cum hoc moveri desinit, homo moritur. Non est tamen ultimum moriens cor, sed sanguis, quemadmo-
dum

dum & primum vivens sanguis est *ex cit. loc.* siquidem licet a corve projici amplius non possit sanguis motu adhuc impresso, nihilominus adhuc aliquatenus perseverat: & sic solutio animæ non est ex corde, sed ex sanguine, quando elatere suo naturali functus est. Docent item illi mortem, quamvis ratione sui nonnisi una sit, triplicem tamen esse ratione causarum, naturalem scilicet, præternaturalem, & violentam; vel duplicem, prout nempe principium illius vel internum est, vel externum, appellantque alteram naturalem, alteram violentam. Missa posteriori, quæ mille modis contingere potest, igne, gladio, mersione, suffocatione, laqueo, cæsim, punctim, fame, siti &c.; quod concernit naturalem, volunt iidem Physici oriri hanc a naturali, vel præternaturali humidi resolutione; seu, ut quidam ajunt ex depravatione, aut omnimoda destructione mutuæ ac proportionatæ habitudinis partium spirituosarum, humidarum ac solidarum ad se invicem. Sed hi termini utpote nimis generales nihil concludunt, nec rem designant. Propius itaque hanc attingemus ponendo, ut supra, causam mortis in totali motus cordis destructione orta ex omnimoda jactura elaterismi vel sanguinis, vel fibrarum vel utriusque simul; & quod quæ paulatim fit abolitio talis, naturalis dici mereatur senili ætati duntaxat concessa: aliter vero, præternaturalis. Quod naturalem: cum omnes in corpore nostro materia in perpetuo violento motu sit (est enim a se immobilis *per def. vid.*) & motus violentus non sit diuturnus, sequitur, ut tota viventium vita nonnisi iter ad mortem sit, hoc est ut quod movetur ita per motum exsolvatur, ut ad extremum concidat, unaque simul ejus motus pereat ac fatiscat: dicam planius, ut sanguis & fibræ ita indurentur, ut illæ expansioni, istæ constrictioni cavitatum cordis impares evadant, & sic itus reditusque ipsarum, seu reciprocus cordis motus intereat. Quod mortem præternaturalem, aufertur sanguinis elaterismus per vehementem ejus constrictionem, solutamve unitatem; prius accidit ex affectibus constrictivis, & congelatione facta per particulas venenosas fixantes ac necrosim inducentes; posterius per salia corrodentia acria & realgaria: aufertur vero fibrarum elasticitas ex vehementi sanguinis impulsione, plenitudine, aut ipsarum reso-

resolutione. De Syncope & morte ex metu ac terrore inducta tot extant exempla, ut supervacaneum pene ducamus actum agere, & lignum in sylvam portare. Videsis eadem apud *Gabelchoverum Cur. Med.* C. 5. *Cur.* 75. *Thomam Bartholin. Hist. Anat. rar.* C. 4. *hist.* 76. *Sigonium l.* 16. *Imp. occid. Benivenium de abdit. morbor. & sanat. causs. c.* 63. *Horat. Augenium Tom.* 1. *Consil. & Epist. l.* 9. *ep.* 2. *Camerarium in Syllog. mirabil. Med.* C. 10. O. 43. C. 13. O. 44. M. N. C. A. 3. D. 3. O. 29. A. 1. D. 3. O. 22. *Pechlinum Obs. Phys. Med.* O. 21. *seqq.* ex Tristitia vero innumeros alios vita functos fuisse testantur *Val. Maximus l.* 9. *c.* 13. *Raphael Volaterranus l.* 23. *Anthropol. Bonfinius l.* 4. *Dec.* 2. *Fulgosus l.* 6. *c.* 12. *Heferus in Hercul. Med. l.* 2. *c.* 1. *Honorius ab Heer Obs. rar. l.* 6. *Bartholinus c.* 11. *Epist.* 83. aliique innumeri. Metum ac Tristitiam cruentos globulos comprimere eorumque motum coercere toties probatum fuit, ut citare loca tædium pariat: nihilominus si præter allegatas rationes experientiam poscis, refert D. *Panchot. Zodiac.Gall.*A.3.*p.*38. Virum 62. annorum domesticos in auxilium uxoris quæ apoplectica conciderat convocantem illico præ mærore & dolore objisse: aperto autem cadavere inventos fuisse pulmones lividos, illorum vasa admodum turgida, cor sanguinis copia adeo insigni distentum, ut nequaquam flacidum inventum sit, sicuti in illis, quos alia quæpiam causa extinxit; imo addit observatum fuisse cruorem, quem ventriculus dexter continebat fere omnino concretum. Narrat item *Frambesarius* de milite subito post longum mærorem mortuo; in cujus vasis præter ingentem seri copiam sanguis admodum fœculentus subsidere videbatur, & in pericardio non aqua modo, sed & copiosus sanguis concretus inventus est &c. Ex concreto igitur, & per consequens elatere ac motu suo privato sanguine Syncope & Mors oritur in præfatis affectibus: & quod particulæ venenosæ acidæ, seu pelliculas vesicularum ejusdem sanguinis fixantes ac veluti mortificantes in morsibus quorundam animalium venenatorum, viperæ E. g. aut tarantulæ, in morbis item scorbuticis, lue venerea, passione hypocondriaca &c. eandem syncope, sive præternaturalem mortem inferant tam certum est, quam quod certissimum. Idem dic de resolventibus, sive corro-

rodentibus salibus tam assumtis, quam in corpore generatis: Horum quippe vi sublato sanguinis elaterismo expansiva quoque cordis actio auferatur necesse est. Vincitur deinde fibrarum resistentia, & hinc sufflaminatur cordis motus, i. e. syncope inducitur ex sanguinis nimis impulsivo aut expansivo motu, Ira scilicet & Lætitia. Exempla mortuorum ex Ira habentur in *Blondi lid.* 10. *Dec.* 2. *Sigonii lib.* 7. *Imp. occid. Cuspiniani de Cæsar. Eneæ Sylvii c.* 37. *Cromeri l.* 18. *Joh. Dubrau l.* 2. *Hist. Boem. Thom. Bartholini Act. Med. & Phil. Haf. p.* 8. *Camerarii Sylog. memorab. Med. C.* 10. *hist.* 52. *Caspar a Reies Elys. juc. quæst. campis qu.* 50. *Cardani Consil. pro Cardinal. Morono*, *Valeriolæ l.* 5. *de sympt. cap.* 5. *Horstii l.* 3. *Metr. Microcosm. c.* 3. *Lycosthenis l.* 14. Eorum autem qui ex Lætitia perierunt exempla afferunt *Loticbius in Consil. & Obser. med. l.* 3. *c.* 4. *O.* 1. *Pecblinus Obs. Phys. Med. l.* 3. M. N. C. A. 8. D. 2. O. 176. A. 9. D. 2. O. 22. & instar omnium *Zvvingerus in Theatr. Vit. human. l.* 7. qui summo studio tam illos, quos aliquo temporis tractu mors fuit insecuta, quam eosdem, qui ob gaudium extemplo spiritum ultimum effuderunt, coacervavit. Quorsum etiam referendi sunt illi, quibus risus pari ratione nocivus fuit testibus *Valer. Max. l.* 9. *c.* 12. *Plinio l.* 35. *c.* 9. *Rhodigino l.* 4. *c.* 18. *Jouberto l.* 1. *de Risu c.* 11. *Koruman. de mirac. vivor. p.* 88. *Bartholino Cont. Anatom. q.* 5. *de Capite*, *Erasmo Francisc. part.* 1. M. N. C. D. 2. A. 8. item Amor, ut narrant *Schenkius l.* 1. *Obs. Zailerus p.* 919. ut cæteros silentii peplo brevitati litantes involvamus. Dubitassem jam vero, an in his casibus sanguis cum impetu in Ira, cum expansione in Lætitia, Risu, & Amore compulsus extitisset causa ejus mortis proxima; nisi ulterius me in affirmativa sententia confirmasset sectio cadaverum illorum, qui sic affecti occubuerunt, ut nuper etiam in Nobiliss. Viro, qui æstivo tempore inter bibendum thermales aquas ira vehementissima correptus fatis cessit. In eo quippe cavæ truncus cordisque cavitates sanguine, omnino depletæ inventæ sunt: & præterea narrat item *Simeon Aloysius Jodocius* M. N. C. A. 9. O. 125. in honesta Matrona ob effusiorem risum subito extincta observasse semet cordis

ventri-

ventriculos modicum sanguinis continuisse, venam vero cavam supra cor ascendentem cum principio venæ asygos nigro & concreto sanguine refertam in longitudinem unius pedis geometrici. Quod deinde attinet plethoram, si hæc profecto talis ac tanta sit, ut in ea lympha globulos tenaciter involvens superari nequeat imprimis a dextræ auriculæ constrictione, certum est, quod sanguis postmodum majori quam par est copia irruens in ventriculum ejusdem lateris hujus systole, & per consequens totius cordis motum tandem auferet: non ita, si lympha in ea qualitate & quantitate non peccet. Ac demum respectu contractionis aut paralyseos, sive resolutionis fibrarum ejusdem cordis confer. modo dicta. Equidem in mechanico illo motu quo major inter potentias æqualibus momentis in oppositas partes sibi contranitentes intercedet inæqualitas, eo magis idem motus labefactabitur. Cæterum extrema illa mala, suffocatio & Apoplexia eatenus lethalia censenda sunt, quatenus motum cordis auferunt & syncope inducunt, ut consideranti patescit.

COROLLARIUM.

Hinc colligitur læsiones omnes, quæ functionibus animalibus vitalibusque contingunt, sanguini puro puto, sed ab ingredientibus cum naturalibus tum præternaturalibus vitiato deberi: quandocunque scil. illius globuli præ istorum miscella detrimentum aliquod perferre coguntur in substantia, vel in motu: in substantia, ut quando titillantur, vellicantur, aut deglabrantur iidem globuli: in motu, ut quum hic sive projectitius sit, sive elasticus, aut intestinus vel minuitur, vel augetur. Inde quippe sensu labefactato animales actus, qui ex hoc initium sumunt *per Parad.* 1. commutantur, seu læduntur; hinc vero motibus reciprocis pariformiter alteratis, vitalia munia invertantur itidem necessum est. Objicis contra posteriorem hanc causalem patere exemplo eorum, qui pereunt ex affectibus, quod hujusmodi internecionum causa a sanguine in motu peccante non est derivanda. Quid enim animi pathematibus esse potest commune cum motu E. g. cordis? At respon-

tio sæpe alibi data jam est, subjectum scil. inhæsionis animæ proximum esse sanguinem; & *in Append. ad subsect.* 3. ostensum fuit istrumentum hoc, nempe sanguinem sequi animi commotiones. Ut ergo mens in suis affectionibus ad, vel ab objecto extensive, contractive, expansive, constrictive mixte, & quidem in gradu nunc intenso, nunc remisse se movet, ita & sanguinem quoque movet, documentum hujus rei non vile præbentibus præter oculorum splendorem genarumque ruborem in Ira, Amore, Gaudio, & e converso illorum obnubilationem, vultusque pallorem in Metu, Tristitia, Pœnitentia, quod spectatum sit ingentia vulnera jam fere ad cicatricem perducta ob amasiæ præsentiam ita recruduisse, ut secutis enormibus hæmorragiis vulneratos letho dederint, teste *Borello C.* I. *Obs.* 93. sanguinem desuper in Ira ex ore, naribus, labiis, utero, cæterisque corporis partibus rapidissime effluxisse. Confer. *Camerarius Sylloge Memorab. Med.* C. 10. *Pechlinus Obs. Med.* M. *l.* 3. *p.* 458. *Hildanus* C. I. *Obs.* 18. &c. Ex quibus aliisque multis proclive est colligere, quod motu sanguinis projectitio, vel elastico in affectibus turbato vitales motus pariter vitiari debent: proindeque haud mirum putandum esse, quod per alterutrum hujusmodi motum inter sanguinem & fibras proportione sublata motus cordis & arteriarum fatiscat nonnunquam in validioribus passionibus, pereatque. Etenim vi majori minorem superante aufertur nitendi aut renitendi potentia; I. & sic nisu ex parte sanguinis, aut renisu ex parte fibrarum cordis aut arteriarum ablato demitur reciprocus istarum partium motus, in quo vita consistit. Quod si ex alia parte dum vincit, aut vincitur sanguis, motus animi interveniat, per quem aut vis prædominans cohibeatur, aut imminuta resarciatur, in tali casu differentia æqualitatis potentiis inæqualibus iterum addita, & pristina iterum redeunte æqualitate motus vitales sive reciproci resarciuntur, læsæque ejusdem vitæ functiones redintegrantur. Medicam hanc animi pathematum vim pluribus observare est: narrat *Pechlinus l.* 3. *Obs.* 26. *& alibi* subitaneo gaudio deprehensos a podagra actu cruciante fuisse dimissos; risum etiam lethalium dolorum & symptomatum oblivionem induxisse, adnotante hoc *Chronic. Spiren.* item ex eo melancho-

liam fuisse abactam ut refertur in *Ephemer. Germ.* D. 2. A. 1. O. 4. abscessum cerebri disruptum, *Bininger. l.* 3. *Obs.* 47. pulmonum vomicam ex anthlatam, ut & pus in thoracis cavitate contentum juxta citat. *Pechlinum* &c. Unde oppido conjiciendum venit quantum valeant animi commotiones ad san-
II. guinis crasim præparandam non solum, verum & ad mortem inducendam nonnunquam, interdum quoque ad vitam, h. e. ad motus reciprocos labefactatos in statum pristinum restituendos. Quod ut adhuc clarius pateat, cape sis exemplum a malo hypocondriaco E. g. passione hysterica, aut uteri furore. In primo, seclusa hypothesi, quod id errorem in victu, aut aeris pravitatem, similemve aliam causam parentem agnoverit, sed, prout solemnissimum est, metum aut tristitiam tantum, nonne manifestum est, quod per hos affectus constricto, aut contracto sanguine versus cor, uti elater, sive expansilitas ejus impeditur, ita humorum concoctio, secretio, cæteræque functiones vitæ secundariæ depravari debet? Idem applica secundo hystericæ passioni, in qua ob eandem sanguinis constrictionem, contractionemve convenienti digestivi fluidi proventu defraudato generatis flatibus uterinus plexus, membranæque annexæ distenduntur, convelluntur. Dico generatis flatibus; nam neque hic audiendi veniunt, qui ejusmodi passionem peculiari cuidam attaxiæ, vel spirituum motui irregulari deberi statuunt; & ex alia parte flatulentam esse illam convulsionem norunt hodierni Practici rugitibus abdominis, uterique distensionibus edocti, itemque ex noxis, quas purgantia hystericis afferre solent: ut taceam complures etiam non latere, sicuti erumpentibus ad extremum ipsam per vaginam iisdem flatibus solvitur hysterismus: quale quid & mihi crebro adnotasse contigit, mi-
III. rarique emissos ex ea parte crepitus tam sonoros. Quod si quæris quamobrem visus obscuratio, vertigo, cardialgia, tremulus cordis motus, cephalagia, motus artuum convulsivi, strangulatio (ita ut omni respiratione quoad sensum intercepta sæpius pro mortuis habeantur ægræ) & sensus abolitio (in quo casu hysterismus altera salutatur appellatione, videl. suffocatione uteri) a flatibus oriri possint, resp. non fugere Anatomicos uteri commercium cum pari vago & intercostali, quorum alte-

rum

rum nempe vagum inferne descendit juxta sinus duræ meningis laterales; alterum per canalem carotidis internæ, unde mox tam in thorace, quam abdomine cum illo variis plexibus implicatur. Stante igitur hoc commercio quis non videt, uti flatibus distenta uteri substantia, & per consequens contractis modo designatis nervis necesse est, ut non modo sanguinis fluxus ad oculos, & in plexu quodammodo intercipiatur non solum (unde visus habetatio & vertigo est) verum etiam organa loquelæ, deglutitioni & respirationi dicata magis minusve pro vario contractionis gradu præpediantur? ut insuper dura menix deorsum trahi debet, quemadmodum in apoplexia (quod symptoma tamen epilepsiam in hoc casu vocant nostri) utque ex hinc sensus abolitio sequi debet? Sciscitaberis, si hæc a flatibus in fœminis, cur non accidunt etiam in viris, puta hypocondriacis, quorum affectio, ut notum est, coincidit cum affectione hysterica? Resp. quia diversissima in utriusque est organorum structura; & præterea hæc in fœminis laxior, in viris compactior existit, unde fit, ut mesenterii tunicæ sint flatibus minus perviæ in his, quam in illis: quo non obstante compertum est sæpe hypocondriacos æque truculenter, atque hystericas iisdemque pene symptomatibus fuisse excruciatos. Videantur *Hoecsterus* dec. 5. c. 2. *Wilisius Pathol. cerebri c.* 5. *Bartholinus* C. 1. *hist. Anat.* 44. & alii passim. Tandem in furore uteri lacunatis pedetentim ex victu euchymo & eupepto, desidia, aliisque causis nutritiam lympham copiose augentibus iis succis, quos suo loco dictum fuit ad muliebria percolare titillationesque ibidem idcirco inferre, certum est enasci porro exhinc debere species motusque libidinosos, quorum ratione mulier veneri continuo inhiat, & instar Messalinæ lassari potius quam satiari cupit. Humorum hujusmodi stagnationem *Gabelchoverus* C. 4. *Cur.* 95. *Fonseca l.* 2. *Cons.* 33. *Forestus l.* 28. *Obs.* 29. prætendunt causam hystericæ passionis, quod nimirum forti loculorum eorundem fricatione & inunctione facta cum oleo spicæ hystericæ visæ sint a paroxismo fuisse liberatæ. Verum, nisi forte frictiones, inunctiones, etsi libet latitantium ejusmodi humorum excretiones aliquid præstiterint ad flatus dissipandos, non video cur hysterismi causam tollere aptæ sint.

Nam putrescens dictorum succorum aura imaginaria est, quandoquidem in maribus castimonia utentibus, nec non in viraginibus ætate jam provectis, quamvis semen, aliique humores in genitalibus abunde & in longum fuerint coacervati, convulsio tamen illa flatulenta non contingit: dum e contra insanus amor in illis, furor uteri in his a præfata stagnatione nullo negotio subrepit? Sed redeo in viam; utque magis appareat vis affectuum non tam in conficiendis, quam mutandis temperamentis, & tam in vita proroganda, quam morte accelleranda, advertamus in ipsum etiam corporis habitum externum,
IV. quot motus animi in illum inducant mutationes. Notissima est historia, quam *Hadrianus Junius l. de Coma c.* 12., *Schenkius Lemnius* aliique litteris mandarunt, de Juvene quodam nobili apud Carolum V. qui, cum in aula versaretur, & Virginis, quam deperibat, pudicitiam expugnasset (quod capitale in eo cætu etiam non reluctante puella ob decus aulicum fœda libidine contaminatum) in carcerem conjectus ac postridie ad supplicium tractus esset non tam præcedente nocte totus incanuit, quam amisso florido ac spectabili colore nec Cæsari nec familiaribus nota facie prodierit, adeout Cæsar suppositititium suspicatus, aut dolum explorare jusserit an ipsus esset; reque demum deprehensa Cæsar miseratione flexus (an justitia, satis utpote pœnarum arbitratus a tanto flagitio decus omne illi fuisse ademptum) crimen ei condonaverit. Consimiles vero alii casus legi possunt apud *Scaligerum Exerc.* 312. *Cuspinianum in Ludovico Bavaro*, *Crantzium l.* 9. *Metropol. c.* 47. *Cælium Rhodiginum antiq. lect.* 13. *c.* 27. *Libavium l.* 2. *Sing. Ludovicum Vives in præfat. in Somn. Scipion. Germ. Cur. Dec.* 2. A. 4. O. 60. aliosque multos: quibus adjungi potest, quod de quodam Aulico narrat *Salmuth.* C. 2. *Obs.* 26. quod nempe is per jocum polliceri solitus fuerat sublatis curis aulicis ac molestiis se se canos nigro capillo mutaturum. Unde igitur hæc mutatio? an (ut inquit ille) a privatione ad habitum datur regressus? canities autem est quasi privatio aliorum colorum omnium. Non, sed quia metus, horror, tristitia sanguinem, hoc est istius globulos constringendo & contrahendo præcedentem ejus crasim evertunt, solidasque partes, scilicet fibrosas,

una

una cum arteriosis versus propriam originem convellunt. Ex illo itaque subtrahitur succus alendis membris destinatus; unde ex defectu competentis alimenti color tam cutis, quam pilorum mutatur: ex hoc insuper in cute rugæ fiunt. Refert etiam laudatus *Salmuth.* C. *cit. Obs.* 68. casum filiæ fabri ferrarii, quæ dum lavat subitoque rumpitur vasis vinculum valde consternata in genu dextro ictu quasi perculsa est ita ut contracto crure imposterum claudicarit. *Ubi* (subjungit is) *de hoc affectu minime miror, cum ratione translationis humores ad articulum tanquam partem imbecilliorem, quemque forte tum complicatum habebat* (sic laverat) *ferrentur: hoc perpendo, quomodo unius causa diversi plane sint affectus, cum notum sit paralyticos itemque arthriticos ex consternatione convaluisse translata alio materia.* Hæc ille: verum non translati fuerunt humores ad articulum in dicto casu; sed potius subtracti, saltem ratione partis globulosæ: hinc cum ab istis omnem impetum recipiant reliqua sanguinis elementa factum est, ut hoc defficiente impetu succus nutritius & lympha ibidem, in genu, a nitro aqueo fuerit indurata. Contrarium pene accidit ex Lætitia, hilaritate, Gaudio. Quid enim quæso, frequentius observamus, quam juncti habitus juvenes E. g. utriusque sexus suavi maritali vinculo ligatos, dum ex voto ipsis cedunt res familiares, brevi pinguescere, & sæpe monstrose obæsos fieri intra breve tempus? Per tales etenim animi commotiones quoniam elastici expansilesve evadunt globuli sanguinolenti, inque orbem suum vivide projiciuntur, id efficitur, ut humores ejusdem sanguinis primarii chylusque adhuc dum peregrinus fortiter conterantur & concoquantur, hincque laudabiles humorum secundariorum secretiones fiant, scoriæque eliminentur, sequente protinus hos effectus tum membrorum ex uberi alimonia plenitudine, sive obæsitate, tum cutis ex liberali illo sanguinis ad eam transitu vivacissimo colore. Quamobrem nec physico fundamento caret celebre dictum Syracidis: *Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus vero tristis exsiccat ossa*; neque putandum est affectus sive animi commotiones ad vitam mortemve nihil conducere, utpote cum ratione & experientia pareat

pateat quales animi tales esse motus sanguinis, horumque vehementia fibrarum renisum superante vitales motus functionesque labefactari, aut e contra, quum nimirum minimus est illius nisus ita ut suum in fibras explicare nequeat elaterem.

Atque his ego demum universam qua animalium, qua vilium operationum æthiologiam in statu naturali æque ac præternaturali a priori, ut ajunt, sufficienter expositam fuisse crederem, unaque simul constare de veritate principiorum, e quibus eadem deducta est. Definitiones enim & axiomata tum vera censeri debent, quum una sunt, simplicia sunt, firma sunt, & sibi ubique similia: nostra vero quid aliud, nisi, quod cum Anima rationalis sit ens a se mobile perfecteque intuitivum: quod immediatum ejus instrumentum est sanguis proprie dictus; & quod tam hic, quam fibræ sint corpora elastica æqualibus momentis sibi invicem in oppositas partes contranitentia. Quo non obstante, si a posteriori, ab effectibus, prout Medici hodieque factitare consueverunt, ad causas argumentari sit animus, assume ex Pathologicis quemcunque velis morbum, ex Semioticis qualecunque signum, & ex Therapeuticis cujusvis remedii vires; & pervidebis rem ad idem recidere, eo scilicet ut pernoscas effectus ejuscemodi in sanguinem substantia vel motu male affectum tandem esse refundendos.

V. Revera namque morbi non sunt aliud, quam actiones læsæ: non læditur autem actio, nisi læso instrumento, quo cum agitur; itaque vitio sanguinis, quod primarium actionum omnium instrumentum est, morbi quilibet sunt præstolandi, & sive id in ingredientium quantitate, aut qualitate peccet (quod vitium ad substantiam pertinet) sive in motu, aut in utroque. Quod functiones animales & præprimis sensum sive auctum, sive imminutum, si fibras percuncteris spirituumque per eas fluxum aut refluxum, causam augmenti ejusmodi vel imminutionis nunquam aucupaberis data etiam in parte sensili qualicunque vel nervi ligatura vel continui solutione. Quod si ad sanguinis eo accursum auctum aut impeditum confugias, pervidebis cur in eadem parte dolor adsit, aut sensus imminutio, obolitiove.

Idem.

Idem dic de motu voluntario scilicet aut progressivo, cujus defectum in nervorum, fibrarumve resolutionem aut relaxationem retorquendum esse supra, *syntag. prior.* pariformiter demonstratum fuit. Quod vitales præsertim secundarias (nam primariarum labes motum sanguinis vitiatum unde postea reciprocus, seu vitalis motus eclipsi periclitatur, arguere ex syntagma posteriori deprehendi potuit) morbi stomachi, hepatis, intestinorum, aliorumque viscerum, quicquid causam proximam incusent nonnunquam hærentes in illorum ductibus cellulisve quisquilias aut concretiones (quemadmodum cruditates intestina perreptantes dyssenteriæ aut diarheæ prodromi aliquando sunt) plerumque tamen seri tenuioris, paulo viscidioris lymphæ, aut peculiarium salium in M. S. luxuriantium proventum in talem causam agnoscunt: hæ vero causæ soboles sunt primariarum functionum læsarum, puta cyli concoctionis læsæ; quæ tandem vitia a motu sanguinis intestino aut progressivo vitiato immediate descendunt. Res est in aprico.

Accedimus præterea ad effectus, qui signis annumerantur, carpunturque vel ex Physionomia vel ex Somniis, lingua, sanguine per phlebotomiam educto, ægrorum decubitu, pulsibus, VI.
& ex urinis: ex quibus physionomica rursus vel hominem sanum concernunt, vel ægrotum: in sano deducuntur eæ notæ ex inspecta membrorum in corpore configuratione, magnitudine, habitudine, coloribus aliisque apparentiis externis; quo fit ut non naturales modo propensiones, aut animi affectus, verum etiam temperamentorum humorumque tum quantitatem, tum qualitatem, & hinc morbos, quibus quis obnoxius esse potest, inde licet conjicere. Colores namque & diversæ fibrarum in cute membrisque dispositiones pro diversis in sanguinem motuum animi differentiis multum variant, quemadmodum *in præced. Corollar.* edoctum fuit. Quamobrem prout sanguis diversimode, extrinsece, & intrinsece, motu, inquam, projectitio vel intestino agitatus est, varii producuntur colores, variæ fibrarum habitudines, quas qui observat facile ab his ad causarum tam proximarum, quam remotiorum venit. Video E. g. hominem amæna facie ac rasea, oculis fulgentibus, bene pro-

por-

portionatis, voce firma, dulci & concinna, labiisque rubentibus: hujus temperamentum auguror sanguineum, cujus causa sit hilaritas. Etenim ex hoc affectu solito majorem expansilitatem nactis cruentis globulis concoctio chyli secundaria non modo rite perficitur, verum insuper fibræ in debita expansione continentur: unde fit, ut non tam succus nutritius ubique affabre distribuatur, sed & ipsi globuli qua via est, ad partes facile concedant, signaque ostentent, quæ retulimus. Cæterum hujusmodi temperamento affectos inflammationibus, hæmorragiis, febri ephemeræ &c. esse subjectos non est, cur pluribus suadeam. E contra video alium facie nunc pallida, nunc fusca, rugosa, obscura, plumbea, voce humili, demissa, timida, oculis nebulosis, concavis, lacrymabundis, labiis subpallidis aut livescentibus: conjicio ex hinc hominis temperamentum esse phlegmaticum aut acido lymphaticum, seu austero lymphaticum; siquidem in talismodi constitutione sanguine constricto ut hujus globuli ad peripheriam non transmittuntur, ita fibræ corrugantur; eoque tantum serum iners acidaque amurca depellitur: colligoque desuper hujus craseos causam esse vel timorem, vel mæstitiam, ut ex dictis *in cit. Coroll.* resultat: morbos interea, quibus is periclitatur, præsagiens esse vel hydropem, aut aliud de genere lymphaticorum, affectum hypocondriacum, scorbutum, icterum, aut alium ab aliusmodi vitio sanguinis provenire solitum pro discrimine scilicet temperamentorum. Quod si 3. in conspectum veniat homo, cui facies rubeat cum adustione, oculi intento obtutu micent, promineant ac rubescant; vox velox ac præceps sit, labium superius exortum, frons extenta, cava tempora, supercilia conjuncta in margine nasi cum pilis densis, nonne existimandum phænomena hæc ex adusta & sanguinea ejusdem sanguinis constitutione provenire, quatenus impetus & calefactio sanguinis fibras intendit, ejus globulos ad arteriarum fines usque depellit: causam vero talis impetus esse Iram, prout liquet ex alibi allata hujus affectus definitione nonne item manifestum erit? Dubio sine; & ideo mirum esse non debet, quod ejuscemodi homines ictero flavo, febribus ardentibus, mania, vertigine, vomitu, hæmorragiis, tumoribus-

que

que inflammationibus corripiantur: siquidem a sanguinis impetu præfato secernendis excernendisque retentis in tota massa, dilapidataque interim tenui serosa substantia tales ægritudines necesse est sequi. Idem ferme dicimus de iis, qui ruso capillitio, torva & elata fronte, oculisque ad flavum colorem circa corneam inclinantibus nobis se sistunt; nisi quod in his sanguis tanto cum impetu atque in iracundis moveri non videtur: scilicet datur in istis motus sanguinis magis elasticus, quam in illis, & ratione hujusce expansilitatis fibræ extenduntur in fronte, verum ex alia parte humores non æque violenter ad cutem atque ad debita excernicula protruduntur, sed remorantur in vasis, quo fit, ut biliosus humor retentus oculis etiam fucum faciat. Temperamentum propterea illorum sanguineo-biliosum esse perhibent ea signa, cujus causa plerumque audacia est, & cum solvitur ex motu globulorum aucto, tertianas, aliasque febres præsertim acutas pro additamento ad antedictos morbos pendere solet. 4. Cui frons rotunda, carnosa & magna, prægrandes oculi & prominentes, nasus superiori parte densus, labiaque crassa sunt, ejus temperamentum lymphaticum & succi plenum esse significant, hujusque parentem incuriam vel inertiam arguunt, quod curæ & sollicitudines nutritio succo membra fraudare consuescant. Quid multa? ex caracteribus physionomicis ducimur in cognitionem motus & constitutionis sanguinis, & per consequens morborum etiam, quos talis motus, talisque constitutio læsa parturire solet, vel potest: utque animus nonnumquam efficit, continuo vero imitatur temperamentum (videatur *art.* 8. *membr. poster. praecedent. part.*) ita ex notitia temperamentorum ascendimus ad cognitionem animi motuum, sive affectuum: colligimusque desuper corpus habitosum, cutem mollem, artus agiles lætitiam: carnes flacidas, incessum tardum, mæstitiam; corpus durum, aridum, gressum contentum iracundiam: corporis habitum mollem, pallidum, pectus depile timiditatem: cutem asperam, subflavescentem, gressum varium & incomptum audaciam portendere &c. Item quod caro mollis & humida, oculi sæpe clausi, motus tardior, vox tardiloqua, capilli molles, plani mansuetudinem; oculi humidi, non valde aperti, conniventes

& mediocres; genæ rubentes, motus moderati, tarda loquella & submissa, corpus inclinatum Verecundiam : anhelitus temperatus, os neque extensum, neque planum, oculi mediocres, venter succinctus Temperantiam ; capillitium durum, corpus parvum, oculi fulgentes parum depressi, vox gravis, intensa barba copiosa, humeri lati, magni, dorsum amplum Fortitudinem; supercilia arcuata, os magnum tumens, palpebræ valde apertæ, latum pectus, gressum tardum, collum erectum, humeri vibrati,
VII. oculi salientes Superbiam demonstrant. Ægrorum quod attinet physionomiam signa externa vitales functiones, indeque statum sanguinis præternaturalem directe quoque respiciunt, tantoque major eorum bonitas aut malitia auguranda venit, quanto plus ad statum naturalem accedunt, vel ab ipso recedunt. Quando E.g. corpus totum æque calidum ac molle, nempe sano haud multum dissimile est, colorque ab ictero in febribus critice mutatus fuerit, tum de proxima valetudine spes affulget : quod si econtra in morbis non se mutat; in acutis insuper inflatum sit illud, ægerque belle commedat, sed nihil proficiat viribus prostratis, spes in diffito, desperatio propior est. Quippe in priori casu sanguis functiones naturales perficere mollitur, in posteriori non ita. Facies deinde benevalenti similis sanitatem pollicetur: colloratior autem, incensa cum sudore, multum mutata, ut si nasus acutus, oculi cavi, adstricta tempora, aures frigidæ, contractæ, fibræ earum inversæ, cutis circa frontem dura, intenta, arida, necnon color luteus, vitriolicus aut niger functionum vitalium defectum portendit. Tertio oculi benevalentibus similes, pleni, splendidi, clari, benigne intuentes, sine molestia lumen ferentes, palpebras recte aperientes & claudentes sine lacrymis, & excrementis, album eorum valde purum clarum motum sanguinis cum projectitium tum intestinum rite se habere denuntiant; caliginosi vero illacrymantes, fixi, distorti, in somno non bene clausi, continenter conniventes; album eorum rubescens, lividum, nigris venis retortum ; lucis impatientes, cavi, vehemens eorum expressio, splendoris elisio, cilia retorta, nil videntes mortis propinquæ signum obtrudunt. Quarto nasus plenus, carnosus rectus boni ominis; acutus, retortus, pruriens infidi. Quinto Aures frigidæ, nigræ, lividæ, pel-

pellucidæ, contractæ sanguinis elaterem defficere, ipsiusque substantiam necrosi deprehendi significant: item dentes glutinosi præter consuetudinem (hoc gluten in affectibus præsertim melancholicis, quando motus sanguinis expansivus pusillus & consequenter impos est lympham attenuare, maxime observatur.) Syderatio dentis cum delirio mortis signum. Sexto lingua in acutis sanorum similis, bona; frigida in febribus, tremula, viridis, nigra, livida, ex virore pallescens; valde sicca, spissa, scabra, aspera dura sanguinem tam in motu, quam in substantia ingentes pati alterationes ostendit: fauces autem exulceratæ in acutis, dolentes sine tumore, intortæque ut vix deglutire quid valeant pravam ingredientium salinorum qualitatem præterea inculpant. Septimo hypocondria mollia, æqualia, sine dolore, optima; pessima vero inflammata, distenta, inæqualia, pulsantia, dolentia. Extremitates denique corporis in febribus non intermittentibus algentes cum interno ardore & siti; caput, manus, pedes frigidi; venter vero e contra, & latera calentia persentiuntur: digiti & ungues lividi cum corporis gravitate signum mortis propinquæ. Fœtores ex toto corpore a carne veluti morticinia exhalantes, sanguine gangræna corrumpi demonstrant. Verum hæc satis ad Medicum.

Concurrit ad conjectationem Physionomicam etiam notitia VIII. Pulsus; nec, si temperamentum spectes, minimo cum jure: siquidem ipsus est, qui motum sanguinis intestinum, sive elasticum revelando, quantæ porro ejus sint vires in functionibus præsertim naturalibus exhibendis tuto docere potest, insuperque ad quales affectus disponere valeat animam tale specie temperamentum. Innotuit ex dictis *in Part.* 2. pulsum esse arteriarum motum ab alterna sanguinis expansione, initiique aortæ contractione pendentem; quam definitionem crederem facturam satis *Jacobo de Sandris* juste conquærenti pulsus rationem mechanicam nondum fuisse compertam. Patet igitur inde, qualis est nisus sanguinis, talem esse debere arteriæ dilatationem, & qualis est hæc dilatatio talem pariter esse debere actionem sanguinis in reliqua sua ingredientia, ex quorum complexu & dispositione mutua oritur temperamentum. Pulsus V. g. magnus denotat in sanguine summam vim elasti-

cam: ex hac igitur notitia colligo citam fieri chyli coctionem, promptam sanguificationem, pares secretiones, nec dissimiles excretiones: colligo, inquam, exinde temperamentum ejus, cujus is est pulsus esse debere sanguineum, h. e. quod portio globulosa in tali sanguine prædominet; adeoque subjectum ejusmodi temperamenti esse debere ad lætitiam, gratiam, amorem, hilaritatem valde pronum; e contra pulsus parvus, ut debilem sanguinis expansilitatem prodit, sic & chylum secundario male digeri, & æque in sanguinem mutari, & serum propterea superfluere in M. S. testatur, verbo quod temperamentum sit phlegmaticum timidorum, mediocriter tristium & remisse amantium proprium. Loquimur hic de pulsu magno & parvo in statu sano; & quorum alter virorum, alter fœminarum proprius est, nec non puerorum, ut insinuemus quod si præcipuis hujusmodi differentiis aliqua superveniat mutatio, quæ in pulsu magno virorum spectabilior est, citra aliam concausam, ea mutatio pathematibus illorum imputari debet. Celebre est exemplum *Erasistrati*, & ne vetera recolamus, continuo ante pedes sunt exempla Iracundorum, Meticulosorum, Tristium &c. ex quibus alterationes illæ disci possunt maximo cum argumento dicendi, quod anima movet se se & sanguinem, in quo se movet. Ego certe cum amicos alias bene valentes offenderem, qui in me pulsus aliqualem cognitionem supponentes, carpum tangendum exhibebant, explorataque pulsus mutatione non desinebam edicere, nisi aliquid erroris in non naturalium aliarum rerum usu intervenisset, eos vel amore teneri, vel ira, metu, gaudio &c. imo certum in specie affectum ex pulsus impetu, celeritate, debilitate &c. divinabam absque quod vel semel opinione mea deceptus sim. Celeritas quippe juncta magnitudini iracundiam, celeritas cum debilitate amorem, cum magnitudine & æqualitate lætitiam; cum inæqualitate & parvitate metum &c. ostendit. Sed misso naturali statu, quod respicit pulsum in statu præternaturali, quando nempe functionum aliquot naturalium primi aut secundi ordinis sunt labefactatæ, simplices ejusdem differentiæ rediguntur ad hanc trigam: scilicet si velox sit, aut tardus; frequens, aut rarus; durus aut mollis: quæ

dif-

differentias qui perſpectas habet facile ad compoſitarum cognitionem devenire poteſt. Plurimæ quippe ſunt iſtæ ac tam variæ, ut ſi quis omnes recenſere velit, per omnia ſingulorum individuorum temperamenta vagare debet. Pulſus celer promptam & expeditam ſanguinis & fibrarum actionem ſupponit: tardus impeditam & quidem vel ex parte fibrarum, ut ex polypo, vel ex parte ſanguinis ex craſſiori lympha. Pulſus frequens arguit diatheſim ſalinam ſtimulantem cruentos globulos eorumque motum projectitium accellerantem: rarus illuviem ſeroſam. Denique pulſus durus reſiſtentiam in fibris ſolito majorem indicat: mollis minorem, i. e. remiſſam. Præ cæteris tamen obſervanda æqualitas vel inæqualitas, unde utriuſque potentiæ, ſolidæ & fluidæ, vires & reſiſtentiæ metiri poſſunt. Nec eo ſecius ſemper timenda venit hæc inæqualitas, quod momenta æqualitatis inæquali potentiæ ſæpe arte vel natura reſtituantur, & hinc priſtina iterum redit æqualitas teſtibus affectibus catharralibus in ſenibus, in quibus tum ſolum febrem adeſſe noſces, quum pulſus eſt inæqualis, prout etiam in hypocondriacis. Adſunt enim utrobique impedimenta ex parte ſanguinis, quæ tamen tolli queunt & ſolent. Quamobrem minus fauſta prognoſis tum dumtaxat fieri debet, quum in utraque potentia defectus eſt, quemque porro denotat pulſus undoſus aut vermiculans, aut caprizans, formicans tremulus, ſerratus, hecticus, noviſſime vero etiam myurus, quando ſcilicet tangentibus pulſum quatuor digitis pulſus, qui apparet ſub digito, qui tangit arteriæ partem cordi propiorem eſt major cæteris, ſub ſecundo vero eſt minor, adhuc minor ſub tertio, & ſic etiam ſub quarto minor: niſi forte ex prioribus pulſus inæqualis ſpeciebus, undoſo ſcilicet & vermiculante criſim aliquam ominari liceat.

Symbolum quoque ſuum conferunt Urinæ ad ſtatum functionum naturalium præſagiendum. Quamvis enim hodie Medici parvi æſtiment illarum inſpectionem, eſt tamen innegabile quod urinæ materia a ſanguine ſecernitur per emulgentium arteriarum extremitates, & in ductus renum excretorios transfertur, inde in pelvim, a qua per ureteres ad veſcicam procedit: quod præterea urinæ materia eſt chylus aquatus, ſeu chyli IX.

li tenuior & aquosa pars gravitans ex prono renum situ, sola istorum mechanica structura & arteriarum appulsu a tenaciori lympha & globulis facile disjuncta & segregata; quodque demum ipsa salium ramenta in suo oceano ante soluta & liquata inde secum devehit in arteriosos renum meandros, ubi ea præ mora fraciditatem, crassioremque molem acquirunt. Ex quibus facile inferendum puto uroscopiam ad minimum inservire posse cognitioni eorum, quæ plura vel superflua in Massa S. vel immiscibilia simul cum chyloso phlegmate percolantur, ostendereque quantitatem, qualitatem, habitum elementorum ejusdem massæ tam in statu sano quam morboso. Sic urinæ undequaque flavæ in Ictero bilis copiam in M. S. regurgitantem adnotat: earum cuticula in Scorbuto, quæ ordinario in lateribus, superficiei innatare, & in fundo sabulum rubrum hærere soleat, lymphæ crudæ & salium acido fixorum abundantiam in corpore designat &c. Itaque in urinis considerari possunt quantitas, color & contenta. Quantitatem in sanis variant anni tempora, frigus & æstus, liquidorum ingurgitatio vel abstinentia a potu, motusque corporis aut quies. Color est vel aqueus, citrinus, flavus, lividus, aut ruber. Ruber indicat motum sanguinis intestinum auctum, ut in febribus; motæ namque fortiter & calefactæ salinæ moleculæ talem colorem repræsentant. In febribus catharralibus veris infallibile deplorati morbi & frustraneæ curationis signum deprehendi esse urinas copiosas, turbidas, sanguinolentas nona circiter aut decima a decubitu die emissas, quod tali tempore rubelli globuli dissolvi inciperent ab acribus particulis in M. S. luxuriantibus. Urina livida semper maligna prognostica tradit: indolem enim salium testatur esse vitriolicam; nigricans oritur vel a cruore extravasato & exsiccato, ut in vetulis, & tunc nihil mali pronuntiat; vel a cruentorum globulorum necrosi unde mors. Urina flava icterum semper cômitatur ob rationem nuper attactam: Aquea diversæ notæ apparet. Nam vel absolute aquea sive diaphana est, ac tum senibus maloque hypocondriaco affectis mortem minitatur, quoniam scilicet ita debilem indicat esse sanguinis elaterem, ut salinas moleculas subigere nequeat efficereque solubiles: vel parumper albida instar seri lactis, ac tum

tum quamvis paulo validiorem ostendat sanguinis intestinum motum, chyli tamen subactioni, ejusque in sanguinem conversioni cum vix sufficiat iste motus, cachexiam idcirco, hydropem, chlorosim consimilesque morbos talis urina portendit. Verbo, si pulsus projectitium, nil æque sanguinis intestinum motum declarare valet, atque urina. Nam si moderatus est iste, urinam exhibet consistentia & colore laudabilem, mediocris nimirum naturæ inter crassam & tenuem, tincturæ palearis: si paulo fortior, urinam reddit flammeam cum rutilante rubedine: si vero remissior, albidam, pallidam, aqueam &c.; ex quibus observationibus quales in corpore secretiones fiant, qualesque in sauguine humores primas teneant discernere proclivîori est. Cæterum contenta in urinis, sive sedimenta, sive nubeculæ, cuticulæ, coronæ, spumæ effectus quoque sunt motus intestini chylosam materiam affabre vel desultorie triturantis, & hinc ejus reliquias sub tenujori aut crassiori forma ad renes amandantis, ut consideranti patescit.

Quoad Sudorem, qui secundum naturam effluere solet e corporis peripheria, præprimis si calor circumambiat corpus nostrum, res est clara, quod cum videmus, quod nulla excretio tunc temporis contingit, neque medicamenta sudorifera eam efficere apta sunt, sumenda ex hinc venit conjectura vel M. S. esse inspissatam, ita ut globuli rubicundi suum convenienter exerere nequeant elaterem, vel organon huic functioni dicatum præter naturam esse constitutum, aut etiam si emanet, ac nimiam viscididatem præseferat, conjectura eo fortior redditur. Alio tempore si una cum sudore effluat gelatinosa sanguinis portio signum dissolutæ craseos humorum primariorum, aut laxati organi exin sumimus: item si sudor excretus ingratum nimium ac summe fætidum de se spargat odorem, conjicimus multam excrementitiarum particularum saburram in vasis delituisse corruptam &c. Sileo reliqua de liquore lacrymali, mucco narium, aurium cerumine, saliva &c. quæ item hac occasione afferri possent signa, quoniam ad rem nostram, ubi a signis argumentandum est ad causas, haud multum facere videntur. X.

Nihilominus attendendi sunt fluores mensium & hæmorroidum, XI.

dum, siquidem eorum status ab ægris ipsis & adstantibus disci potest. Solent autem illi peccare in quantitate, aut qualitate, in excessu vel defectu, ut si menses immodici sint, vel pauci, vel omnino nulli, crassi, vel tenues, rubri, nigri, albi, fœtidi &c. Hinc illorum fluxus nimius prævalidum intestinum sanguinis motum indicat in non febricitantibus, in febre affectis etiam circularem. Notat præterea in Sanis, si irregulariter contingat iste fluxus, præcessisse fortem iracundiam, aut luxuriam, aut alium quempiam effectum e numero extensivorum, vel exercitium aliquod violentum &c. Adverti sæpe in iis, quibus cessaturus erat mensium fluor, hunc ipsum fuisse enormem ultima, vel penultima vice: an quia uterina vasa huic munio nuntium remissura inter contrahendum sese omne depositum reddunt, seu exprimunt? Respectu consistentiæ, menses congrumati, viscidi culpant lymphæ spissioris in sanguine abundantiam, cujus ratione ob qualemcumque moram in loculis muliebribus facile concrescunt: diluti vero ac tenues abundantiam serosioris; quamobrem nullo negotio retinentur, ac supprimuntur illi, retentique obstructiones, chloroses, aliosque morbos, fœminis facessunt: hi autem contra, nisi forte acri quodam sale scateant, in tali casu lentæ febres, marcor, tabes, vasorum erosiones & alia hujusmodi expetari debent. Tandem quod colorem, fluor albus in juvenculis nutricii succi exuperantiam prodit, si nimirum bonum habitum præseferant, & carnosum; alio tempore præsentem cachexiam nuntiant, aut futuram, aut vasorum circa uterum relaxationem. In hac cachexia diversicolor quoque apparet idem fluor, videl. flavus, subvirescens, lividus: citra illam, & si mulier benevaleat, indicium est virulentæ gonorrheæ. Taceo fœtorem, ut qui communis est humoribus emancipatis, sive a circulo dejectis, situmque alicubi contrahentibus: maxime vero sanguini, qui nonnisi per fracedinosa & urinosa loca secedit, quique interdum succis vaginalibus natura putridis permiscendo sese in tali exitu magis magisque maleolere debet. Putrescere namque, ac enormiter fœtere loca illa ab ejectis inter saltationes & choræas jamdudum ibidem stagnantibus totius vaginæ, ac præsertim muliebrium lacunarum colliquiis non semel ab

ipsis

ipsis met mulierculis ediscere coactus sum. De foetore locorum ejusmodi intollerabili casus etiam prostant non pauci, qui legi mærentur. Cæterum Hæmorroidum fluxus cum menstruali passu fere pari procedunt. Nam & stato ac definito tempore se exerit nonnunquam; alio tempore non tam menstrua, quam annua, vel alio etiam ordine illius fit redditio, ac rarior, eaque a causa magis interna variante gradu & effectu. Præterea talem quoque sanguinem effert, qualis est reliqua massa, adeoque non tam nigrum, quam floridum, vel alii quoque commatis. Hæmorroides cecæ serum acre, tenue, halituosum manifestant, utpote quo in partibus facile subsistente dilatantur, & varie crispantur vasa adinstar varicum aliorum: aperte ac nigrum sanguinem evomentes atrabilare temperamentum; & quæ floridum ejiciunt salsum & biliosum. Tandem quantitas hujus sanguinis major a sero in vasis luxuriante provenit, minor a crassa lympha & viscida; quæque acribus abundat salibus; inflammat, quæ vero corrosivis, rodit & ulcerat.

Denique sanguinis status cognosci potest ex sanguine per venæ sectionem emisso; cumque sanguinis partes duæ sint, serosa (sub qua comprehenduntur lympha & reliquæ moleculæ crassiores sero innatare solitæ) & globulosa; seri proprie dicti quantitas minor ordinarie in objectis observari potest, major in hydropicis. Quoad lympham, hujus major aut minor quantitas deprehenditur ex arctiore vel laxiore coagulo, in quo præterea occurrit considerandus color, qui vel roseus est, vel obscurus. Color roseus statim a V. Sectione observatus oriri potest ex globulorum intumescentia, indicatque ipsorum elasticitatem. Qui ex abundantia salium illum derivant minus advertunt ad istorum naturam, quæ multivaria cum sit simplicem illum effectum præstare nequit. Provenire quoque potest talis color a calore exestuante, vel ex abrasione a salibus in suo circulo tolerata. Color obscurus contrarium arguit. Quo plus enim flavescunt globuli purpurei, hi nigriores evadunt; hincque signum melancholiæ juxta Veteres, præsertim si in fundo vasis adhæreat sanguis. Reperitur talis in morbis chronicis, præsertim vero in hypocondriacis. Color variegatus dependet a salibus fixis una cum lympha corruptis. Sæpe bilis sanguini circumfusa XII.

eſt, adnotavique pluries ſanguinem flava cruſta obductum, quam rubicundus circulus ambiebat, lethale eſſe ſignum; quod deinde verum ſemper comperi. Spuma glutinoſioris ſanguinis indicium eſt.

XIII. Quod ſupereſt de viribus venenorum & remediorum, fruſtraneum eſt hic iterum reclamare obſtinate aſſeverantibus illas exeri directe in fibras & in ſpiritus animales, aut ad minimum indirecte, ſcilicet mediante ſanguine. Præfocata quippe jamdudum fuerunt a nobis hæc commenta, utpote quod a natura ignorari tales ſpiritus compertum eſt; docuimuſque *poſter. membr. anteced. part.* & præſertim *cap. de Sympathia* qualiter venenoſa miaſmata affricta ſanguini proprie dicto ſenſus & perceptiones, cæteraſque operationes animales mutent non modo, verum, ſi cruentam eandem ſubſtantiam depaſcant, etiam vitales annichilent & ſupplantent. Quo non obſtante hujus aſſerti veritatem ſi libet magis habere perſpectam proponimus alia exempla. Teſtatur *Weinrich. Tract. de Monſtr.* felinum ſanguinem hauſtum hominem transformare in mores felinos, ut nempe latebras quærat, mures inſectetur: in quam rem narrat *Salmuth. C. 3. Obs. 99.* Pharmacopolam quendam a cerebro cati commeſto in ſtoliditatem incurriſſe, referuntque alii, quod ſi quis de cerebro eodem edat fere dementetur. Ajo igitur hujuſcemodi rationem non aliunde repetendam eſſe niſi ex moleculis felinis in ſanguine adhuc calente, ſeu moto ipſum felem ſingulariter ad vivum; in cerebro vero eundem ſed obſcure repræſentantibus, & quarum propterea vires in hoc conſiſtunt, ut ſanguineos globulos aggreſſæ, quæ in actuali motu ſunt, i. e. priores, motus proprios communicando mores etiam proprios animæ humanæ concilient; poſteriores vero ſanguinem obnubilando iſtum a ſenſu priſtino alienent. Quapropter quicquid affertur de ſignaturis & caracteriſmis in negotio itidem gallorum aut paſſerculorum in coitu enectorum, quorum ſanguinem impotentiæ virili ſuccurrere creditur, in illorum effluvia ſanguini humano addicta & applicata (ex qua applicatione motus itidem laſcivientium ejuſmodi beſtiolarum eidem ſanguini communicatus mentem laſciviæ admonet) venit pronuntiandum. Calentia quippe effluvia & certo modo

com-

commota dum humanum ſanguinem titillant in venas invecta ſenſum pariunt, ad cujus perceptionem anima ſe determinat ad eoſdem motus: quin etiam non calentia, poſtquam vitalem locum fuerint adepta. Confer. *canones art. 2.* traditi, *ibidemque* ac per totum *poſter. membr. præced. part.* probati, quo ſpectat priapus apri aut tauri in coitu occiſi, leporinus ſanguis, & ſexcenta alia, quorum effectus putatitiis quibuſdam ſignaturis tribui conſueverunt. Ubi nec prætermittendum eſt noviſſe me complures mulieres ruſticanas in hortis dum ollera legerent rubetæ aſpergine ſuffuſas paucarum horarum ſpatio ita animo commotas, ut mores priſtinos exuiſſe viderentur. Nam quæ antea manſuetæ, leneſque viſæ fuerant & affabiles, ab ea poſtmodum aſperſione comperi immorigeras, torvi aſpectus, aſperas, arroganter ad quæſita reſpondere, advenaſque & conjuges vultu, oculis elatis, tumidis, ſuperbo & brevi, nec appoſito cum ſermone excepiſſe. Hinc quærenti quamobrem aſininus ſanguis maniæ medeatur largiter hauſtus, in promptu eſt reſpondere, quia aſinus, ut norunt omnes, patiens, hebes, lentum animal cum ſit, ejus effluvia maniacorum ſanguini affricta efficiunt, ut horum mens pariles ideas percipiat, veteres furibundas deponat. Non abſimilis eſt ratio deliriorum, quæ peſtigeros vexant, quam vide ſuo loco. Et quod triſtitiam, pavorem, melancholiam, quæ a venenis tam animatis, quam inanimatis inducitur, haud revocari debet in dubium, quominus arctatis, disjectis & laceratis per illorum ſpicula ſanguineis globulis mens in tales affectus concedat. Nam modus operandi ſequitur modum eſſendi juxta tritum Philoſophorum axioma; & cum inſtrumento male eſt, opus artificis male cedit.

Miſſis venenis pergimus ad effectus rerum quarundam non XIV. naturalium, quos inter vel maxime ſe oſtentat Ebrietas. Definitur Ebrietas Impotentia mentis ad ſuos actus libere & naturaliter exercendos orta ex vini ejuſque ſpiritus, aut ex aliorum liquorum ſpirituoſorum nimia ingurgitatione: modus tamen, quo mens impos redditur ad libere agendum propter hanc ingurgitationem nondum eſt dilucidatus. Quidquid igitur alii ſentiant, dicimus nos ideo ſequi talem impotentiam, quod

moleculæ sulphureæ & tartareæ vini ejusve spiritus per digestionem ventriculi antea resolutæ & alkoolizatæ veluti succum faciant substantiæ sanguinis globulosæ; & quod sic infucato hoc instrumento dum per ipsum anima jam nil percipit, aut non percipit ad modum, quo antea percipiebat, turbatur in suis ideis, & per consequens in judiciis cæterisque suis operationibus. Talismodi infumationem vix quis inficias ibit, cui exploratum sit spirituosam & vere sulphuream esse vini naturam. Sulphur itaque hoc resolutum & in minima redactum cur fumi adinstar exhalando dictos cruoris globulos non obumbrabit? Jam vero sic infucati isti non tam hebetantur, ita ut minimorum corporum tactum excipere queant ad sensum, verum insuper suspenduntur, & a consueto cursu prohibentur; unde fit, ut inservire nequeant ad motum. Motus enim progressivus obtinetur mediante sanguinis directione: quære locum de *Motu progress.* & præterea, quomodo anima sanguinem apte determinabit firmis judiciis vacue. Impediunt enim actum rite judicandi larvæ ac spectra, quæ per fucum illum globulo afficientem motusque istorum erroneos animæ repræsentantur; unde porro in ebriis balbuties adest, sermo & gestus varii, nec non infirmus gressus ac vacillans. Cæterum Temulentia pro subjectorum discrimine diversa est. Quibus sanguinis constitutio laxa efficit, ut cruenti globuli libere se expandant, ii Ebriosi læti sunt: quibus vero arcta vinculis lymphaticis præpedita, mæsti vel tristes.

XV. Redeo ad osculenta & potulenta; quorum ratione observo imprimis id, de quo merito conquerebatur *Barrbins*, referente D. *de Monconys* in Itinerar. *Suite de la 2. Partie p. 267. que ceux, qui se meloiant de Chymie ne sçavoiant passeulement ce, que c' etoit, que destiller*. a natura in ventriculo, & in vasis sanguiferis egregie præstari; dum illa, ingesta quæque ibidem sic in minima resolvit, ut non alibi melius atomi conficiantur. Solet vero præsertim in ventriculo elicere ex iis viscida, salina, crassa eademque postmodum a tenuioribus & subtilioribus in intestinis separare; at quicquid sit, in sanguinem abeunt chylosa pinguia, aquosa, salina, globulosa maxime subtilia; & prout ore sumpta & in chylum resoluta majorem lymphæ, aut seri, aut salium copiam subministrant, hæc deinde in sanguinem delata san-

sanguinem dubio sine reddunt viscidum, serosum, aut diversimode salinum. Porro a diversis hisce qualitatibus diversos pariter enasci mores in hominibus insinuavit *Celsus l.* 2. sic edisserens: *His efficitur, ut ex his notis facile in morum cognitionem deducamur & pro sanguinis portione æstimemus Ingenium. Animalium enim fortiora, quibus sanguis crassior; sapientiora, quibus tenuior; tardiora, quibus minimus; & quibus nullus hebetiora. Quibus vero multus & pinguis, iracunda: item gracile corpus, infirmum, obæsum bebes est.* Cum vero sanguis a chylo, & hic ab alimentis diversigenæ qualitatis oboriantur, venit concludendum, ab alimentis variis comparari etiam diversos mores. Et sane plurimum distare videmus (loquendo etiam de ejusdem classis & dignitatis feminibus) illorum qui cicere & faba victitant, aut fructibus, aut oleribus, ab illorum moribus, qui cibis vescuntur euchymis, carnibus atque piscibus: item vina bibentium a moribus eorum, qui potu utuntur cerevisiæ, mulsi, vel aquæ. Animadverti in genere hujusmodi in proposito tenacius permanere, ad ultimum paratos esse, vultuque & sermone parum adrogantibus & abscuris: aquæ potatores e contra esse minus constantes magisque apertos. Carniveros insuper materialibus studiis se magis adjicere; frugales spiritualibus; lacticinia & caseum comedentes, ingenio esse paulo hebetiori, sed cautos; qui vero olera & oleum, vafros & astutos. Credibile est evenire hoc ex eo, quod Vinum utpote sulphureis & tartareis moleculis præditum lympham & sanguinis globulos figit ac obstipat: hinc pro craseos hujusmodi qualitate animos ad contumaciam esse proniores; quod deinde aqua mollitiem & fluxilitatem sanguini conciliante homines magis lubrici videantur ac synceri: quod propterea carnes animalium, quorum partes sunt schemata continuo affricando materiales ideas jugiter subministrent; rursus quod butyroso ut caseoso tanquam cæmento obrutis & infucatis globulis sanguineis hebetentur sensus juxta illud vulgi, *quod caseus facit caput durescere*; ac tandem quod herbarum succi & oleaginosa spectra exhibent lubricitatis &c. Mixtus propterea victus saluberrimus est, ac per intervalla a carnibus abstinere ad naturam nostram spiritualem summe conducit. Hæc de alimentis consuetis, & ideo na-

naturales quosdam & ordinarios agendi habitus inducentibus. Quoad insuetos concernit cum cibos, tam potus, jam ostensum ac declaratum fuit &c.

XVII. Sed his velut per transennam attactis de remediis quum sermo est, sive generica sit horum actio, sive specifica ad sanguinis proprie dicti utilitatem semper collineat, & sive functiones animales labefactatæ sint, sive vitales. Generica, i.e. Universalia sunt Evacuantia, V. sectio, Purgantia, Œmetica, Diaphoretica, Diuretica & Salivam moventia. Duplicem in finem, meo quidem videri, instituitur Venæ S. 1. ut sanguis e suo curriculo deflectens in consuetas vias reducatur derivationis, aut revulsionis nomine, quarum altera in suppressionibus mensium, hæmorroidum &c. locum habet, altera in hæmorragiis, inflam-

XVIII mationibus, humorumque translationibus. Sciendum enim est primo, in corpore nostro duos plane distinctos esse sanguinis magnos & provinciales circulos; unum nempe per arteriam ascendentem in partes supra cor sitas, atque alterum per descendentem in subter sitas. Secundo, quo rapidius & pleniori fluento sanguis in superiorem provinciam irruit, eo placidius & minori rivo in oppositam inferiorem influere necesse est, & e contra: tertio, ratione propinquitatis cum trunco aortæ plus dimidia parte sanguinis exprimi in arteriam ascendentem, majorique insuper cum energia, quam in descendentem. Atque hoc fundamento nititur rationalis doctrina de revulsione universali. 2. ut orgasmus materiæ sanguini admixtæ cohibeatur eductione seri, seu crassioris, seu lymphæ turgescentis. In hac enim turgentia consistit decantata illa plethora, fidem faciente historia cujusdam monachi apud *Listerum*, cui gravi febre correpto intra spatium trium annorum (nam eo usque duravit febris) nonaginta septies sanguis missus est: etsi forte propter iter plurium dierum a phlebotomia abstinuisset, a summis caloribus illius regionis *Congo* naribus sanguis quotidie ad plures libras erumpebat, ac si nihil ejus omnino ante missum fuisset. Is enim tametsi nihil præter pisciculum, & semel in die jusculum gallinaceum assumeret, nihilominus quia ei permissum fuerat ex medicorum consilio tantum aquæ bibere, quantum volebat, & quotidie ad 12. minimum libras hauriret, in talem sangui-

nis

nis orgasmum inciderat. Ne igitur intestinum sanguinis motum turbet, aut coerceat lympha illa per V. sectionem subduci debet : unde luce meridiana clarius patet phlebotomiam nonnisi motus sanguinis progressivi & elastici, seu intestini gratia celebrari. Cathartica fortiora utrumque serum, & cum viscidiori XIX. complexa salia magis fixa foris eliminant, quo cruenti globuli se liberius moveant : blandiora præter quam quod primas vias abstergunt, recrementitios humores avocant ad eas partes, cruoremque quodammodo alleviant. Vomitoria torpentem sanguinem excutiunt, motuique progressivo aptiorem reddunt. Diaphoretica eundem a fuliginibus liberant. Diuretica a superfluo sero, Salivam moventia etiam a crasso; & sic evacuantia præsertim vero novissime recentia cruentos globulos mundificant præterea & abstergunt. Quod specificorum est, quamvis recen- XX. sere singula horum generum tam simplicia, quam præparata & composita supervacaneum sit, quando eo labore jam multi multis modis defuncti sunt, dabo tamen plurimorum exempla, quibuscum satisfieri poterit intentioni nostræ, discurramque per præcipuas functiones læsas exordio sumpto ab animalibus, quarum primam fecimus sensus imminutionem.

Norunt peritiores quam feliciter visus debilitati succurrat pulvis Euphragii compositus sub hac formula

℞. Euphragii ℥. iij. Macis ℥. j. M. f. Pulv.
subtiliss. ante cibum deglutiend. ad cochlear. medietat.

Unde *Montagnana*: *vidi homines, inquit, & decrepitos, fere ad cæcitatem perductos hoc pulvere integræ valetudini restitutos*. Sed præter visus debilitatem comperi etiam eximie valere ad aliorum sensuum præsertim auditus fatiscentiam, modo ne paralysi ea organa sint affecta.

Peto igitur, agitne immediate in spiritus & in nervos iste pulvis? non, sed primario in sanguinem, secundario in fibras juxta leges circulationis. Quomodo vero in sanguinem operetur, hoc nondum liquido definiri potest. Usque adeo namque non sumus ita felices eorum, quæ intus assumuntur figuram texturamque noscere potuerimus, maxime postquam in ventri-

culo

culo in effluvia per fermentum digestivum fuerint resoluta. Quod si nihilominus ab effectibus conjicere causas licet, pronuntiare fas est vires dicti pulveris in hoc consistere, ut purificet & abstergat substantiam sanguinis globularem, quo facilius deinde hæc partes organicas distendat, lucidorumque & aliorum sensibilium corporum recipiat impressiones: in qua sententia tanto libentius acquiesco, quanto certius persuasus sum solidorum commoda vel incommoda ex fluidorum bonitate & malitia provenire. Ad sensuum internorum, imprimis vero Memoriæ imbecillitatem commendant Practici ad unum omnes Aromatica exsiccantia, aquam magnanimitatis V. g. infusum zedoariæ, confectionem anacard. &c. quibus deinde addunt apophlegmatismos lotiones capitis, inunctionesque cum id genus ingredientibus paratas. Nec profecto a scopo aberrant, si functionum ejusmodi læsarum causa sit vitium sanguinis in motu, seu defectus motus ejus projectitii in plexu choroidali, id quod contingit senibus melancholicis; necnon iis, qui obæsi sunt atque humida constitutione præditi. Alias namque, quum ex ira E. g. repsit talis imbecillitas, ut in casu *Borrichii*, de Petro Folmero, aut ex podagra retropulsa, ut in casu *Georgii Segeri* aut ex mensium suppressione, ut in alio casu ejusdem *Borrichii* &c. nullo pacto conveniunt dicta stimulantia, seu exsiccantia. Quamobrem non sunt attendenda specifica quæcunque tum ad præfatas, cum ad reliquas animales operationes læsas (etenim vitiata perceptione, judicio simplici, cogitatione cæterisque functionibus simplicibus, reflexæ pariter labefactentur necesse est) verum indicationes curativæ huc dirigendæ veniunt, ut sanguinei globuli continuata serie & contactu circulent in plexu, ad quem finem motus illorum ponderandus, proindeque nimius auferendus, defectuosus restituendus est, insuperque plexus, si ab influo, aut circumfluo humore relaxatus sit, ad suum naturalem tonum reduci debet subductione ejusmodi humiditatis. Econtra in mania & in deliriis supplendus est ejus defectus, motusque nimius sanguinis coercendus. Coercetur autem revulsione ad inferiorem circulum, & in Mania suspensione quoque globulorum per narcotica. Præmissis quippe universalibus, h. e. V. sectionibus, & respectu purgantium etiam vomitorio meam operam nunquam frustra-

frustravit opium vel ad grana xxiv. ephimeri spatio exhibitum, & ad plures dies, in minore tamen dose, continuatum.

Quod concernit reliqua medicamenta, purificare sanguinem, his intendunt Practici, remediis nimirum purgantibus, diaphoticis, diureticis, cæterisque alterantibus eandem massam: quid vero sibi velint cum hac purificatione, hoc est quod capio; nec ignoro satagere illos, ut naturalia sanguinis ingredientia ad convenientem proportionem & consistentiam iis mediantibus redigantur; sed hoc per solam aut evacuationem aut nutritionem obtinetur, non purificatio, quæ respicit sanguineorum globulorum absterſionem, elaterisque in iis sæpe fatiscentis restitutionem. Hoc igitur vere ac proprie est sanguinem purificare. Effectus ejusmodi absterſionis & globulorum ad naturalem statum restitutionis est hilaritas, quæ percipitur ab ægris a tali purificatione: alleviatio item corporis & agilitas, quæ non obtinetur, nisi sauguine ad convenientem elaterem, uti diximus, restituto, quod ultimum pulsus indicat. Hæc namque hilaritas, alleviatio, agilitas arguit expansionem sanguinis, ejusdemque illustrationem; contigitque interdum a V.S. a plethoricis, a purgatione in cochochymis; a diaphoresi in pororum cutaneorum constipatione, & fuliginum sanguinem obtenebrantium copia; a diuresi in phlegmatis, vaporumque enunciatorum redundantia; a cardiacis & confortantibus, in cruentorum globulorum resolutione &c. Itaque a tali hilaritate, alleviatione, & pulsu purificantium ejusmodi remediorum vis & effectus metiuntur.

Mirantur Practici, ut ex unico interdum opii granulo homo conjici in somnum possit; at si advertant latere atomos soporificas, quæ cum dissociatæ fuerint in ventriculo, & in orbem sanguinis convectæ, ingentem etiam globulorum multitudinem inficere queunt, stuporis minus concipere debent. Quod hujusmodi resolutionem docent Chymici sulphurea corpora per se ad illum satis esse disposita, testante hoc ipsorum inflammabilitate; & *Wdelius Amænit. Mat. Med. L. 4. sect. 2. c. 15. nihil est, inquit, tam diffusivum sui, ac sulphur alas adeptum, seu sal volatile oleosum, sulphur volatile exemplo moschi, quod plus millesima sui parte odoriferum est ad g. j. datum etiam interius:*

nunquam non prodest volatilitate sua? Quamobrem haud est mirabundum, ex unico opii granulo similarium atomorum myriades excussæ totidem sanguinis globulis fucum facere pergant. Nec mirum insuper videri debet, quod sic delibuti illi, quasi vernice quadam, aut glutine illaqueentur quodammodo ac removentur; proprium siquidem hoc est corporum sulphureorum; & hinc porro constat vis opii stupefactiva & somnifera: dum videlicet narcotico sulphure oblinita eadem sanguinis portione globulosa impeditur sensatio, utpote quæ in illa peragitur per minimos sensibilium corporum contactus, & præterea tollitur motus progressivus obnubilato sensu, & mente propter hujusmodi obnubilationem ad reflectendum supra aliquod ex suis judiciis inepta reddita: unde est porro, quod ista internarum & externarum perceptionum vacua cum sit ad normam sanguinis quieti indulget ac somno. Haud absimili modo operantur Hyosciamus, Solanum furiosum, & hujus classis alia somnifera; sed quoniam hæc uti minime præparata particulas suppeditant paulo fixiores, ita hæ deinde sanguini affricatæ imagines exhibent diversas, & imprimis quidem jucundas. Retulit mihi quidam fide dignus Philosophiæ & Medicinæ Doctor celeberrimus D. Ernestus Raymondi, quod Mondoliis illi acciderat, ut rusticana mulier acetarium ex comis hyosciami, qui ibidem copiose luxuriat, verno tempore composuerit, quo comesto cuncti indifferenter pueri, senesque, mares ac fœminæ denudatis corporibus saltillare ac vociferare non desierunt, quo somno correpti hic illic omnes se humo dederunt. Jussus etiam a Magistratu composuit pulverem ex seminibus ejusdem hyosciami inspergendum pulti una cum pipere ad dementandum juvenem plus viginti criminum capitalium reum, & qui nullo unquam artificio deprehendi poterat ob pedum celaritatem, animique immanitatem. Suscepto jusculo & insuflato tabaco cum opio admixto denudato corpore in prato, ubi cænam ab infida, sed pro tali abs se minime habita muliere allatam assumpserat, armisque abjectis, saltare pariter indesinenter accepit is, inque carcerem prius conductus fuit currui impositus, quam, ut a dementia sua, qua nempe sonos cantusque se percipere asserebat, cessaverit.

verit. Adverti nihilominus ab electuario Boyleano, cujus basis est idem hyosciami semen. hæmoptoicos larvis tristissimis fuisse vexatos. Quamobrem circa effectum ejusmodi seminis etiam constitutio sanguinis est attendenda, ut supra innuebamus.

Restat igitur, ut videamus, in quo consistat actio effluviorum ejusmodi somnifera. Nos dicimus consistere in hoc, quod vel propter figuram hamatam, vel propter spissitudinem detineant atque obnubilent globulos purpureos M. Sneæ argumento sumpto etiam ex capitis gravitate, quam usus opiatorum plerumque post se relinquit. A tali itaque velut illaqueatione & obnubilatione oritur stupor & somnus: siquidem dictis globulis sic irretitis imitans anima proprium instrumentum a motu non desistere nequit ac somno indulgere. Si negas hanc nostram assertionem sub prætextu, quod opium cum sit diaphoreticum, non posset sudorem excitare, nisi M. Sneam in motum cieret solito validiorem, urgeat contrarium. Quippe a validiori motu subtrahitur, rapiturque humor ad poros cutaneos alias deferri solitus, rapiturque in venas; dum e contra ab imbecilliori sibi relinquitur idem, accipitque ad extremas arterias adeundi potestatem. Sic in acutis febribus, quando motus sanguinis intensus est, vix expectandus sudor, secus quum remittit. Quare nec infimo loco inter deliriorum causas poni mæretur fuliginum retentio monstrantibus hoc febribus intermittentibus, in quibus deliria sedari incipiunt, quum diaphoresis inchoatur.

Redeundo ad deliria, quod phrenitidem, notum est nil æque motum sanguinis cohibere, salinas particulas obtundere, adeoque ejusdem sanguinem refrigerare posse atque opiatica, & hæc tamen multis nominibus suspecta esse in eo affectu, imprimis autem ob fumositatem, qua deinde sanguis magis aggravatus si non soporosum aliquem affectum inducit, insolentius quam antea excandescere pro more habet. Quo non obstante nemo etiam dubitat, quin conveniant externe adhibita, præcipue sub hac formula.

℞. Capit. papav. alb. cum semin. contus. ℥. iv. fol. salicis, herb. lactuc., malvæ, viol. a M. ii. coq. in aq. & lactis alb. v. ad ℔. viij. col. dissol. nitri ℥. iv. M. f. decoct. in qua calentissima facta æger immissis pedibus sedeat per horam dimidiam, deinde lectum petat, somnum expectet.

In hoc enim casu pediluvium potentia frigidum & actu calidum suppetias afferre potest; propterea quod sanguinis motum inferiora versus sollicitet; nec tamen eum magis accendit, & conturbat, sed potius e contra refrigerat & sedat. De facto plures extant historiæ de Phræniticis, qui sola natatione & immersione in aquam simplicem fuere curati. Confer *Æginета Paulus*, *Thomas Willis*, *Daniel Wincleruѕ*, alii. Et quod refrigerantia interna, quomimus composita hæc sunt, eo etiam sunt laudabiliora metu partium licet oleosarum in compositis, quæ in salinas irritantesque moleculas non raro degenerant: quæ res est, ut ipsum serum lactis lujulatum simpliciter, aut decoctum anagallidis intentioni plerumque satisfaciat.

Pergimus ad vitia motus animalis, inter quæ locum principum assignavimus vertigini. Huic malo qui generale remedium quærunt, laterem lavant, nisi forte ad singulas remotas causas habeant singulare & in ea linea universale. Quum ex ira E. g. cruenti globuli susdeque rotati vertiginem excitant, stercus pavonis V. g. sal succini, & alia hujusmodi quid prosunt? amor potius, aut hilaritas accersenda, ad hoc ut palantes iidem globuli media expansione, quam per hos affectus consequuntur, ad ordinem & pristinum contactum redeant. Item quando abundat phlegma & globuli constricti sunt, ut in senibus & melancholicis, cathartica magis conveniunt & remedia constrictionem illam tollentia, imprimis vero lætitia, crocata & cordialia, quam aliud quodlibet specificum: at si ab inanitione procedat vertigo, vel ex defectu substantiæ globulosæ, occurrendum est his cibo euchymo & eupepto, &c. In Epilepsia omnem fere paginam implent pituitam inciden-

tia,

tia, non eam, inquam, pituitam, quæ in primis viis ſtabulatur, & malo hyſterico vel hypocondriaco, aliiſque affectibus flatulentis & convulſivis dat anſam; ſed quæ globularem ſubſtantiam obſidet, quæque occaſione aeris plus ſolito compreſſioris, aut alicujus menſtrui ſalini in turgeſcentiam acta, dum per carotides internas pellitur in duram meningem efficit, ut hæc contumaciter elevata epilepſiam pariat, prout diximus ſuo loco. Quæ ergo incidunt hanc pituitam ſunt epilepſiæ remedia appropriata. Hujus claſſis plura ſunt, mihi tamen nunquam defuerunt ſequentia: videlicet præmiſſo ſtatim a paroxiſmo vulgari vomitorio, imo, ſi opus erat, poſt ſingulos inſultus repetito, has pilulas exhibebam:

℞. Cinnabar. nativ. in alkool. redact. cran. human. (quod ideo apponebam ſaltem ne a vulgaribus ſpecificis omnino abhorrere viderer) a ʒ. ij. caſtor. ſal. ſuccin. a ʒ. j. f. pulv. exquiſite tenuis, cui adde ol. majoran. g. xij. balſam. peruvian. ʒ. j. ſyrup. de pæon. comp. q. s. contundenda in mortario elaboret. in maſs. pilular. pro 24. doſ. M. & Veſp. ſumend. h. j. ant. paſt.

Singulis vero quinque diebus matutino tempore intercalabam bolum mercurialem hujus deſcriptionis.

℞. Mercur. dul. pul. ℈. ß. extract. Rudy g. xv. Ol. Garyophil. g. j. cum s. q. conſ. roſ. f. b.

Prius remedium potiori jure locum ſibi vendicat etiam in convulſione flatulenta, ni forte relicto cinnabare nativo carminantia aliqua ſubſtituere malis, nempe ut in his pilulis ad imitationem *Sylvii* præſcriptis.

℞. Gum. ammon. col. ℈. ij. Myrrhæ, ſuccini, maſt. a ℈. j. Oliban., croci caſtor. a ℈. ß. ſal. mart. ad albedinem calcinat. ʒ. ß. Ol. nuc. moſchat. g. viij. elix. propriet. q. s. f. pil. n. 40. doſ. pilulæ v. bis in die vacuo ventriculo.

Fla-

Flatus enim discutientia non distinguuntur a pituitam incidentibus, inquit *Riverius*, & recte: nam prout vidimus suo loco, flatus generantur quando pituita conquassata in bullas elevatur. Quæ igitur pituitæ viscididatem corrigunt, flatuum parentem confodiunt. Quod si porro id remedii genus in forma sicca non placet, inque paroxismo hysterico aliud desideretur, usurpari poterit hujusmodi tinctura.

℞. Castor. opt. ℥. ß. succini flavi in tenuiss. polinem redact. croci a ℥. ij. flor. recent. lil. convall. ʒ. j. his affunde sal. volat. sudorif. mox describendi ʒ. x. digerant. absque calore per 6. dies in vitro clauso, postea filtretur tinctura, vel decantetur a fæcibus.

℞. Spir. theriacal. camph. spir. vitriol. volat. sulph. rectif. ad ℥. iij. spir. tartar. spir. sal. armoniac. a ℥. ij. ß. M. digere simul 3. dies in M. B. deinde destillentur fere ad siccitat. Spiritus arcte in vitro clauso reservetur.

Cæterum quæ in febribus malignis intentantur, vel jam sæviunt convulsiones revellentibus & diaphoreticis expugnari postulant. Inter priora emicant externa, de quibus postea; inter posteriora decoctum sequens.

℞. Rad. serpentar. virginianæ, vel hujus loco rad. contrayervæ contus. ℥. vj. coq. in aqu. font. ℔. j. ad ℔. ß. colat. & magmati residuo affunde denuo aquæ ℔. j. rursum coque (sub medium coctionis addendo coccinellæ ℥. ß.) ad. ℔. ß. cola iterum: utrasque colaturas misce, iisque dissolve calide & clause theriacæ venet. ℥. ß. mellis ℥. j. col.

Exoptatissimum hic sisto alexipharmacum nullique secundum, inquit *Fuller*. Cruorem enim & succos in vasis & visceribus fluentes velut novo fermento inspirat, & in æquabili mixtione servando a coagulatione & putredine vindicat. Veneni particulas agglomerari cœptas blanda agitatione ab invicem

cem dissipat, & a maturatione impedit, deindeque sanguinem occupando ejus globulos adeo erigit & firmat, ut vel a caracteris venenosi impressionibus omnino tueatur; vel si miasma actu jam cruorem affecerit, ab amplexibus illud potenter abripiat, & per diaphoresim foras amandet. In Febribus continuis & mali moris exhibeo ad cochl. ij. vel iij. tertiis horis. Absente vero Febre si convulsivi morbi sint idiopathici, h. e. in cerebro ipso & nervorum origine ordiantur, convenit laudanum liquidum nervinis maritatum, V. g. sub hac formula

℞. Aq. ceras. nigr. ℥. iii. pæoniæ comp. Syrup. pæon. comp. a ℥. ß. tinctur. castor. g. xxx. laud. liq. g. xv. cinnabar antim. ℈. ß.

Laudanum quippe laxando vias efficit, ut serositas ibidem stagnans alio derivetur, quo nimirum eam impulerint nervina: sympathetici vero si fuerint, a mera scilicet humectatione aut irritatione (propter humores acres alicubi in visceribus delitescentes, flatus, vermes, aut dentitionis cruciatus) excitati, licet aliquid boni, ad præsentem nimirum explosionem disflandam apportet, remedia tamen principalia aliunde (pro causarum varietate esse desumenda nemini non liquido satis manifestum esse potest. Ad curationem propinetur, si quo modo possit in ipso paroxismo, vel statim eo finiente; ad præcautionem, vesperi per triduum ante lunationum tempora. Ad Paralysim conducunt phlegmagoga, quo titulo non tam purgantia, quam diuretica & diaphoretica salutantur. In purgantium censu reponi possunt pillulæ de Succino *Cratonis* cum stimulis appropriatis, vel bolus mercurialis jam descriptus &c. Diaphoreticis autem internis haud multum fiderem, quod sanguinem agitando pituitosam colluviem in cerebro depositam augere queant, non educere: externa haud ita sunt suspecta; & denique Diuretica omnia in hoc casu palmam cedunt isti.

℞. Sem. sinapi integri ℥. iv. ponantur in lagena vitrea cum seri lact. destillat. ℔. ii. post tres, quatuorve dies depromatur ad usum; & quoties haustus exprômatur, toties

toties lagena aqua lactis iterum repleatur, idque eo usque repetatur, donec semen fuerit effoetum & exhaustum.

Potentissime quippe, & ultra fidem urinam movet, adeoque paralyticis non solum, verum etiam hydropicis, arenulosis, scorbuticis convenientissimum est remedium. Succurrunt denique apoplexiæ spirituosa, nempe quicquid jam satiscentem sanguinis elaterem instaurare ac restituere aptum est spiritus imprimis sal. armoniac. cochleariæ, lavendulæ comp. & castorei. Magis extemporaneum si exoptas, minimoque cum palati offenso parabile medicamentum,

♃. Sal. volat. C. C. ℈. ß. Sal. succini g. v.

Vini malvatici, vel alius cujusvis maxime generosi ℥. ij. Ol. nuc. Mosch. g. ij. Mosch. g. j. Sacchar. albis. q. l. M.

Hinc etenim præterea discet is, quomodo minimo cum palati offenso in ægro præscribi possunt salia volatilia sola apta Sanguinem grumescentem dissolvere hoc est lympham globulos ejus involventem incidere, lentescentem liquare, stagnantem commovere, & urinam ciere. Nil referam de aqua magnanimitatis, spiritibus apoplecticis &c. ut quorum actionem in sanguinem immediate exseri vix est qui dubitet.

Antiapoplectica remedia conveniunt etiam morbis soporosis, quoniam scilicet horum causa defectus videlicet motus in sanguine coincidit cum satiscentia elaterismi in eodem sanguine. Ergo pituitam revellentia & elaterem istum conciliantia sunt dictis morbis appropriata. Sed de prioribus *in fine:* posteriorum actio metienda est ex febre, quæ comatosos & lethargicos affectus nunquam non comitatur; & hinc febrem expugnantia i. e. quæ motum sanguinis irregularem ab etherogeneo aliquo fermento inductum compescunt in iis affectibus usuvenire debent, nempe diaphoretica corroborantia, ut quæ sanguinem grumescentem dissolvunt, lentescentem incidunt, stagnantem commo-

movent, fæculentum depurant, globulosque ejusdem labascentes aut prostratos exsuscitant, cujusmodi est, quod mox descripsimus. Alias, absente febre, exoptatissimi ad affectus soporosos auxilii est pulvis majoranæ compositus sub hac formula

℞. Herb. majoran. flor. stæchad. a g. v. Nuc. mosch. g. iij. Sem. Sinap. g. ij. Olei Sassaphras g. j. M. f. Pulvis.

E converso contra vigilias nimias faciunt somnifera, h. e. sanguinem incrassantia, diluentia, ejusque motum compescentia, ut cuilibet non ignotum est. Quicquid sit, ex dictis facile comprehendi potest in facto læsarum animalium functionum, quæ his opitulantur pharmaca respicere directe sanguinem in motu vel substantia labefactatum: in motu propter seri utriusque, viscidi nimirum & aquosi, copiam aut inopiam, crassitiem aut tenuitatem, salsedinem, aliamve qualitatem: in substantia vero, quando iidem globuli vel deglabrantur a salinis spiculis, vel constringuntur, aut dissolvuntur &c.

Idem judicium esto de remediis, quæ fatiscentibus vitalibus, hoc est functionibus, opitulantur. Nam cur syncopem discutiunt apoplectica, cordialia, aut cardiaca, nisi quia vel torpentem sanguinis projectitium motum excitant; vel ejus globulos e compedibus, in quas paulo crassior lympha eos conjecerit, liberant, pristinæque restituunt expansilitati; vel denique salia eosdem globulos configentia dissipant? Tyrones, qui me selectiores receptas ad præcipuos saltem morbos ut hic exhiberem vellem, sunt deprecati, præter traditas paulo supra, ubi egimus de viribus apoplecticorum, habere possunt sequentes.

℞. Ol. garyophil. g. xxx. Ol. succini g. vj. anis. g. iv. M. Dos. ad g. iv. vel v. in haustulo vini instante languore. Addi possunt g. v. aut v. Spir. sal. armoniac.

℞. Mosch. g. vj. Cinamom. nuc. mosch. a ℈. j. Garyophill. croci a ℈. ß. Confect. alKermes q. s. f. Pil. pro 3. dos.

Species diambræ ſumme etiam proſunt ad g. xv. exhibitæ, quoniam earum miaſmata volatilia præter quam quod ſanguinem alliciunt ad motum progreſſivum, ejus globulos etiam abſtergunt, ut liquet ex hilaritate, quam ambra conciliat interne aſſumpta. Nil dicam de remediis Leypſichiam, leipothimiam animique deliquium ſolventibus, quoniam inferiores ſyncope cum hi ſint morbi, non niſi præcedentibus remediis, in gradu etiam remiſſiori, exſolvi poſtulant. Cachexiam quod nunc reſpicit & Plethoram, quorum altera ſanguificationi læſæ debetur, altera ſecretioni, remedia utrique convenientia eo contendere, ut depreſſum inteſtinum globuloſæ ſubſtantiæ motum relevent ſubducta ſarcina tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Neque enim purgatione in priori, S. miſſiones in poſteriori alium in finem præſcribi conſueſcunt, niſi ut iidem globuli aſſerti in libertatem naturalem ſuum elaterem exerceant, & ita chyli concoctionem ſecundariam, humorumque ſecretionem more priſtino expediendo ſolida & fluida ad naturale æquilibrium reducant. In cachexia qualicunque tam incipiente ſcilicet quam inveterata, cum & ſine febre (quæ alias nunc hypocundriacam ſimulat, nunc hecticam &c.) feliciter uti ſoleo ſequenti pharmaco.

> ♃. Croci mar. aparient. ℈. j., Rhabarb. el. pulv. ℈. ij. cum ſ. q. Syrup. de cich. comp. f. Pil. C. M. quæ deinde doſis pro re nata minui & variari poteſt, ſumendo E. g. alteram medietatem h. i. ante prandium, alteram pari tempore ante cænam &c.

Non ſum neſcius, uti *Thomas Sydbenam* toto illo ſpatio, quo chalybeata ſumuntur, a catharticis omnino abſtinendum eſſe contendit, quia chalybis vires a cathartico infringuntur; & quando id palmarium illi ſit, ut ſpirituum ſyſtema redintegretur, firmeturque, quod toto vix octiduo reſuſcitetur chalybis ope, cathartico vel tenuiſſimo exhibito die unica rurſus demolitur. Et haud illi dubium eſt quin etiam aquæ minerales ferreæ purgantium intercalatorum uſu minus reddantur efficaces. E contra vero pauci non adnotarunt effectus ſatis felices

lices ex chalybeatis & catharticis simul maritatis evenisse; (nec memini chalybeata sola alicui unquam profuisse) ideoque difficultas illa tota provenit ex præjudicio de spirituum resuscitatione, in qua secundum eundem Authorem consistit operatio chalybis. Sed mera hæc est hallucinatio: Et forte ratio est ista, quod actio chalybis non consistit in spirituum redintegratione & consolidatione, sed potius in cruentorum globulorum saburra lymphatica obreptorum absterſione & mundificatione; ad quam vis cathartica etiam requiritur, ut videlicet illi e limo, in quo jacent obruti exturbentur & excitentur; atque huic opinioni constans Medicorum praxis suffragari, & fidelis experientia semper adstipulari videtur: siquidem plerique norunt actionem chalybis incisivam & attenuantem consistere in divisione & attritione phlegmatis viscosi M. Seam obsidentis. Quod si porro ab usu chalybis hilares ac vegeti conspiciuntur ægri (unde & ego pilulas mox descriptas pilulas hilaritatis vocare consuevi) hoc inde fit, quod globulis sanguineis ab amurca illa & fæculentia liberatis dum hi ad pristinam redeunt expansilitatem anima itidem expandendo se se lætos abit in affectus. Mitto, quod rhabarbarum ratione porositatis suæ insigne pariter globulorum sanguinis est abstersivum. Errant itidem, qui chalybeatis illud tribuunt, ut in tota massa fermentationem accendunt, adeo ut quæ globulorum rubrorum ob penuriam fere pallebat, sensim fiat coccinea, rutilans, spumans: insuperque & quæ ob semicoctam pituitam ubique obstructiones figentem inæqualiter, hic raptim, illic lente circulabat, jam libere & vivide per minimulos usquequaque canaliculos fluens refluensque omnibus corporis particulis nutrimentum, calorem & vitam benigne impertiat. Non enim opus est hoc fermentationis, sed globulorum a compedibus, quibus detinebantur coerciti, liberatorum absterſorum & elateri suo pristino restitutorum; quatenus nempe hi in hoc statu constituti alacriter resiliunt, splendescunt, & hinc vivide lympham dividunt, spumam excitant, incocta concoquunt, cocta in partes secedere faciunt, quoquoversum penetrant nutrimentum & calorem ubique partibus conciliando, secretiones promovent, & excretiones &c. Confer. alibi cit. Idcirco nec audiendi sunt, qui ajunt, quod

si ea sit sanguinis conditio, ut juvenilis illius fermentationis omnino sit incapax ob principia ejus inveterata, frustra tunc a remedio tam generoso & præpotenti multum adjumenti sit expectandum. Adest namque in contrarium experientia de senibus cachecticis anorexia & virium prostratione vexatis, qui subsistere non potuissent citra quotidianam unius ex pilulis jam descriptis, & quæ proinde menstruatim juxta numerum dierum conficiebantur. Hoc ergo remedio appetitus & vires Senibus illis restituebantur; & si duobus aut tribus diebus ab illo quandoque abstinuissent, in angores pristinos recidebant: tantumque abest, quin chalybs fibras attritas tonum laxatum, meatus collapsos, & machinæ corporeæ statum ruinosum deijceret, ut potius quandocumque non insumebatur, alvus magis laxaretur, crudiora egerentur, quam pridem, quum assumebantur.

Reliquæ cachexiæ, ut Serosæ, Biliosæ, Scorbuticæ, non tam ad Hæmatosim, aut Coctionem, pertinent maxime ad Excretiones, & Secretiones læsas. Hinc ad illas propulsandas præter chalybeata conferunt itidem evacuantia, scil: Purgantia, Diuretica, Diaphoretica, necnon Attenuantia, Depurantia, Dissolventia, Aperientia; quæ pro partis obstructæ ratione vocantur etiam Icterica, Hepatica, Scelotirbica, Splenetica &c. aguntque ex eo, quod sanguinem, ejusque partis constitutiones in effervescentiam quandam incitant, adeoque comminuunt, dividunt, & huc, illuc rapidius adigunt, ut coagulationibus, & concretionibus quibusque inhibitis feculentiæ & impuritates omnes facile abscedant, inque propriis emissariis depositæ foras convehantur. Ita effluvia vaporoso in habitum corporis, recrementa serosa in renes, biliosa in hepar, aliaque in alia emissaria, quibusque adaptata sine impedimento aut adhæsione secludantur. Diureticorum proprium est globulosam stimulare lymphaticamque sanguinis substantiam eliquare: quo fit, ut glandulæ intimioresque corporis recessus expurgentur, particulæ lympham figentes incidantur, urinaque ad magnum seri alveum invitetur. Triplicis autem ordinis recensentur: acria, quæ & calida vocantur; acida, quæ frigida, & balsamica oleosa. Calida renes irritant, mucum & arenulas exterminant, urinamque potenter ciant; verum in febrili diathesi & scorbuto, aut quoties in

paro-

paroxismo nephritico gravis adest renum incalescentia & dolor, ab hujusmodi calentibus & stimulantibus omnino abstinendum est, ne membranæ scil. & ureteres in spasmos & constrictiones fortiores adigantur, atque ita arenulis & calculo descensus penitus intercludatur. Acida diuretica quoniam sola lympham muriaticam fundunt, & in serositates præcipitant, uti cum acidum lacti ebullienti instillatur, videntur sola diureticorum nomine promæreri; cum tamen sanguinem ad motum non alliciant, potius retardent, sequitur ex hoc, quod eorum actio non omnibus, nec etiam quibusvis ex æquo contingit. In constitutione sana, aut non multum ab ea remota globuli sanguinei per se satis sunt elastici, nec propterea ad motum ullo stimulo egent: in affectibus vero catharrosis & in quibusdam hypocundriacis, ictericis aut scorbuticis, quia iidem globuli inter muccos & cænositates plurimum sunt inviscati, acida non conveniunt, imo nocent, ac propterea cum senes urinariique meatus arenulis, mucco, sabulis farti sunt. Postremo Diuretica Aromatico-oleosa ex eo potissimum operantur, quod ob volatilitatem, tenuitatem, caliditatem renes & uretheres, detergunt, confortant, & ad munus suum defungendum hortantur; & stimulant, adeoque, modo nec febris adsit, aut in organis urinæ inflammatio, aut ulcus, locum habent maxime in arenulis, ad sabulum & muccum vias urinarias obstruentem amovendum, & ita ad urinæ cursum vindicandum. Diaphoreticorum vires consistunt in vapore quodam actu vel potentia calido, indeque apto sanguinis elementa (si globulos excipias) fluxilia reddere & ad motum concitare. Primi generis sunt potiones calidæ The, Coffe &c. secundi Cardiaca, Antiloimica, Alexipharmaca, & reliqua volatilia. Excepi substantiam globulosam, quia hæc pariter in motum adacta tantum abest, quin obtineatur Diaphoresis, ut potius tota massa in motum abrepta nihil ad cutem emandetur. Quamobrem in febribus quibuscunque malignæ prosapiæ inflammatoriis &c. quoties diaphoretica indicantur, peropportunum est hæc opiatis associare; sic enim remoræ globulis injiciuntur, & diaphoresis feliciter succedit. Confer. *loc. de Narcoticis*. Denique Hepatica, Splanchnica, Scelotyrbica, & alia hujusmodi obstruentia eadem una collimant, scilicet ut

(quem-

(quemadmodum supradictum est), sanguineos globulos depressos & inviscatos exaltent, in partes secedentes remisceant, & constantes accelerent; hoc enim facto saburra scorbutica, vel atrabilaria in mesenterio, liene, hepate, utero, vel habitu corporis deposita & obstructiones figens dissolvitur, pori & succorum itinera aperiuntur, deterguntur, & tranabilia redducuntur; denique circuito per minimos machinæ humanæ meatulos liberior vindicatur, & commode ut obeantur efficiunt. Id tamen observandum in hisce cachexiis, quæ nimirum ab impeditis cum secretionibus tum excretionibus natales trahunt; esse obstructiones has alias aliis magis universales, alias aliis magis fortes & inveteratas: dari propterea gradus in aperientibus deostruentibus; & quoniam bilis omnium secernibilium fixissima & tenacissima est, requirere potentiora V. g. radicem curcumæ, succum chelidoniæ major. &c., quæ insuper choledocorum pororum diametro præ cæteris fortasse melius adaptantur, reliquos vero humores puta lienarem, pancreaticum, mesentericum &c. quia serosi, magisque idcirco fluxibiles perhibentur, exigere minus valida. Receptæ magis usuales si optantur, en exempla.

℞. Rad. curcumæ, rub. tinctor. a ℥. j. herb. chelid. maj. cum toto mp. ij. coq. in aqu. & vin. malvat. a ℔. j. ß. ad 3. part. consumpt. col. adde tinctur. croci cum aqu. therracal. parat. ℥. j. Syrup. de 5. radic. ℥. iij. M. prægressa debita catharsi exhibeant. bis in die ad Icterum & Hepat. obstructionem.

℞. rad. curcumæ contus. ℥. j. Spicæ nardi, Rhabar. a ℥. j. semin. fraxini ℥. ß. herb. agrimon. catherac. a M. j. coqu. in aqu. lib. iij. ad 3. part. consumpt. col. add. elixir. propr. tartar. ℨ. ij. Spir. cohlear. ʒ. ij. Syrup. e 5. radic. ℥. iij. C. ut supr. ad Splenis aliorumque viscerum abdominis obstruct.

Hinc satisfactum videtur duabus indicationibns, quarum altera est de Cachexia serosa, icterica, lymphatica emendanda; altera de obstructionibus tollendis & secretionibus adjuvandis. Contra

tra

tra diathesim scorbuticam valent depurantia, h.e. quæcunque fixas moleculas salinas in sanguine luxuriantes eliquant, indeque per sudorem & urinam eliminant. Duplicis proinde ordinis statuuntur Antiscorbutica nimirum calida & temperata: illa respiciunt sales magis fixos, hæc magis volatiles; utraque sunt satis nota. Arthriticam denique intemperiem refrenant eadem invertentia, scilicet scorbutica, aut quæcunque paria sunt fibrillas laxatas restituere, salia fermentescibilia subigere ac per urinam educere, papseosque idcirco & Chyloseos munia juvare. Quid vero dixi denique!, cum intemperierum, sive cachexiarum tantus sit numerus, quantus videlicet temperamentorum; & ut ab animi passionibus, ingenio, indole, moribus, ætate, sexu, institutione &c. comparantur ista, scilicet temperamenta, ita contrariis de causis distemperamenta proveniant. Nihilominus maximo summi Numinis beneficio innumeris essem remediis sanguinem purificantibus, alterantibus, invertentibus provisum, & tot intemperierum diversitatibus. Sufficiat itaque indicasse quæ ad ejusmodi cachexias propulsandas, vel corrigendas conducunt; Cæterum ad pituitam crassam tenacem visceribus, pulmonibus, vel habitu corporis delitescentem, varias obstructiones diathesimque ædematosam, catharrosam, pthisicam, paralyticamve inducentem potenter attenuandam & eliminandam aliis quibuscunque palmam præripere videtur hoc remedium.

℞. Passul. fol. exacin. rad. ireos florent. a ℥. j. rad. enulæ, calami aromat. a ℥. ß. sennæ ℥. ij. agar. ℥. ß. herb. marrub. albi, Satureiæ, hyssop. hederæ terr. M. j. zinzib. ℨ. iij. nicotian. sicc. ℨ. j. aq. f. ℔. ij. ß. aceti lib. ß. coq. ad lib. ij. sub finem adjiciendo semin. anis. ℨ. ij. Col. adde Mell. lib. ij. coq. iterum ad consistentiam diligenter despumando. Dosis ℥. iij. ß. singulis, vel alternis diebus, prout opus fuerit.

Hoc remedio nunc, dum hæc scribo feliciter usus sum in cura pro quadam Nobil. Comitissa, quæ primo simplici, tum duplici tertiana ac tandem continua febre vexata cum terrifi-

cis

cis ſymptomatibus, ſubdeliriis, Aſthmate, Leucophlegmatia &c. illius ope ſola intra quinquenium aut ſeptennium ſanitati integræ reſtituta eſt. Quæ vero nulla præcedente febre obveniunt cachexiæ, cum a depreſſo ſanguinis elatere (cujus ratione ſecundæ non fiunt concoctiones) ortum ſuum trahant, hoc eſt ab impuritatibus in tota maſſa luxuriantibus, cujuſmodi ſunt particulæ ſeroſæ, bilioſæ, atrabilares, torridæ, ac ſcorbuticæ propter nimis butyroſam chyli ſubſtantiam in ſanguinem invectæ, indeque parum aut minime ſubactæ; eæ, inquam, cachexiæ quamvis ob earundem particularum irritationem a motu ſanguinis irregulari & efferveſcentia, verbo febre raro ſint immunes, quoniam tamen ſymptomatica fere eſt hujuſmodi efferveſcentia, raro etiam phlebotomiam poſtulant, & niſi hæc a menſium ſuppreſſione &c. indicatur. Secus enim aut ſerum educentia, impuritates attenuantia, Anteicterica, Scorbutica, Splanchica imprimis vero, & in ſpecie chalybeata catharticis adjuncta ſcopo Medici ſatiſfaciunt V. g. ſub hac formula; Confer. modo dicta,

> ℞. Gumm. ammoniac. puriſſ. in granis, Aloes lucid. a ʒ. vj. Chalyb. cum ſulph. pp. ℥. v. Ol. garyophil. & aniſ. a ℈. ß. Elix. prop. tartar. q. ſ. f. Pil. Maſ. de qua cap. ſingulo M. ʒ. ß. ad ℈. ij.

Vel ſi agatur de Chloroſi in fœminis, in quibus uteri vaſa mucco infarcta & a muniis feriantia aperiri & ſtimulari debent hoc modo præſcribi poterunt:

> ℞. Aloes ℥. ß. ſennæ ʒ. ij. aſſæ fœtid. galban. myrrh. a ʒ. j. ſal mart. ʒ. vj. Macis, croci a ʒ. ß. Ol. ſuccin. g. 40. Syrup. e flor. perſ. q. ſ. f. M. pil. pro 40. doſ.

Quod antiplethorica, iſtorum actio paucis eſt ignota: quare pergimus ad febrifuga. Eſt febris, ut alibi dictum fuit, vitium ſanguinis in motu; hinc motus hujuſmodi exceſſum tollentia vel defectum pro febrifugis haberi debent. Exceſſus no-

tatur

tatur in febribus tam continuis, quam intermittentibus; defectus in hypocondriacis, melancholicis & in quibusdam catharralibus. Excessum cohibent acida & amara: illa, quoniam lympham inspissando motui globulorum obsistunt; hæc, quia stimulos ad motum, salia videlicet eosdem globulos irritantia invaginant. Nec putandum est alium febrifugorum esse effectum, cum ex praxi liquescat nonnisi acida (quo nomine veniunt incrassantia) nec non amara, sub qua cathegoria comprehenduntur absorbentia, alKalica, styptica i. e. volatilia & fixa voto medentium satisfacere. In febribus intermittentibus primum indicatum universale ad compescendum sanguinis motum dubio procul est V. S. maxime in Tertianis. Hinc D. Joh. Ruellius Practicus Saliciensis celeberrimus & Amicus honorandus plures observationes haud gravatus est ad me mittere, rationesque ob quas contendebat S. missionem ante vel in ipsa febris exacerbatione celebratam esse summe proficuam. Ego autem, quod tutiora, potioraque remedia Praxis mihi suggesserat, id tentare nolui, conscius nihilominus sum, quod in Constitutionibus quibusdam æstivis Epidemicis cum in oppido Podivarini, ac aliis etiam locis, prope nunc ergo Hypporedienses plus ducentum Tertianariis quotidie assiderem, & Phlebotomia singulis præscriberetur, Chirurgi tot ituum & redituum pertesi cunctis indifferenter venam secabant in & ante accessionem febris; scioque plures ex hac Chirurgica operatione sola a morbo fuisse liberatos. Cæterum in febribus intermittentibus hæc methodus raro, imo nunquam me fefellit. Quoties nempe ex vomendi desiderio, aut conatu, oris amarore, aliisque signis saburra viscido biliosa vel alterius indolis in ventriculo & reliquis primis viis se se ex accidentibus manifestabat, exhibebam in principio aut fine paroxismi aliquod vomitorium, non drasticum, sed sane puta pulverem rad. ipecacuanæ (propter ejus amaritiem & stypticitatem) deinde M. & vesp. persistebam in usu hujusmodi febrifugi

℞. Rhab. elec. pul. ℈. j. pulv. cortic. peruvian. ʒ. ß. ad ℈. ij. Syrup. e flor. persic. q. s. f. Pil. quibus nonnunquam

addebam (majoris ſtimuli ergo) g. aliquot pul. radic. jalap.

Quod ſi nulla ſuſpicio aderat dictæ saburræ, ſtatim a fine (ſecundi utcunque, aut tertii) paroxiſmi, inſtanteque etiam ſudore (in Tertianis quamvis enim tunc ſudare ſoleant ægroti, quoniam haud ita cito operatur hoc remedium, ut ſudorem cohibere valeat) idem pharmacum propinabam in forma humida aut ſicca (prout ægro gratificari opportebat) tanta cum fiducia, ut adſtantibus edicerem proximum paroxiſmum fore mitiſſimum, impoſterum vero nullum aliumve eſſe expectandum. Mirabantur ægri rei eventum, qualem iis interdum prædixeram futurum; prædictione tamen illa fundamentum habente in ſanguineæ craſeos inverſione, humorumque peccantium exturbatione, quæ una ſimul dicti remedii beneficio obtinebatur. Alias adnotaveram tale remedium alio tempore adminiſtratum V. g. poſtquam a tertio paroxiſmo vel leviter cænaſſet æger tumque rem ſe habere perinde acſi nihil ejus aſſumpſiſſet, remedio licet per catharſim operante: imo adverti cathartica intercalari die propinata nocuiſſe, febremque e ſimplici duplicem aut continuam evaſiſſe. Non abſimilia effectum in Quartana præſtant laudatæ pilulæ modo per aliquanto longius temporis ſpatium continuentur, & vomitorium, ſi opus ſit, bis, terve repetatur. Ratio igitur eſt, quia cortex & rhabarbarum ſalia febrilia ita cicurare compereram, ut ſanguis iis imprægnatus, hoc eſt irritantium ſalium expers factus excandeſcere impoſterum & ferocire deſineret. Habes exemplum ita cicurati ſanguinis ex narcoticis, quæ in febribus ardentibus, continuis & malignis ita cum fructu aliquando adhibentur, ut in iis ægri ſalus tota poſita eſſe videatur. Ad Elaterem ergo ſanguini conciliandum maxime in febribus, quum is nondum in ſubſtantia læſus eſt

℞. Aqu. roſ. damaſcen. ℥. iiij. vin. malvat. ℥. iiij. Succ. aurantior. ℥. j. Aqu. Cinamom. ℥. ß. Sacchar. alb. ℥. j. pulv. C. C. calcinat. ℈. iiij. M. Doſ. ℥. iiij. ter vel ſæpius in die

Præter

Præter ſolamen ac ſuppetias, quæ afferuntur ægro, quando præ caloris incendio fere comburitur, ſiti deficit, oblanguetque ſuccurritur etiam eidem hoc remedio, quando recrementa uſtulata, bilioſa acria e ſanguine bulliente in ventriculum ſuffuſa anxietatem & angorem miſerabili modo affligentem concitant. Notabile idcirco eſt Cardiaca ſpirituoſa quam primum in ſtomachum ingrediuntur, imo interdum ore tantum delibata vires ſuas exerere, & cum grato appulſu ſanguinem in extremis vaſibus degentem refocillare, aut inſtaurare; dein ejus continuitate, ac ſucceſſiva partium irroratione & in alia vaſa introductione ruationem quandam in globulos univerſos exhiberi, qua tum præcordia, tum cor præ illorum velut exultantium influxu roboretur, & ſanguis functionum ſuarum munia multo vegetius & alacrius obit. Quare pulſus prius debilis, aut vacillans mox fortius vibrat, & majori cum impetu circumpellitur. Hinc notandum pariter, quod quædam cardiaca, quæ a ſpiritibus vinoſi difflabilis adeo & fugacis, afflato ſolum pendent valde reperiri evanida, & momento labi; atque dein ægrum non obſtante illorum vi rurſus in priſtinos labores recidere; ideoque (ſi communis pateretur mos practicandi) tenuibus cardiacis generoſa electuaria oleis aromaticis ditata, quæ in ventriculo diutius retinere poſſent, ibique gratum ſpirarent, ac pedetentim concidentes globulos erigerent, & exultare facerent libentius ſæpe ſubſtituerem. Ut igitur Cardiaca in ventriculum primario & proprie operantur, illum vi ſua aromatica & calida corroborando & conſtringendo, atque exinde ſanguinis ovationem quandam inducendo, cor languidum reficiendo, vireſque exolutas reſarciendo; ita (quod obiter quoque tandem adnoto) omnia vero ſtomachica in cardiacorum familiam cooptari mærentur. At ſatis.

Circulationi ſanguinis functionum vitalium principi obicem imprimis imponi quantitas ejuſdem ſanguinis in exceſſu, prout in Plethora; Spiſſitudo, coagulatio, fæculentia, globulorum depreſſio, & fatiſcentia, iſtorum defectus, denique quicquid ſufflaminare poteſt cavitatum in corde conſtrictionem. Erunt igitur in hoc caſu eadem indicata, quæ circa morbos cordis ſunt

propria; & 1. V. Sectio ad Plethoram, quæ ut hoc rursus dicam, vulgo dividitur in Plethoram ad vires, & ad vasa, quamvis in re una sit, excessiva scil. seri chylosarumque partium abundantia major & minor: major in plethora ad vires, quando is excessus talis est, ut impediat concoctionem, humorum generationem, horumque secretiones; minor in plethora ad vasa, quando vasa sanguifera duntaxat turgescunt. Ad utramque igitur amovendam Sanguinis missio pro unico præsentaneo remedio adhibetur, sive ea fiat per V. S. sive per Arteriotomiam, scarificationem, aut per hirudines. Prima evacuatio concernit plethoram universalem, reliquæ particularem, ut in Cephalagia, Mania, pororum cutaneorum obstipatione, viscerum abdominis infarctu &c. Contra grumescentiam, spissitudinem, fæculentiam militant Chalybeata, Icterica, Scorbutica &c. quorum operandi modus jam ostensum fuit; interim si occasio urgeat, prout accidit in quibusdam animi pathematibus, V. g. Timore, Mæstitia, propinari poterunt Haustus ad Tremorem, Palpitationem ut dictum, quorum actio jam inservit etiam globulorum depressorum exaltationi, & istorum acritati succurritur Restaurantibus, Cordialibus, aliisque remediis Analepticis. Exemplo sit sequens Electuarium.

♃. pulv. confect. Chocolat. ℥. ij. Conser. rosi rubr. ℥. j. ß. Confect. alkerm. ʒ. ij. opobalsam. ℈. ij. ambr. gris. (sacchar. tantillo. tritæ) g. vij. syrup. capil. vener. q. s. f. Elect. Dos. ℥. ß. M. & quarta pomerid. superbibaturq. jusculum galli, aut gamarorum, vel etiam lact. asinin.

Tandem quod attinet ad fibrarum cordis tonum V. g. relaxatum, vel impeditum, tollitur relaxatio corroborantibus, ac serum subducentibus. Ad motum sanguinis auctum denique compescendum conducunt Refrigerantia, nimirum V. S. serum lujulatum Infusum Rosatum, & his similia plura. Seri & infusi exempla sunt.

℞. Lact. Lib. ij. Aqu. hord. Lib. j. Vin. all. Lib. ß. f. Serum cui incoque herb. Lujul. M. ij. col.

℞. Conserv. ros. rubr. ℥. iiij. Cl. sulph. g. 50. vel q. s. ad idoneam aciditatem, aq. font. Lib. ij. macerentur calide in vase vitreato per noctem, & cola per Manicam.

Hoc infusum illud habet præ priori, ut diarheam præcaveat; alias utrumque hoc præstat, ut non tantum biliosos, acres humores ventriculum misere torrentes, sitimque intolerandam cum languore acerbo excitantes optime diluat, & attemperet; sed & sanguinem ferventem refrigeret, bulientem reprimat, crasse contextum liquet, & recrementa adusta per urinam exterminet. Bibantur vero affatim ad libitum. Hinc relictis intermittentibus, quod febrem attinet ardentem, neminem præterire reor, quod in hac non tantum biliosi acres humores ventriculum sufflaminantes, sitimque intolerabilem cum languore excitantes dilui & attemperari debent & sanguis etiam refrigerari, bulliens reprimi, contextus liquari, recrementa per urinam adusta exterminari. Quamobrem in hac febre non tam conveniunt sitim sublevantia, cujusmodi sunt acida, sed & somnifera, ut modo dicebamus. V. g.

℞. Capit. pap. alb. (sine semin.) ℥. j. concis. coqu. in aq. font. ℔. iij. ad ℥. xxiij. sub finem addend. flor. paralys. sic. ʒ. ij. col. dissol. diascord. ʒ. ij. Syrup. de alth. ℥. iij. Syrup. limon. ℥. j. M. Dos. ℥. iij. vel iiij.

℞. Aqu. pap. rhead. ℥. ij. aqu. sperm. ran. syrup. limon. a. ℥. j. Laud. liq. g. xv. M.

Hypnotica namque & similia pacifica remoram quoque sanguini conjicere consuerunt prout ex dictis de opio liquet. In febribus continuis præsertim remittentibus idem præstant hæc remedia, modo a malignitate tamen hæ sint immunes; in quo casu acida minus conveniunt, quod venenosa miasmata magis

figant:

figant: & fic in malignis alexiteria, & diaphoretica acidorum loco funt fubftituenda, ut decoctum ad convulfion. jam defcriptum, fequens hauftus.

℞. Aqu. card. bened. ℥. ij. ß. Epidem. Theriacal. Syrup. pap. errat. a ℥. ß. antimon. diaphor. ℈. j. Theriac. androm. ℈. ij. M.

Opiata enim fudoriferis optime fociantur, quia fudoris evacuationem plurimum adaugent, atque laffitudinem & moleftiam ægris prohibent. Dein cardiaca & volatilia, opiatis bene quoque adjiciuntur, quia motum fanguinis elafticum, ne narcoticæ plagæ fuccumbat, opportune fuftentant. Econtra in Hectica ufurpanda veniunt incraffantia fcilicet particulas fanguinis falinas efferafque compefcunt ac demulcent, ne per corporis canales impetuofius delatæ pulmonum partiumque folidarum fubftantiam prædentur, aut abripiant: infuper nutrimentum molle & innocuum præbere debent, quale fanguini jam quoad crafim fracto nullas faceffit moleftias. Hujufmodi eft decoctum fequens.

℞. Flor. bellid. maj. Mp. j. limac. mundat. n. v. rad. ering. cond. ℥. ß. hord. mund. ʒ. iij. coq. in aq. fon. ℔. j. ß. ad 3. part. confumpt. col. fumat æger ab ℥. iv. ad ℥. viij. calide addendo lactis tantundem M. & Vefp. loco jentaculi & Cenæ.

Siti in Febre hectica vehementer urgente non incongrue vel juvat hoc deftillatum

℞. Limac. contuf. Lib. iij. mic. panis alb. Lib. j. nuc. mofch. ʒ. vj. herb. heder. terreftr. Mp. j. Ser. lact. ℔. ij. deftill. Quoties volvi hanc aquam non fere omnino frigidam, ante deftillationem adjeci Spir. vin. Lib. ß. vel Lib. j.

Sunt, qui ad eum finem porcellum nondum a lacte depulfum cum fero pariter deftillant, & Extenuatis & Hecticis, Phtyficis mul-

multum prodesse afferunt. Non absimiliter, imo majori cum energia contra febrem erraticam scorbuticam dolores vagos, marasmum & sudores nocturnos operari hoc destillatum

> ℞. limac. cum test. contus. Lib. iij. cort. aurantior. rec. ℥. iij. herb. becabung. nasturt. aquat. ling. cervin. ad mp. iij. Seri lact. Lib. vj. fiat destillat.

Hanc aquam e lacte destillatam non esse (quicquid alii adstruant) meram & sinceram aquam elementarem, hinc (inter cætera) constat, quod diutius asservata acescit. Sic equidem cito solet jusculum (i. e. aqua succis animalibus impraegnata) nunquam vero aqua simplex, licet ævum reponatur. Sed aqua lactis est (prout mea fert sententia) ros quidam animalis nobis congener cruori suppeditantis lympham salinæ aspredinis expertem, mollem & amicam, quæ totam massam diluendo, contemperando & commiscendo eam æquabilius liquidam, benigniorem magisque homogeneam reddit, proindeque quo liberius sanguis circuletur, fervores deponat, partesque nutriat, egregie opem confert. Sunt *Fulleri verba*. Tandem motui sanguinis in defectu opitulantur pilulæ hilaritatis supra descriptæ, in hypocondriaca: in febricula vero catharrali cum edulcorari, maturari, incidi, expectorari debeat materia ad gulam, pulmones, caput derivata magnarum virium sæpe expertus sum sequens infusum quod sic paratur:

> ℞. Aqu. font. Lib. iij. sal. tartar. ℥. ß. croci minutim forcipibus conscissi ʒ. ß. succi glycyrrhizæ in tenues lamellas redacti ℥. j. digere calide & clause 24. horas, & col. Pitissetur calide instar coffe ad ℥. vj. frequenti repetitione ad libitum frigus interim curiose cavendo.

Paravi aliquando illud ex tempore media coctione, nec minori cum successu. In defluxione e gulæ glandulis transudante, vesperi præcipue repetente & molestissima tussi vexante propinetur ad ℔. ß. frigide singulis noctibus lectum ingressuro: in tussi vero pectorali, quæ vel a lympha acri in pulmonum bron-

chia,

chia, aut appendices lobulares perpetim suffusa; vel a materia crassa ibidem deposita obstruente, & aggravante natales ducit ℥. jv. calidissime absorbeantur aurora & vesperi quotidie: in febricula catharrali cum horripilationibus & æstibus se mutuo excipientibus & vage recurrentibus, capitis hebetudine, oculorum rubore, aurium tinnitu, & copiosa tenui narium destillatione stipata, pitissetur calide instar coffe frequenti repetitione ad libitum frigus interim cavendo.

Verum charta prius me deserat, quam ut finem imponerem argumentis ex remediorum operatione deductis, quibus cum probare intendimus hujusmodi actionem motum & sanguinis substantiam directe respicere. Sufficiat paucorum in potioribus morbis efficaciam pernovisse: & interim, ne ex alia parte gratulentur adversarii, quod abs me negari nequeat, quin remedia saltem externa agant directe in fibras, non gravabimur expendere ulterius istorum actionem, & quidem ordine a nobis hactenus observato, nempe incipiendo a sensibus, seu sensoriis.

Inter Ophthalmica externa celebre est hoc emplastrum

> ℞. Pic. burgund. ℥. ß. pulv. majoran. ʒ. ß. Euphorb. g. v. M.

& applicantur nuchæ, vel pone aures, quæro nonne ad humorum effluxum divertendum? ergo non ad fibrarum statim dimotam statuminandam efferatosque in iis spiritus demulcendos. Item in Ophthalmia adhiberi solet hoc frontale

> ℞. Pulv. mastich. thuris ad ʒ. ij. cretæ, farinæ fabar. a ℥. ß. album ovor. conquassat. ol. ros. ad ʒ. vj. aceti q. s. M. in Emplastri formam.

Quippe id cuti strictim adhærendo, carneosque tubulos firmiter comprimendo dictum humorum afluxum inhibet. Nam sciendum est partes circa oculos ita & fabrica constitui, ut quicquid humoris aut e pericranio, aut musculis vicinis depluit, recipere aptæ sint: immo (quod mirum, sed non inusitatum est) ex capi-

capitis contusione lituram lividam sub oculis residere & figi: Inter Acovistica vero laudem meretur hæc mixtura

℞. castor. ʒ. ij. Ol. salviæ, rorismarin. Garyophyl. majoran. a g. ij. M. & hujus g. iij. cotone vel lana exceptæ, in aurem immittantur, & singulis diebus vesperi renoventur.

Multum enim valent contra tinnitum & surditatem, non quod auris internas partes roborent, tympani laxatum tonum restituant, nervum auditorium aperiant, spirituumque commeatum alliciant, ut communis Medicorum fert opinio; sed quia sanguinem vel effætum, vel cænosum, aut alia quadam elateri contraria qualitate affectum vel mundificat, vel exsuscitat; idoneumque subinde reddit, ut phonicas suscipiat impressiones. Alias namque nec dari meatus in nervis, nec spirituum quorumcunque per eos influxum tenent saniorum plerique: & quod partium corroborationem, in specie vero tympani laxati restitutionem, quis non novit, sanguis; cum vegetus factus est & elasticus, liquido illuc appellere, taleque emolumentum adferre solere? Gargarizandi ratio equidem in fibrarum irritatione consistere videtur, sed non totaliter, imo potius muccaginis glandulas ductusque salivales obducentis absterfionem respicit: ad quod facit Verb. grat. Succus pomorum aggrestium cum tertia parte syrup. e rubo idæo, ut qui viscriditatem crassam & amurcam sordidam linguæ & faucibus adhærentem incidit &c. modo ne affectus in erosiones, aphtas, aut ulcuscula degeneravit: in quo casu vix convenit ob dolorem, quem concitat; & sic tunc omnino refrigerantia, humectantia, mucilaginosa, astringentia in usum adsciscí debent. Et quod affectus anginosos, gulæve inflammationes tutius semper duxerim a gargarizatione abstinere; quoniam hac actione humorum defluxionem pellici ad fauces & Œsophagum semper animadverti. Eodem pacto operantur errhina, quorum efficaciam demiratus sum maxime in quodam amico meo D. Francisco Asterio J. V. D. cui cum nares jamdiu se inadvertente fuissent obstructæ, capitisque interea gravedo intollerabilis accessisset, talis, ut cunctos faciei

 muscu-

musculos contraheret, apopleticumque insultum quodammodo minitaret: cumque universalia nec non particularia auxilia tam interna quam externa inutiliter fuissent usurpata, monitus ab uxore, ne marito crederem asseveranti nares se emungere; quod videret strophiala jam a longo tempore velut imaculata, quamvis ob nimium tabaci suffitum arbitraretur id sibi evenire: imo nasi fœtorem abs sese crebro sentiri, sequens errhinum exhibui

℞. Pulv. Euphorb. ℈. ß. Vin. alb. ℥. j. Spirit. cochlear. ʒ. ij. ol. rorismarin. g. iij. M.

Cujus ex bacillo gossypio intecto & intincto matutinis horis, & modo singulis diebus, modo intercalaribus in nares immissione vix credibile est, quantam limphæ specifice tenuis (quasi salivatio per nares mota fuisset) profuse & rivulose, ad Lib. plus quadraginta trium mensium spatio educta fuerit, submotis interim cunctis symptomatibus præfatis, etiam ægro (Deo sit laus) bene valente. Ab errhinis labimur ad Enemata, quæ operantur fibras intestinales sollicitando & consequenter hos canales, arteriasque eodem appellentes emulgendo. Hoc enema *Rulandus* præscripsit

℞. Ol. lini ℥. vj. colocynth. ʒ. j. ß. f. levis ebullitio & colatura,

eo deinde umbilicum bene inunxit, & reliquum per siphunculum injecit cuidam passione illiaca misere cruciato cum præsenti levamine. At vero non temere imitandus esse videtur, quum eæ adhuc patent viæ, ne fibris intestinalibus per se ad inversum motum pronis sursum exprimatur enemà in ventriculum, & vomitionem (quæ ante longe fuit enormis) adeo intendat, ut mortem planissime acceleret. Nihilominus autem, antequam colica in ilicam passionem transiverit, ubi alvus obstinate occluditur, nec tamen motus peristalticus penitus jam invertitur, valde proficuum hoc fere remedium arbitror. Cæterum secundum meam opinionem possunt clysteres non obstante coli valvu-

valvula expurgare non tantum Rectum & Colon, sed & superiora quoque cuncta intestina. Quippe motus peristalticus in inferioribus excitatus & inceptus facillime potest, & solet, usque ad pylorum ipsum continuari; atque eo modo deorsum sollicitentur & exprimantur excrementa per totum tractum intestinalem præsertim iis, qui facilioris sunt purgationis, i. e. qui intestinis donantur facile irritabilibus. Insuper non purgationis causa tantum, sed ad quamlibet intentionem enemata usuveniunt. *Sennertus* (de Phrenit.) in summo virium lapsu, ubi opiata non commode interius assumuntur, clysteribus ea admiscenda monet: & *Riverius* item de Phrenit. pronunciat, quod laudanum opiatum etiamnum in clysteribus usurpatum satis potenter & tutius somnum conciliat, quam per os exhibitum. Fractis quippe viribus in acutis aliisque gravioribus morbis, vigiliisque invalescentibus opiata amplius tuto ventriculo committi nequeunt. Commode præterea præscribuntur enemata ex oleo lini, chamelin. a ℥. vj. ol. scorpion. ℥. ij. ol. terebinth. ʒ. ij. contra calculum & arenulas in ipso paroxismo: Item in cholera morbo aliquibusque in febribus quoties bilis valde acris & copiose suffusa intestinis fervorem doloremque excitat, commendatur istud.

℞. emulf. comm. ℥. x. ol. lil. ℥. jv. sal. prunel. ℈. ij. Sacch. saturn. ℈. j. M. tepide injiciatur.

Præter quam quod enim intestinorum ardorem reprimit, sanguini etiam ræfrigerium creat in venas attractum hoc enema. Sileo cæteras Medicorum in præscribendis clysteribus intentiones. Quoad epithemata, balnea, fotus & lotiones, in ea pariter sum firmus opinione, ut intantum agant, in quantum quod externa hæc introrsum per venas traducuntur. Experimentum est egregium & probatum contra dolores scorbuticos & rheumaticos hoc epithema.

℞. Calcis ʒ. ij. Mell. liquid. q. s. f. mistura s. a unguenti forma super alutam extendenda, parti affectæ applicanda, & quoties exaruerit renovanda.

Quomodo vero discutere dolores illos aptum esset hoc, nisi crasim scorbuticam & rheumaticam emendaret? Supra mentionem fecimus de lotione pedali, ejusque utilitatibus in convulsione; hic vero moneo epithemata omnia, fotus, lotionesque, quas opiatica, acetum, camphora, & id genus refrigerantia ingrediuntur in febribus malignis caute esse adhibenda, ne videlicet eorum vi salinæ virulentæ particulæ magis fixentur. E contra in his febribus eadem comite convulsione perutile semper adnotavi suppedale hoc emplastrum.

℞. Emplastri cephalici, quod sic conficitur ℞. Emplastr. de betonica ℥. ß. gum. caran. tacamach. a ʒ. iij. pulv. balsam. tolut. ℈. ij. balsam. peruvian. ol. capiv. ℈. j. f. Emplast. ℞. inquam hujus emplast. ℥. iij. pic. naval. ℥. ij. pulv. euphorb. ℈. ij. camph. & olei succini a ℈. j. M.

Sanguinem etenim inæqualiter circulantem & magis impetuose versus caput, quam inferiores corporis partes concedentem sic ad has partes determinasse vidi hoc emplastrum, ut pridem coxis & cruribus nullo cum effectu applicata vesicatoria paucarum horarum spatio aperuerit plantis pedum exulceratis fœtentemque saniem deponentibus. Necessarii propterea usus est in febribus continuis, cephalagia, torpore, delirio, vigiliis &c. stipatis. Contra vigilias insuper & capitis dolorem eximie valet hoc aliud emplastrum, si temporibus applicetur, pone vero, vel sub aures, dentium cruciatum tollit.

℞. Carannæ ʒ. j. extendat. super alutam, cui adde in medio opii g. ij. ß. succin. g. iv. M.

Nam quoad dentium dolorem notum est, quod surculi duo arteriæ carothidis externæ sub aurem, maxillam inferiorem ingrediuntur, & secundum ejus longitudinem in omnium dentium radices disseminantur, quibus sanguis ad dentium nutritionem defertur: hisce in vasis lympha acris una cum sanguine ad dentes pervenit, qua illorum membranula exquisite sentiens

in-

interiorem eorum medullam ſuccingens corroditur & vellicatur. Unde dolores illi dentium exquiſitiſſimi ortum petunt. Ab hac igitur arteriarum dentes petentium origine remedia pone vel ſub aures meliori cum ſucceſſu in dentium dolore applicare, quam ad tempora, aut ad alias partes, facile ſuaderi poteſt, inquit *Higmorus*, non vero a nervorum tractu, qui per foramen rotundum cranio exeunt, nec ad dentes, ſed linguam pertinere videntur. In reliquum veſicantia cum humorum inſerviant derivationi, male a quibuſdam brachiis adhibentur in febribus continuis & malignis. Ultimo quoad balnea, fotus & lotiones, ſi hujuſmodi topicorum effectus conſiderentur, minimum horum eſſe conſtat fibrarum relaxationem. Unde igitur cæteri? & anne relaxatis fibris, humectatiſque ſpiritibus intentum balneandi, fovendi, lavandi obtentum eſt? In ſæviſſimis calculoſorum V. g. paroxiſmis, ſummo cruciatu & urinæ ſuppreſſione ſtipatis laudabili cum ſucceſſu uſurpatur hoc fomentum

℞. Rad. apii ℥. iv. fænicul. ſemin. lini a ℥. ij. herb. parietariæ, malvæ, perſicariæ, flor. chamæm. a Mp. ij. coqu. in aqu. ℔. vj. ad ℔. iv. col. diſſol. ſal. armoniac. crudi, vel ſal. prunel. ℨ. ß. Sapon. vulg. ℨ. ij. M.

Dices hoc fomentum minime operari, quatenus conſtat ingredientibus diureticis ſpecifica vi expellendi dotatis; ſed quatenus partim amico calore mulcendo muſculos abdominis & veſicæ propter dolorem & humorum affluxum tenſos & rigidos relaxat & recreat, partimque quatenus eos ſubpungendo & extimulando ad conſuetum conſtrictionis munus redintegrandum provocat. Verum cur thermæ diverſarum facultatum adeuntur, ſi cutem & muſculos tantum relaxant? cur a balneis etiam actu calidis urinæ cientur &c.? Conſtat autopſia liquores corpori ſuffuſos non tam penetrare per laxos cutis poros, indeque tranſire in venas, verum etiam horum ope attrahi illos a corde in ſanguinis oceanum; atque huic opinioni conſtans Medicorum praxis abunde ſuffragatur, certaque & fidelis experientia ſemper adſtipulatur. Oſtendunt hoc præterea vires linimentorum,

torum, facculorum, suffituum & unguentorum. Ad capitis debilitatem, dolorem, hebetudinem præscribi solet hoc linimentum

℞. Ol. nuc. mosch. express. & ol. palm. a ℥. j. ß.
Ol. garyophyl. rorismarin. Salviæ. a ℈. j. M.

Utrum vero externe applicata cerebrum ipsum afficiant, necne equidem dubitatur. Illud enim intra cranium, quasi pixidem osseam, tam omnino & strictim includitur, ut cum pericranio vix ullam habere communicationem credibile est. Ut ut vero ista se res habeat, multi tamen possunt esse Pericranii primario affecti casus, qui externorum usum permittunt & postulant. Atque licet imprimis materia catharri non defluat e cerebro, nihilominus defluxionum origo fere a sincipite & a summo vertice ducitur, prout videre est ex capitis infrigidatione, in qua humor extra calvariam & subter cutim congeri solet, qui per pericranium in adhærentem membranam destillat, ac demum in oculos, aures, maxillam, cervicem, dentem, vulam &c. irruit. Nil mirum vero tenues hos humores ita filtrari vel exprimi, & descendere posse: cum sanguini etiam ipsi, quando ob contusionem & vasorum rupturam ibi suffunditur, meatus sat faciles patent. Ita enim *MecKrem in Epist. ad Barbette*: *In aperto cranio P. Jacobi sententiam Tulpii veram inveni; in vulneribus nempe capitis sanguinem per aures copiose sæpius effluentem a superiori capitis parte sensim intra cranium & pericranium descendere, sicque simul spatium, quod est inter os parietale & petrosum intrare; inde ulterius transcolari in meatum auditorium*. Nec satis, dum si vias a pericranio ad cerebrum ipsum explorare libet, facile deprehenditur; quod cum præcipuus pericranii usus sit sustentare vasa pro cranii nutritione, & vasa cranii cum vasis duræ meningis fere inosculentur, non videtur inverisimile, quod remedia pericranio applicata in aliquota saltem parte ad cerebrum transmandari valeant. Sed his relictis, linimentorum reliquorum actio consistit in liquatione, exagitatione, discussione lymphæ præsertim gelatinosæ minutillos partium transitus ob-

obstipantis, cruoris itinera præpedientis, & inflammationem inducentis, quemadmodum nempe in dolore laterali E. g. operatur sequens litus.

> ℞. Ung. dialthæ. ʒ. vj. Ol. lil., ol. laterit. a ℥. iij. camph. ʒ. ß. dimid. M.

Sed notandum est, in vera interna membranosa pleuritide & peripneumonia nunquam vel minimum opis afferre, quod crassa hujusmodi ingredientia eousque pertingere nequeunt: item in hæmorroidum dolore operatur hic alius

> ℞. Ung. popul. ʒ. ij. ol. ovor. ℥. vj. Sacchar. satur. ℈. ij. Ol. succin. g. xvj. M. cui ego addere soleo interdum mercur. vivi ℥. j. vel alteram cum præfato unguento malaxatam.

Hæmorrhoides enim cæcæ fiunt etiam propter muccosam crassam materiam stagnantem vasa obstruentem & circulationem prohibentem, exindeque necessario tumorem, tensionem, inflammationem, & dolorem excitantem: unde quæ his opponuntur medicamenta indicationi omnino satisfaciunt. Scuta mittimus & sacculos, quod paucos lateat operari hos ratione salium volatilium, quibus scatent ingredientia ad eos compingendos assumi solita. Et quod unguenta, quamvis ob particulas lenes & oleosas emolliant & relaxent fibras arefactas & contractas, ut in Paralysi, ratione tamen aliarum attenuantium, puta balsamicarum & aromaticarum, quæ iis plerumque conjunguntur, humores torpidos & stagnantes, imo ipsum sanguinem quandoque afficiunt illum alliciendo ad motum præsertim una cum frictionibus ex pannis calidis usurpata. Verum hæc sufficiant ad convincendum erroris quotquot adstruunt remedia sive interna, sive externa agere immediate in solida, & per hæc primario in spiritus, deinde in sanguinem. Quod si regerunt experientia compertum esse, quod ex usu remediorum tam evacuantium, quam alterantium homo in lætitiam mo-

do

do in tristitiam, hincque inferunt remedia illa operari directe in spiritus, responsio jam data est, lætitiam hanc aut mæstitiam ex eo provenire, quod actione evacuantium aut alterantium sanguis vel spoliatur particulis, quæ motui ipsius elastico remoram injiciebant, & in hoc casu eadem libere se se expandente producitur lætitia: vel destituitur momentis necessariis ad talismodi expansilitatem, constringiturque, & in hoc casu fit mæstitia. Anima namque in suis affectibus operatur ad modum sui instrumenti: quod tot argumentis probatum fuit, ut citare loca sit vel ostentatio, vel superstitio.

CONCLUSIO.

XXI. Summa igitur, utraque methodo, a priori & a posteriori, constare de veritate nostrorum principiorum, quæ hoc ternione complectuntur,

1. Quod Anima rationalis est Ens a se mobile perfecteque intuitivum.

2. Quod subjectum ejus immediatum & princeps instrumentum Sanguis est.

3. Quod Sanguis & fibra sunt corpora elastica sibi mutuo contranitentia.

XXII. Ex quibus propterea colligo 1. unde sit, & in quo consistat arcanum illud impenetrabile de mutua necessitudine animæ & corporis, qua commoda & incommoda invicem ex æquo partiuntur: *Si verum fateri velim (inquit Joh. Christ. Langius in proœm. ad disp. 2.) omnem humanum captum transcendere puto explicare; quomodo anima immaterialis, hinc certe ratione* ἀπαθὴς, *a re quadam extensa & materiali, quale corpus nostrum cum omnibus singulisque suis partibus est, affici possit; aut quis, qualisve ejus sit impetus in corpus. Hinc frustraneum penitus credidi laborem in re tali, quam nullo modo assequi mortalibus licet.* Modo namque innotescat animam esse a se mobilem & intuitivam; quod habitet in sanguine; & quod hic sanguis utpote solidiusculus sit capax impressionis, necessitudo illa facilis intellectu est: dum nimirum anima videndo san-

ſanguinis affectiones & percipiendo objecta ipſum afficientia ut non poteſt non hæc appetere, aut non appetere, ex judicio de ipſorum bonitate aut malitia; ita videtur affici (cum alias revera moveat) & ex alia parte quoniam ſe movendo ad, vel ab objectis nequit non ſimul ſanguinem adducere aut reducere (tanquam organon immediatum) ſequitur ex hac motione ut corpus deinde ſecundario afficiatur. Non eſt itaque in hac actione & reactione conſideranda immaterialitas animæ, aut inextenſio, ſed ejuſdem activitas, quatenus ſcilicet intuitiva eſt, percipitque ſanguinis affectiones, & quatenus a ſe mobilis, movetque ſe ſe juxta talem perceptionem, ſeque movendo, eundem ſanguinem quoque movet. Nam ut moto ſanguine ab objectis movet ſe ſe anima, ita hæc ſe movendo movet ipſum ſanguinem: utque in eo motu illa videtur affici, ita ex affectu ſanguis, utpote res materialis & paſſiva revera afficitur, & per ſanguinem totum corpus, ut liquet. Videatur Pars 3. fere per totum.

Colligitur deinde, quod rite affecto hoc organo, i. e. ſanguine, ſeque in ſenſoriis æque ac in plexu naturaliter ſe habente munia ſua recte pariter obire ſoleat anima, hoc eſt perfecte ſentiat, percipiat, judicet, imaginetur, &c. Et rurſus, quod in motu & ſubſtantia eadem integre valente motus reciproci, a quibus vitales functiones proficiſcuntur naturali modo procedere debent; ſecus autem contra. Intereſſe propterea Medici diligenter proſpicere & cavere, ne ſanguis tam ex parte commotionum animi, quam ex parte ingredientium ejus compoſitum ſive naturalia ſint hæc, ſive non, aut præter naturam, detrimentum aliquod patiatur, ut videlicet functiones animales & vitales, quarum exercitio homo conſtat, recte ſe habeant & perennent pro impetrando fine, cujus gratia hocce animal productum ſcimus, ſcilicet ut ipſum in Dei laudem & gloriam ratione utatur, vivat, creſcat & multiplicetur. Ultimo, quod hæc ſunt tanquam fundamenta, quibus univerſa Medicina ſuperſtructa eſt, tam videlicet quæ verſatur circa ſtatum & conſtitutionem partium hominis rectam, ſive ſanam, quam quæ circa pravam, ſive morboſam; quodque ex iis ſcientia Medica vere habeatur & hauriatur. Si itaque in aliquo

peccaverim minus bene dicendo, universis supplico Doctoribus, cæterisque Viris scientiarum cultoribus, ac probis in Medicina expertis, ad quorum manus opusculum istud devenerit, ut mea dicta corrigant, & emendent, meæque simplicitati & ignorantiæ veniam impendant. Nam omnium habere memoriam, & in nullo peccare, potius est divinitatis, quam humanitatis. Obsecro ergo Dominum nostrum Jesum Christum qui summus est Medicus, ut per suam misericordiam donare dignetur in me sensum, fidem & motum charitatis infundere, ut omnem defectum meum suppleat, & in societatem omnium Sanctorum post mortem me collocare dignetur, qui vivit & regnat in ævum. Quibus propterea jactis & ex omni parte jam constabilitis, reliquum, imo æquum est, ut plane anxio huic labori nostro tandem imponatur

F I N I S.

IN-

INDEX LOCUPLETISSIMUS

Rerum notabilium, quæ in hoc libro continentur.

Primus num. Pag. significat. Secundus Marginem.

PSYCHOLOGIÆ MEDICÆ

PRIMA PARS

De Natura & Ortu Animæ.

DISQUISITIO PRIMA

Quotuplex sit Materia.

DISQUISITIO SECUNDA

An detur Substantia Immaterialis.

DISQUISITIO TERTIA

Quid sit Substantia Immaterialis.

DISQUISITIO QUARTA

Quænam sit Animarum Origo?

PSYCHOLOGIÆ MEDICÆ

SECUNDA PARS.

De Motibus Animæ Externis.

ASSERTIO PRIMA.

Muliebris conceptio in utero pendet ex vi materiæ & organorum structura.

ASSERTIO SECUNDA.

Fœtum non alibi, quam in utero animari.

ASSERTIO TERTIA.

Primos Animæ impetus in sanguine manifestari.

AS-

ASSERTIO QUARTA

Primum animatum est efficiens instrumentale primum Corporis animati.

ASSERTIO QUINTA

Motus in Machina animali ad vitam præcise spectantes omnes sunt reciproci.

ASSERTIO SEXTA

Explicantur Functiones a motibus reciprocis præfatis provenientes.

PSYCHOLOGIÆ MEDICÆ

TERTIA PARS.

De motibus Animæ internis.

THEOREMA I.

Sensio, est actio Animæ intuentis corporeas passiones.

THEOREMA II.

Non datur commune sic dictum sensorium.

THEOREMA III.

Prima rerum sensibilium Perceptio fit ex sanguine ab iis mediate, vel immediate affecto.

SECTIO PRIOR

De Motibus Animæ ab objectis extra corpus.

THEOREMA IV.

Nihil est in Intellectu, quod prius non fuerit in Sensu.

THEOREMA V.

Anima rationalis non intelligit per suam essentiam sed per actus inter se realiter distinctos.

THEOREMA VI.

Anima intrinsece nihil agit nisi convertendo se ad phantasmata.

THEOREMA VII.

Interni actus operantur in Plexu Choroideo.

THEOREMA VIII.

Interni sic vocati sensus, non sunt sensus, sed Animæ operationes.

SUBSECTIO I.

De Actibus internis, qui continuantur sine motu.

Obje-

PARADOXUM I.

Quando res actu sensata videtur conformis aut diformis cum idea de eodem objecto antea percepta fit Judicium sensuum sive Simplex.

PARADOXUM II.

Simplex Imaginatio est ex aliquali mora substantiæ intuitivæ circa aliquod objectum, sive notionem aliquam simplicem.

PARADOXUM III.

Fit Memoria simplex, quando Mens ex aliquo signo externo, transit ad concipiendum in aliquam ideam illi similem, vel analogam.

PARADOXUM IV.

Simplex Cogitatio simplicium notionum qua similium, qua inter se dissimilium casualis quædam veluti Coagitatio.

PARADOXUM V.

Cognitio est ex pluribus una notio.

Visio

Eee SUB-

SUBSECTIO II.

De Actibus qui continuantur cum motu.

PROPOSITIO I.

PROPOSITIO II.

PROPOSITIO III.

PROPOSITIO IV.

Fatum nihil ad nos.

PROPOSITIO V.

Anima se determinat ad agendum ex intentione reflexa super sua Judicia.

PROPOSITIO VI.

Anima determinativa secundum judicium affirmativum dicitur velle, seu Voluntas; secundum Judicium vero negativum dicitur nolle, seu Noluntas.

PROPOSITIO VII.

Qui distinguantur Voluntarii actus ab Intellectualibus.

Voli-

PROPOSITIO VIII.

Enuntiantur Judicia, ad quæ respiciens Anima, vult, aut non vult agere.

PROPOSITIO IX.

Ex motivo & determinativo judicii sensualis & cognoscitivi ortus Affectuum, seu Passionum.

PROPOSITIO X.

Ex motivo & determinativo de Judicio intellectuali oriuntur actus moraliter virtuosi.

PROPOSITIO XI.

Actus dicti supernaturaliter sive Theologice virtuosi proveniunt ex motivo & determinativo scientifico.

PROPOSITIO XII.

Actus moraliter & supernaturaliter Vitiosi eliciuntur ex motivis & determinativis objecto morali & supernaturali inadæquatis.

MANTISSA

De Ignoratione & Præjudiciis.

De Errore & Opinione.

De Animi Fluctuatione, & Dubitatione.

De

De Synthersi, Pudore & Pœnitentia.

PROPOSITIO XIII.

Fiunt Habitus ex reflexione crebra supra aliquod motivum, indeque repetito assensu, vel dissensu, quo mediante Anima crebro quoque se determinat ad aliquod agendum.

SUBSECTIO III.

De Actibus, qui continuantur modo cum, modo sine motu.

CONCLUSIO I.

Circumspectio pendet ex difformitate Judiciorum.

CONCLUSIO II.

A Circumspectione Consilium.

CONCLUSIO III.

A Præstantia motivorum Electio.

CONCLUSIO IV.

Opus Circumspectionis & Consilii Prudentia.

CONCLUSIO V.

Ratio regit omnia.

APPENDIX

De Motu Progressivo.

De Locutione.

Di-

De Quiete & Somno.

De Insomniis, quæ fiunt ex Ideis Objectorum extra corpus existentium.

Membrum Posterius de Motibus Animi ab objectis in Corpore.

ARTICULUS I.

De Ingenio.

ARTICULUS II.

De Indole, sive Moribus Hæreditariis.

Fal-

ARTICULUS III.

ARTICULUS IV.

ARTICULUS V.

ARTICULUS VI.

ARTICULUS VII.

ARTICULUS VIII.

COROLLARIUM

ARTICULUS IX.

De Moribus ex Humoribus.

ARTICULUS X.

De Moribus ab Ætate, Sexu, itemque Partium Symetria & Ametria.

ARTICULUS XI.

PSYCHOLOGIÆ MEDICÆ

PARS QUARTA.

De Motibus Præternaturalibus.

SYNTAGMA PRIUS.

De Vitiis circa Functiones Animales inter quæ ordine recto, qui in naturalibus servatus est, ante omnia se se offert.

SENSUS EXTERNUS LÆSUS.

Sensus Interni sic dicti læsi.

Phre-

De Vitiis circa Motum Animalem.

De Vitiis circa Somnum, & Vigilias.

SYNTAGAMA POSTERIUS

De Vitiis circa Functiones Naturales & Vitales.

COROLLARIUM.

FINIS.

P. PAULI MARIÆ
ASTENSIS

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS CAPUCCINI

OBSERVATIONES MEDICINALES

Tam Pathologicæ , quam Curativæ , atque Anatomicæ

Currente calamo exaratæ juxta Clinicem quotidianam.

OBSERVATIO PRIMA.

Hydrops ab Affectu Hypocondriaco.

ILLUSTRISSIMUS Eques Ambroſius Amianenſis Ætatis annorum circiter ſexaginta, conſtitutionis cachecticæ ac melancholicæ, cum grave Martis onus vel ab Adoleſcentia ſua ſuſtinuiſſet varioſque militiæ eventus, quorum alios ſub dio, alios in Carceribus, alios denique in Tabernis ac Fornicibus utcunque tranſegerat, addito ad extremum etiam Domeſticarum rerum peſſimo ſucceſſu, porro anno 1754. malo Hypocondriaco laborabat cum febre lenta, cordis palpitatione, ructibus, anorexia, cæteriſque ſymptomatibus id mali concomitantibus: a quibus deinde aliquatenus, imo ne vix quidem convaleſcens tandem ſub initium inſequentis veris, ideſt die 10. Aprilis anni 1755. cum forte inter venandum ripam conſcenderet, Abdomen ſibi, ut retulit, diſrumpi, atque ad ima deſcendere viſum eſt: ex quo porro id ſenſim intumuiſſe novit; ac tum vero maxime, cum ope implorata catharticum propinavit. Novit enim id aperte purgantia quælibet aſſumpta tumorem illum ſollicitaſſe. Interea vero Inteſtina aſſiduis borgorygmis agitabantur cum dolore & cruciatu ingenti; Ventriculus omnia nauſeabat, ſine guſtationis ſenſu aut delectu aliquo: quid? quod aſſumpta

quæ-

quælibet Palato male sapere videbantur. Purgantibus itaque remediis nihil proficientibus chalybeata alia & viperina medicamenta fuere exhibita. In reliquum autem supinus semper jacebat Æger capiteque elato, Ventre pellucido ac multum turgescente, coxisque demum atque cruribus valde similiter distentis cum tumore ædematoso. Atque horum quidem posteriorum alterum sinistrum ob multiplices in eo institutas scarificationes humore perpetuo stillabat. Sitis tandem aderat immanis, anhelitus anxius, tussisque quædam parva ac sicca, quæque post diutinos conatus screatum quendam viscidum ejiciebat, præsertim ea die, qua ad consultandum pro Nobil. Ægrotante ad Oppidum accitus sum. Tum enim sputum etiam cruentum amisit. Quicquid nihilominus ea tussis nonnisi a tribus diebus inchoasset, quo tempere tormina illa Ventris paulisper remiserant. Quoad urinas; erant hæ parvæ ac rubicundæ; pulsus itidem parvus & frequens, vigiliæ denique continuæ, ac vix mitigabiles. Opinor ego aliquod lymphaticum Intestinorum vias in Illust. D. a Flatulentia Hypocondriaca fuisse disruptum, ut cuilibet historiam consideranti patere potest.

OBSERVATIO II.

Ab Alvi Stipticitate in Gravida Fœtus in Utero mortuus.

DIe 9. Septembris anni 1755. Dom. Comitissa a Monterubro mihi quondam amicissima temperamenti mælancholici post tertium puerperium cum rursus prægnaret esurieque antehac insolita stimularetur, cibis quibuscunque, præsertim vero hortensibus, ac fructibus horariis ingurgitabat sese Ventre interim præter modum intumescente. Verum, cum alvus non rite obtemperaret (erat enim constitutionis supradictæ) tandem appropinquante partu Ventris torminibus vexari cœpit, subindeque etiam febri. Nocte vero ejusdem diei dolores partus prædicti intervenerunt; a quibus post 3. horas aqua parturitionis egressa est. Sed hac effluxa cum iidem dolores ac parturiendi conatus intermisissent, febre nihilominus perseveran-

te

te Obstetricum animus dubius esse cœpit. Putabant nihilominus, istæ fore ut elapsis 24. horis ab affluxu illius aquæ partus nihilosecius succederet, ut quem scilicet maturum experiebantur. Frustra tamen, quatenus nempe ab illo tempore rigores quidam atque horripilationes crebræ Puerperam Nobilissimam deprehendebant absque ulteriori nisu, seu parturiendi conatu. Quamobrem accersitus ad ipsam tertio hujusmodi angustiarum die dum rem examino, audioque Obstetricum affirmantium fœtum vivere sententiam, ipse in aliam contrariam descendo. Aliud namque, quam illius vitam augurabantur horripilationes præfatæ, remissio item torminum ac conatuum prædictorum &c. at tametsi fœtus tantillum moveri persentiretur, motus tamen hic non erat ipsius, sed Intestinorum, qui tunc temporis plurimum murmurabant. Auxit denique suspicionem meam fœtor quidam cadaverosus, qui mihi ante supradictam D. forte pertranseunti (sedebat enim hæc plerumque, ut eo situ magis intenderet ad partum promovendum) nares molestissime concussit. Cæterum de hac re certior fieri a Nob. D. inane erat. Quandoquidem ita stimulata, viribus destituta, & quandoque ob febrem delira, nihilominus quam loqui gestiebat.

OBSERVATIO III.

Fœtus mortuus præfatus præsente febre remediis summe volatilibus Utero ejectus.

JAm vero illud præcipue animum torquebat meum, quod nescirem quemadmodum in hoc casu me gerere deberem ad hoc ut tale cadaver excluderem. Negotium enim facessere videbatur febris tunc summe acuta, quæ nimirum remedia volatilia in tali casu adhiberi solita respuere videbatur. Quo non obstante ea nunquam ommittenda duxi, imprimis vero omnia ex cinamomo confecta, itidem aquas cordiales calidiores, species insuper cordiales, aliaque ex confectionibus de alkermes de jacintho &c. comparata. Rursum curabam imponi identidem supra Abdomen e regione Uteri micam panis malvatico calido imbutam, & pulvere caryophilorum, nuc. moschatæ, cinamo-

mi &c. inspersam. Propinabam denique ipsi vini meraciora moscatellina &c. vel ad sitim totaliter extinguendam. His autem factum est profecto, ut parturiendi conatus excitati sint, viresque se se integre semper habuerint, donec sequente nocte, quæ fuit die 13. Septembris Nob. Domina fœtum enixa est, sed mortuum atque in aliqua parte lividum, pendentemque libras nostrates Pedemontanas 18. Cæterum ob imminentem Uteri orificio fœtum podex ita obstrictus erat, ut Syphunculum nullum admitteret pro Clysteribus injiciendis.

OBSERVATIO IV.

Curatio febris supradictæ, quæ etiam lactis generationem in Puerpera inhibuit.

EXcluso ejusmodi cadaverculo, res faciem statim mutare debuerunt. Ecce autem quomodo me præstiti in hoc casu. Diætam indixi omnino humidam, juscula scilicet minime succosa singulis 4. horis exhibenda; apozema itidem præscripsi ex hordeo pomisque dulcibus (verum in quantitate parva) inque parvas taleolas dissectis coquendisque in aqua fontis pro potu ordinario. Vespertinis autem cujusvis diei horis Enema imponebatur. Porro hisce alterantibus effectum est, ut alvus bis terve in diem probe secederet, absque virium jactura & torminum incremento, quæ etiam ipsis primis post puerperium diebus in totum remiserunt. Verum quinta die, quoniam alvo ubertim profluente colicus quidam dolor Intestina affligebat, apozema mutari debuit, atque ex cinamomo integro, floribusque camomillæ romanæ comparatum est. Eo autem tempore febris lactea expectabatur ab adstantibus, tametsi prædictum fuisset abs me eam minime affecturam, quemadmodum neque lac in mammis, id nempe quod post juxta opinionem cessit. Interim ex novo hoc apozemate colicus ille dolor oblinitus est, ut etiam ex oleo nuc. mosch. & camomillæ externe abdomini illito. Tandem matutinis horis parvus quidam sudor Nob. Ægram inuadebat, ex quo demum die ex puerperio nona febris omnino suppressa est. Unicum vero aderat idque molestissimum sympto-

ſymptoma adhuc avellendum, ſcilicet vigiliæ, quæ a partu diuturnæ fuerant. Quapropter die 10. lene catharticum exhibui, veſpere vero laud. opiat gr. j. caſtoreo ac myrrhæ conjunctum, quæ tamen licet parum facerent ad vigilias ſopiendas, nihilominus ſequentibus diebus reiterata aliquam ſomni horulam conciliarunt. Has vigilias arbitratus ſum ex virium debilitate proceſſiſſe.

O B S E R V A T I O V.

Ab exclusione fœtus mortui præfata Caruncula myrtiformis avulſa, quam poſtea Urinæ incontinentia ſequebatur.

UT itaque ejuſmodi languori occurreretur Diætam inſtitui ſatis liberalem, a qua tamen nihil incommodi ſentiebat ægra, febre ſcilicet uſque ab octiduo pulſa cæteriſque ſymptomatis omnino ſuppreſſis. Veruntamen in ea largiori ciborum aſſumptione conquæſta eſt eadem de Urinæ quadam veluti ſuppreſſione, ſeu potius mejendi difficultate. Ad hæc ipſe mirari cœpi, ratus urinæ incontinentiam ſequi conſueviſſe partus ejuſmodi difficiles, nequaquam autem ejuſdem urinæ retentionem. Addebat poſtmodum Ægra quemadmodum perſentiret quandam pelliculam in exteriori uteri orificio exiſtentem & quaſi divulſam. His denique conjuncti ſunt dolores inter mejendum ſumme moleſti, atque ejuſdem Vaginæ anguſtiæ maximæ. Quapropter arbitratus ſum ſtatim talis vaginæ fibrillas ex difficili partu, ſive a ſolito craſſiore Fœtu, dum in lucem prodiret, fuiſſe diſcerptas; unde adeo inſtituta ſunt linimenta ex oleo abſinthii, applicita item fuere ſfilaccia ceruſſæ pulvere inſperſa. Verum omnia incaſſum. Augeſcebat enim potius dolor quotidie magis, ac tandem urina abſque intervallo aliquo fluere incœpit. Sollicitantibus igitur cruciatibus prædictis accerſitur Chirurgus. Hic in viſitatione partis oblatam primis oculis pelliculam illam externe propendentem, ſtatim eruit, erutamque novit eſſe alteram Nympharum, ideſt Carunculam Myrtiformem ſiniſtram. Erat autem pars iſta multo tartaro, inſtar urinæ ſe-

dimenti referta, & quod pilis ubique intermiſcebatur. Applicuit deinde idem Chirurgus unguentum quoddam phagedenicum ſed blandum, atque in hujus uſu aliquo uſque perſeveraverit, quamvis abſque ullo felici ſucceſſu. Ut enim urina remedium quodlibet abluebat, ſic pars læſa nullatenus conſolidabatur. Interea vero quandoquidem perpetuus illius fluxus ſupra particulam valde nervoſam laceratamque dolores igitur incutiebat eoſdemque moleſtiſſimos, conſultum propterea fuit abs me, ut Nob. Ægrotanti laudanum fere ſingulis veſpertinis horis exhiberetur; ſed eodem, quo antea, more volatilibus conjunctum remediis narcoticam illius vim obtundentibus, qualia ſunt E. g. Caſtoreum crocus, myrrha &c. Tali quippe Pharmaco urina mitior reddebatur, & dolores plurimum temperabantur. Verum quod ſpectat læſionem illius particulæ; hæc oleis maſticino, Myrthino, de abſinthio &c. unguentis item Comitiſſæ cum oleo myrthino maláxatis &c. non obſtantibus nondum repululare videtur, & Nobiliſſima Domina interim faſtidio affecta, excruciata, afflicta in febrem lentam delabitur. Quæ aderit hujus tragædiæ ſors, expectatur; cum ipſius prævidentia Chirurgum reſpiciat, & cum quo vidente ipſe cæcus de tali prognoſi altercari non poſſum.

OBSERVATIO VI.

De Fœtu Mortuo cum Febre maligna aliiſque accidentibus graviſſimis vi Cantharidum, innoxie tamen, aſſumptarum excluſo.

UXor cujuſdam Ruſtici filii Vincentii Parmiani habitantis in finibus S. Maris Anno 1753. laborabat febre tertiana, quæ poſtea in continuam degeneravit. Hæc autem cum eſſet gravida & partum ſeptimeſtrem ageret, de dolore lumborum, ſive (ut vocant) Renum, conqueri cœpit. Negotio ad me delato, cum viderem illum menſem, qui erat Auguſti, prægnantibus parum favorabilem exiſtere, de Abortu ſuſpicabar. Verum arbitratus hunc dolorem auferri poſſe abunde; ſi febris tertiana de medio tolleretur, hoc pharmacum ſtatim præſcripſi.

℞. Rhab.

℞. Rhab. elect. pul. ℈. j. cortic. peruvian. pulv. ℈. ij. cum f. q. Syrup. de Cich. Gul. f. pil. C. superbib. haust. oligoph. M. & Vesp. h. i. ante Cib.

Quo quidem pharmaco triduo continuato; nihilominus nec febris remittebat, nec lumbago mitigabatur. Quamobrem febre jam in continuam degenerante, instantibusque Abortus signis tutius duxi ad sequens remedium descendere

℞. Aq. card. bened. ℥. iij. Vin. emet. clar. ʒ. j. ß., Conf. hyac. ʒ. j. stib. diaph. ℈. j. M. f. pot. Cap. stat.

Etenim hoc mihi expertissimum eo tempore erat febrifugum. Sed ipse nihilo secius nihil proficiente, congruum existimavi me in Rus ad Ægram transferre. In cujus visitatione (quæ prima omnium fuit, cum eo in loco Medicus ad unam earum duntaxat tenebatur singulis in Infirmitatibus) cum ex oris fœtore, quasi cadaveroso, animi deliquiis, jam ab octo diebus continuantibus, frigore atque horrore irregulari, Abdominis in alterutramque partem, in quam nempe se contorsisset, descensu languidiore pulsu, & cutis frigido, quasi moribundo contactu &c. fœtum esse mortuum jam a pluribus diebus judicarem, Expellentia fortiora manumittenda duxi. Quamobrem die 9. Septembris exhibitum fuit hoc remedium

℞. Pulver. Cantharid. ℈. ß. Conf. hyac. ʒ. j. M. I. E. C. superb. aq. cinnamom. ʒ. j. Statim.

Jam vero partu non succedente postera die idem replicatum est; a quo tandem spes pariendi inchoavit, sollicitataque est seq. Cardiaco remedio

℞. Conf. hyac. ʒ. j. aqu. cinnamom. ℥. j. M. C. ut &c. iterumque hoc alio.

℞. Conf.

℞. Conf. hyacinth. & de alker. a ʒ. ß. camph. castor. a gr. v. M. C. superbib. aq. cinnamom. ℥. j. h. s.

a quibus porro fœtus mortuus, lividus ac putrescens exclusus est, viribus Infirmæ adhuc bene valentibus. Nihilominus post partum febre maligna minas adhuc plures intendente, consultum fuit in refocillantium hujusmodi medicamentorum usu perseverare. Verum viribus restauratis, nec cessante febre emeticum, ut antea, propinatum est; atque ex hoc quidem cum febris remisisset, paupercula Infirma die 9. Octobris a febre penitus vacare cœpit.

OBSERVATIO VII.

Circa purgantia post Puerperium adhibita.

QUidam Litterarum Amator (cujus tamen nomen labens prætereo) cum audivisset a Medicis Purgantia quævis Cane pejus & Angue fugienda esse in puerperis primis ipsis puerperii diebus, is, inquam, cum Conjugem tunc prægnantem odio in ipsam percitus perdere exoptaret, rad. jalap. pulv. ʒ. j. ß. ex quodam Pharmacopolio sustulit atque ad tempus adservavit. Enixa interim igitur Conjuge, cum hæc doloribus post partum maxime angeretur, idem Vir nequam arbitratus, quam in illam inferret cladem, hanc in partum refundi posse, admiscet pulverem præfatum primæ panatellæ, quæ puerperæ ab Obstetrice parabatur. Assumit Uxor panatellam, conquæriturque hanc assatæ carnis odorem redolere, cum tamen butyro duntaxat condita fuisset. Verum assumpta pulte tantum abfuit, ut ne minimam quidem molestiam ex ea passa fuerit, quin imo dolores illos post partum ipsam angentes plusquam ex Zedoariæ pulvere statim ex dicta panatella mitigatos, atque omnino ablatos fuisse comperit, Marito interim Medicorum dogmata deinceps acrius vellicante.

OB-

OBSERVATIO VIII.

Partus diu expectatus & nondum tamen incboatus.

NOb. D. Antonia Lucia Uxor perillustr. D. Caroli Francisci Pascherii J. U. D. amisso puello, quem ex Masculis unicum habebat, animo vehementer excruciabatur, & cum præsertim esset temperamenti apprime melancholici ejus scilicet, quem vocant, ab acido. Hæc igitur in recordatione ejusmodi calamitatis hystericos affectus sæpissime persentiebat, tristis, inappetens, gemebunda, donec ad extremum elapso anno 1757. ventre tumere se se noscens animum suum alleviare cœpit. Auxit deinde ipsi pariendi spem etiam motus, quem ipsa fœtus sui asserens, ajebat ab ilii sinistri superiore parte incipere, atque ad inferiorem terminare: nempe, qualem in prægressis gravidationibus, quæ jam novem fuerant, ipsummet pluries expertam fuisse asseverabat. Interea tamen menstrua debito tempore, ut ut in minore, quam alias, copia fluebant singulisque lunis. Hæc igitur cum mihi aliquando nunciata essent, suspicatus sum conceptum illum immaginationis esse posse, potius quam Uteri. Et sane juxta falso Prægnantis conceptum partus ille Mense Martio succedere debuisset, cum tamen neque hoc mense Decembris anni 1758. præstitus sit. Veruntamen fraudari se se Nob. Conjuges cum jam cognoscant, opem petunt. Præscribo D. Advocatæ pilulas ex rhabarb., aloe, croco & pauca quantitate jalap. pulv. confectas. Quisnam harum futurus sit eventus potius, quam partum, expecto.

OBSERVATIO IX.

Genuagra e Venereo ludibrio incommode celebrato contracta.

JUvenis quidam Nobilis annorum fere triginta; cum cælibem vitam ageret, atque interim alienam conjugem sollicita-

citaret ad ſtuprum, voti ſui compos factus domum iſtius ſæpe adit fructum adinventionum ſuarum collecturus. Sed ibidem quoniam furtum hoc citiſſime expediri debebat, ne a Domeſticis obſervaretur, ſtrata aut cubilia fruſtra expetebantur. Quamobrem in ipſius conclavii medietate interdum atque ut plurimum in medio atrio coeundo aſſueverat mulier improba ſe ſe humeris Amaſii ſuſpendere, hoc interim erecto corpore ludibrium peragente. Ex quo tandem factum, ut præfatus juvenis æquum aut ſcalam conſcendere amplius non valuerit dolore atrociſſimo genua moleſtante: cui cum aliquando obvenerit melius ſe habere cœpit interdiu, quicquid noctu adhuc plurimum affligatur, atque plus tribus annis elapſum ſit, ex quo caſus ejuſmodi contigit.

O B S E R V A T I O X.

Sanguis per Vomitum ſaluberrime ejectus.

REverend. D. Bernardus Pichionus Vir ſobrius, pius cæteriſque virtutibus ornatus, quæ genuinum decent Præsbiterum, ab ipſa juventute, anno ſcilicet ætatis 30. Sanguinem vomere cæpit tanta quantitate, ut tandem animam brevi efflatam iri crederetur. Aberat tamen febris modicaque cephalalgia tentabatur. Sedato hoc vomitu menſtruos alios pati cœpit, qui tamen certam periodum non ſervabant; verum nunc citius, nunc ſerius recurrendo menſtrua profluvia in male habentibus quibuſdam mulierculis imitabantur. Cætero cum hyems appropinquaret atque urgeret, vomitus illi tardiores, minuſque copioſi conſpiciebantur, non ita Vere adventante, atque Æſtate. Similiter ex eſu rerum ſalitarum piperatarum, aliove modo aromatizzatarum Sanguinolentæ illæ eructationes procreabantur, quæ tamen parcæ, ac non, niſi cum Ver vigeret graves obſervatæ ſunt. Denique quo plus ad ſenium accedit Rev. D. eo minus tali accidenti moleſtatur, jamque fere biennium elabitur, ex quo eodem amplius non fuit afflictus, & cum interim ſexageſimum quartum ætatis annum agat. Cætero ſanguinem ſiſtentia remedia in hoc caſu minime proficiebant, & uſque

usque quod ea sanguinis quantitas ejecta esset, quæ ad corporis alleviationem requirebantur, remedia ejusmodi incassum adhibebantur. Erat autem talis corporis alleviatio præfata, ut per totum vitæ curriculum nullo prorsus istius incommodo comprehensus sit, præter quam semel, idque duobus ab hinc annis, postquam nempe febre correptus est, de qua in sequenti.

OBSERVATIO XI.

Febris Hypocondriaca maligna.

MEnse Novembris prædictus Rev. D. Bernardus Pichionus non obstante critica illa sanguinis evacuatione, cum alioqui meticulosus Vir esset, eo præsertim tempore, quo hostes aliquam partem pedemontanam devastabant, in Ventriculi imbecillitatem inciderat. Unde flatus frequenter edebat, de Stomachi dolore sæpe numero conquærebatur, parum appetebat &c. Quamobrem ad extremum prolapsus est in febrem, totali virium prostrationi conjunctam: pulsu itidem existente debili ac frequente, quicquid in reliquum præter faciem, quæ statim ceu Hippocratica conspecta est, cætera in suo naturali statu permanerent. Huic igitur secunda morbi die, metu præsertim novæ hæmopthiseos sanguinem educi ex pede pondo ℥. viij. jussi, ac vespertinis horis bolum ex theriaca exhibui. Postridie vero cum eidem Ægro solida medicamenta præ liquidis arriderent, sequens purgans præscripsi.

> ℞. Rhab. elect. pul. ℈. ij. sal. absynth. ℈. ß. Tartar. emetic. gr. viij. croc. gr. v. cum s. q. Syrup. de Cich. Gul. f. b. Cap. superbibend. jusculum.

Atque ab hoc quidem remedio ter quaterve vomuit Æger, ac totidem sedes habuit. Nihilominus vespere hora nempe tertia pomeridiana horror febrilis de more recruduit, quem postea sequebatur calor solito vehementior, ac totam noctem perdurans. Hoc vespere enema carminativum impositum est, præscriturque iterum sequens bolus

℞. Camph., Castor. galban. a g. v. laud. opiat. g. j. ß. cum eq. q. conf. hyac. ac theriac. rec. f. b. C. h. f.

Porro autem nox hæc ab Ægro levissime traducta est; mane sequente hujusmodi bolum offerebam

℞. Rhab. elect. pulv. ℈. ß. Croc. mart. aperient. g. xv. Sal. absynth. g. vij. cum f. q. Syr. de Cich. Gul. f. Pil.

superbib. juscul. statim. Consueto tempore febris reversa est, ac sero enema, & pridianus bolus fuere reiterata. Ergo postridie cum æger ex innata bonitate sua res semper melius se habere diceret, in solitis medicaminibus perseveravi. Verum sequente die, quæ fuit hujus morbi septima, febris vehementior facta graviora prioribus symptomata invexit: delyrium scilicet, stuporem, convulsivos motus, visus hebetudinem, linguæ nigredinem asperitati conjunctam, balbutiem & plura alia, quæ sex ferme horas perdurarunt. Quibus perlustratis novi tertianam illam duplicem fere in malignam degenerare potuisse, & si præsertim Emeticum illud tempestive non fuisset adhibitum. Hac igitur frætus industria ab incœpto desistere quoad methodum scilicet, curationis, haud volvi illud etiam mente recolens Hippocratis adagium. Quæ præter rationem eveniunt non formidanda sunt &c. sicque circa prognosim timidi ægrotantis, meque de ejusdem salute consulenti audacter persuadebam. Interea pulsus parumper extolli visus est, urinis nihilominus adhuc pellucidis copiose fluentibus; quod mihi aliud indicium erat discraseos Ventriculi, sive Hyppocondriacæ affectionis. Propter quam porro in consueto remedio meo, pilulis nempe hilaritatis abs me noncupatis perseveravi, imponendo etiam continuo Vespere enema carminativum præfatum. Tandem vero die nona expectatis, ut par erat Symptomatis supra narratis, ubi adfuerunt, præscripsi infirmo tres doses febrifugi D. Morton. insumendas singulis 4. horis: atque a primo quidem haustu sudor largissime fluxit, minus copiose ex altero; tertius autem

ad

ad abundantiam, ut vocant, concessus est. Interim pulsus se se exerere conspectus est, febris etiam plurimum remisit, ac postremo repetito adhuc semel haustulo ex cammomilla, febris omnino defecit, accelerata postea convalescentia usu pilularum quas adnotavimus.

OBSERVATIO XII.

Arthritis in Juvencula.

ELegantissima puella Angelina filia D. Bartholomei Demilani Constansiensis quinque annos nata mense Decembris 1757. cum Adventus jejunium exemplo aliarum adolescentularum natu majorum observasset; tandem de Stomachi dolore conquæri cœpit, dein minus appetere, donec ad extremum febri correpta est primo acerbissima, ac postea quotidie minori, usque quod tandem septima die ab eadem penitus liberata est; sed ingruente febre doloribus articularibus ubique, ac præsertim in scapulis fuit conflictata, qui tamen remiserunt, remanentibus duntaxat illis, qui pedes utrobique angebant cum tumore, inflammatione, sive rubore & splendore. Hi autem dolores febris periodos imitati sunt, quæ ubi defecit, illi sensim ac sponte decesserunt, ita quod si post febrem die rite deambulare potuerit. Cæterum filiola hæc ab Avia derivabat etiamnum arthritica, & præsertim ubi patrem illius procreavit: alvus semper pigra fuit observata.

OBSERVATIO XIII.

De Arthritide in Adolescente.

EOdem anno Rev. Clericus D. Joannes Firmianus postquam ibidem febre quadam putrida laborasset, accessit ad nos, ubi de dolore quodam circa genua angi cœpit. Appetitus tamen interea optime se habebat, item pulsus, & reliquæ functiones, præter quam quod alvus haud rite deponebatur. At paucis ab hinc diebus dolor ille magis ingravescere visus est,

novusque circa humeros & manus emergere, donec ad extremum, pedes etiam & dolere & tumere comperti sunt. Accitus ad ipsum credidi statim dolores ejusmodi esse posse ex Rheumatismo ob convalescentiam a febre contracto, tanto magis, quod febricula quædam lenta illum identidem pariter deprehendebat, & quod idem D. Ægrotans vix duodevigesimum ætatis annum expleverat. Verum amovit denique hujusmodi suspicionem nodus in digito annulari sinistræ manus, qui plurimum eminebat adeo, quod compertum fuerit ad extremum dolores illos esse arthriticos stragemque articulorum maximam aliquando esse patraturos, nisi tempestive opprimerentur. Vesicatoria ergo tunc Collo applicanda esse jussi, quæ postea ter fuere reiterata: præscripsi itidem pilulas hilaritatis nostras alibi descriptas, nec non alia quædam Topica, a quibus tamen auxiliis deinde, nempe circa trigesimum morbi diem rite ac bene omnino se habuit Æger, mihi plurimum ob Patruorum ipsius merita carus.

OBSERVATIO XIV.

Mira in Sponso Rusticano stultitia.

Novellos Conjuges cum suis nuptis coire aliquando non posse quis stupeat, cum dentur aliqui, qui neque nubere audeant? Sic apud Nostrates digito monstratur quidam Rusticus bene quadratus, nec paucarum virium, qui tamen intercedente fratre doctissimo, atque ob id ad Ecclesiæ Parochialis sui oppidi regimen permoto, cum ab aratro, & stercore, ut ajunt, ad honestiorem vitæ cultum elatus esset, indeque etiam ad ambitum nuptiarum cum Virgine Nobilissima pariter atque speciosissima, ipsa eadem die qua matrimonium celebrari debebat, ducta jam ad Ecclesiam sponsa frequenti Nobilium virorum corona stipata, ipse ficta quadam exeundi necessitate ammissoque ense, ac pileo, postico se subduxit, totaque jam ingruente nocte vagus effugit, donec postremo in Urbe Augusta observatus, ad suos redire coactus est, ficta interim ad sopiendum Virginis ejusdemque parentum

tum.

tum odio, vana quadam incantationis fama. De qua porro cúm ipse certior aliquando esse vellem, rogavi eundem, alioqui mihi amicissimum virum, quænam causa fuisset, quæ ipsum coegisset, ut ea die tam nobilem illustrissimorum hominum cœtum tam repentino deseruisset. Ad quod exacto prius a me rem nemini aperiendi jurejurando respondit, metuisse sese talium virorum tam illustrem cohortem, Virginemque sibi desponsatam visam sibi supra propria merita, ita quod, neque tunc (cum jam ab anno derelictam postea reduxerat) ipsam comprimere auderet. Et de facto, jam a quatuor annis, quibus Virgo illa, cum tali marito cohabitat, nondum prægnare visa est, fœmina, inquam, alioqui bene constituta atque alacris, nisi quod jam ab anno mœrore confecta (forte propter Conjugis ejusmodi ineptias atque ignobilitatem sibi alte in mente defixam) in Cachexiam tendere videtur. Evenit iste Casus anno Domini 1753.

OBSERVATIO XV.

Castratio ab Imperito sponte in semet impune tamen, celebrata.

EOdem ferme tempore furorem Uterinum Dom. Magdalenæ Cerutæ assidue curabam, aut forte paulo post illam restitui; contigit etiam in Vico Montis alti, ut Adolescens quidam duodeviginti annorum audita in Majori Templo sacra quadam Orationis Panegiricæ, & qua Castimoniæ ac Pudicitiæ virtus supra cæteras evehebatur, domum se receperit, ubi novacula clam e Patrui Chirurgi tonstrina surrepta, acuque cum filo parata, in remotiorem domus suæ partem sese contulerit, abscissisque novacula Testibus & Scroto, consutaque plaga, Templum iterum adierit. Verum cum fluente copiosissima hæmorragia ab adstantibus, præsertim commilitonibus juvenibus adverteretur, ipseque interim palesceret atque animo liqueret, domum adsportatus est, donec postera die accersito lithotomo, incolis Norcino, inventus est semet

rite

rite abscidisse; quo adeo factum ut brevi ab illo vulnere convaluerit, Sacerdos nunc vere propter Deum castratus.

OBSERVATIO XVI.

Causa Furoris Uterini curiosa.

ANno seculari 1754. a Nobili quodam rogatus ad invisendam infirmam, clam (ut mihi mos erat) procedendi, ne ansam aliis de meo adventu loqui dedissem. Erat Virago quædam parum honesti nominis, habitosa, robusta, nondum puerpera. Accessi, confidenter locuta; Habebat autem in Sinu, quem alias pudoris, hic potius dixerim impudicitiæ, ulcus ignorantia Artaphii, a quo adhuc junior fuerat mercata chironium, Thalephium, exedens factum intantum, ut Antica in Posticum hisceret, & viceversa. Remisit tamen tam grandis ulceris admiratio adspectu symptomatum horrendiorum. Ea quippe vix lecto composita & minas intendere in quemlibet, & intempestiva loqui, maledictis, conviciis, verbis turpissimis obvios quoscunque incessere cœpit garrula, procax, stupida intantum, ut idiotis passim Energumenæ specie imponeret, me incassum reclamante illos esse effectus Uteri furoris. Quicquid tamen id fuerit, ægra porro inter pauca, febre corripitur ardentissima, ulcusque in pejus continuo degenerabat, ex quo nihilominus rursum pauca sedato delirio, cum spes adeo vitæ longioris affulgeret, misella supremum diem obiit. Factum est ut Mors mihi aliquid studii suppeditaret, quod vita recondit; Aperto Cadavere inveni primo Lienem insolitæ magnitudinis, ut qui primo ad imum usque Abdominis descendebat, ibique, quod adhuc inferius progredi prohiberetur, imprimis ab osse pubis, inflexus, ac recurvatus superne iterum ascendebat pone Uterum, ubi denique in massam manui in pugnum contractæ similem terminabatur. 2. Dextram Fallopianam tubam ad Ovarium arrectam, & quæ suis fimbriis sive pampinis ovulum complectebatur magnitudine columbinum exæquans, altera parte ovario etiamnum adhærens mediantibus quibusdam fibris, quæ inter utrius-

utriusque substantiam protendebantur. Fibris autem istis ultro dilaceratis, facile erat videre calicem prædicti ovuli, qui in Ovario exculptus parvum muscæ mellificæ favum repræsentabat. Ovulum deinde ejusmodi densa eademque subalbescente membrana obductum erat, teste loco; hacque perforata vidimus erupisse inde aqueum quendam humorem, limpidum ac summe fluidum, in cujus item centro, seu meditullio, extabat albida quædam & Semilunaris (ut *Malpighii* utar nomine) cicatricula. Comperi ulterius exteriores Uteri tunicas nonnihil corrugatas, sive crispas, adeo quod neque in minorennibus Virginibus idem viscus tam parvum appareret. Propterea vasa sub priore membrana solito grandiora conspiciebantur magisque capacia, ac postremo situs ejusdem Uteri nonnihil præternaturalis conspiciebatur; eo quod abs retro existente Liene haud parum antrorsum cogeretur; quam causam fuisse arbitror, ut non tam ovum descendere potuerit in Uterum per fallopianas tubas, verum etiam, ut convulsio facta sit nervorum Uteri, qui ad octavum par scandunt; unde postea delirium, & cætera supradicta consequi debuerunt. Cæterum quoad Vaginam; adverti istius faciem exteriorem semiputridam ac nigrescentem, interiorem autem rimis ac rhagadibus exaratam præcipue versus Rectum Intestinum, a quo etiam flatus in Vaginam erumpebant, plane scilicet & ne fæcibus careret, quæ item sentina facta fuerat omnium impuritatum. Deo semper & ubique Gloria.

OBSERVATIO XVII.

Uteri inflammatio.

Virago quædam prope Fontalium anno 1752. quadam die qua festum illius loci solemnizatur & mense Majo ut plurimum celebratur, cumque juxta ritum ejus diei compluribus Choreis, quæ innumeræ esse solent, interfuisset, nec non easdem crebro duxisset; cum iterum domum redux adolescentum Amantium cætu stipata, colloquiis etiam parum pudicis atque attrectationibus usa esset, huc excepta febre correpta

est

est cum horrore primo, dein cum intenso ardore, deliriis, ac convulsionibus adeo ut intra vigintiquatuor horas demum extincta sit; quo factum est, Cadavere interim aperto vidimus eam jamdiu Veneri, erat nubilis tamen, assuevisse, Uterum præterea habuisse in sinistra parte maxime lividum, quique livor totam in ea parte Uteri ejusdem substantiam alioqui crassissimam occupabat.

OBSERVATIO XVIII.

Auris sinistræ ac Gingivarum ejusdem lateris intensus dolor ex emunctione narium usque ad sanguinis exitum.

DIe 7. Februarii 1750. Quidam Phil. & Med. Doctor amicus meus charissimus iter facturus Sanctuarium SS. Virginis Montis Oroppæ causa invisendi, (sic ille mihi affatus est) involverat autem ob intensum frigus Collum, ut fieri solet, pallio scarlatino, sed ex eo tecta aure dextra, sinistra nihilominus nudabatur, cui nec cæsaries incumbebat ob stricturam cucufæ ejusdem cesariei ea die imprudenter inductæ. Circa autem tertiam itineris partem astitit pruritus nares emungendi; sudariolo igitur narem exprimit, atque ita fortiter, ut inter exprimendum visus sit funiculum quendam auris sinistræ prorupisse cum aliquali dolore: interea vero sanguis e dextra nare prorumpit non in mediocri quantitate, verum propter aerem summe algidum brevi coercitus. Porro ab hinc fere per quindecim dies nihil ex eo accidenti molestiæ tulit, nec putabat subiturus ex eo quod idem sæpe atque alias ex frigore sibi contigerat. At vero decimoquinto elapso suscepto iterum itinere domum versus, horror frigusque per totam dorsi spinam ipsum comprehendit. Quamobrem ratus initium hoc fortasse esse posse febris catharralis (credebat enim insuper rheumate teneri, quamvis ex alia parte huic nullam occasione præbuisse sciret) nihil de eo frigore sollicitus, tantum abstinuit a cibo. Consului pilulas etiam hilaritatis a me alibi descriptas, ter aut quater insumpsit, cum raris tamen dejectionibus. Tandem tertia post illum horrorem nocte, ac circa 9.

horas

horas Italicas frigus ipsum denuo corripuit, quod horam fere perduravit. Hoc frigus deinde calor insecutus est, atque inchoante calore sinistra auris veluti affligi cæpit, qui dolor augescebat quotidie magis cum maxima in eadem parte odontalgia. Cætero cælum probe serenum erat ea nocte, ver etiam summe temperatus, interim dolore ipsum ita molestante, ut parem numquam persenserit. Arbitratus autem hunc ex defluxione capitis proficisci posse, quatenus aliis tempestatibus hybernis eadem angi solebat, consului inunctiones cum lacte tepido, oleo camomellino, aquavitæ &c. frustra factas imo pejora semper augurantes, tandem potionem purgantem sumendam suasi ex jalappæ radice, manna Calabrina &c. quam nimirum in similibus aliis casibus summe proficuam semper fueram expertus. Ideo vero ipse tunc rheumate, seu capitis infrigidatione tentari credebat, quod inappetentia tenebatur, interdum quoque, ut summo mane, aliquali deglutiendi difficultate. Verum tamen & cum eadem inappetentia etsi benevalens continuo detineretur, & de illa infrigidatione, nihil ipsi constaret, cumque dolor non remitteret, sed continuo magis urgeret, cumque ad extremum inter emungendum nares, ab istarum altera, nempe dextra, materia quædam sanguinolenta (at minime vero sanguis, prout ante) exivisset, quæ etiam in os influebat. Adde, quod alias non post mediam noctem, verum vespere febris illa invaserat ipsum, cæperam ego cum ipso considerare dictum dolorem ex violentia supradicta ortam nunc puris coacervationem (quod dicitur esse in via) in causam agnoscere. Quapropter medicamenti assumptione non obstante sanguinem ex brachio dextro ipsi detrahere jussi: ex quo solamen aliquod insecutum est. Aperta post eadem die rursus vena atque ab his sectionibus dolor omnino fuit mitigatus; secutus est postea materiam illam purulentam per os & narem (quod notatu dignum) dextram ejicere, sinistra nihil istius deponente, & sic brevi sanitati pristinæ fuit restitutus. Cæterum medicamentum purgans illa die Sang. missione non obstante insumptum ter alvum stimulavit, V. Sectio etiam quoties celebrabatur Cardialgiam induxit; nares quoties emunguntur dolorem excitant in dicta aure, sed qui tamen statim desinit. Melan-

cholici temperamenti fuit, ac valde hypocondriacus; propterea quod censeo S. missionem cardialgias illas peperisse, quamvis ex alia parte expertus etiam fuerit sectionem hanc in sinistro brachio celebratam ipsi minus dertimento fuisse; id quod etiam propter effectum purgantis, tunc temporis etiam operantis proficisci potuit &c.

OBSERVATIO XIX.

Pleuritis in Asthmatica, quæ Catameniorum fluxu suborto sponte resolvitur.

VIrgo robusta atque ab infantia asthmatica, utpote nimirum brevi-colli, ac depressi pectoris anno 1751. circa initium mensis Aprilis incidit in Pleuritidem, quæ propter quam quod dolore, sputo etiam sanguineo significata est. Hanc igitur cum curarem, cunctaque iccirco præscriberem, quæ ad expugnandum tam gravem morbum alias adhibere consueveram, omnia in pejus ruebant. Siquidem ex prava pectoris constitutione sputum non excreabatur. Sive vero hoc natura factum deinde sit, sive Arte (quatinus nempe eidem etiam quæ Menses promovent, pharmaca propinaveram) ii per se soluti sunt, licet eorundem tempus adhuc nondum instaret, & salus porro, quæ jamjam desperabatur, intra pauca recuperata est, anacatharsi etiam succedente &c.

OBSERVATIO XX.

Sequitur historia Ægritudinis D. Comitissæ a Monte rubro.

QUidam mihi infensus idemque Medicus detulerat apud D. Campesium ejusdem Comitissæ Patrem prope Castrumlongum ubi is degebat, quatinus illustrissima filia gangræna tenebatur in sinu suo pudoris, incuria artificum, ac præcipue mea confecta. Quamobrem ab eodem D. Campesio statim missus est S. Martinum quidam Chirurgus Dom. De Ras omni pharmacopea instructus, quæ ad gangrænam extirpan-

pandam requiritur. Profectus itaque ad nos Dom. De Ras, invisaque ægra, cum nihil tale reperisset, imo, ut dicebat, ne ulcus quidem in eadem parte; cumque interim dubitaret, ne forte itinere suo pro superfluo habito, ipsius etiam manus larga mercede frustraretur novum morbum commentus est; quem facile abs me admissum, sibi postea maximi emolumenti futurum existimavit. Nimirum comperto, quod ob distensionem vaginæ a fœtu mortuo rhagades, seu fissura quædam in superiori ejusdem vaginæ parte facta erat, per quam porro urina inferne defluebat, sicque dolorem inducebat maximum ejusdem fibris vellicatis, intulit fistulam ibidem adesse a cervice Vescicæ in dictam vaginam penetrantem, hancque, quod sero ei animadversum fuisset, difficile fore sanabilem. His auditis, ut ut innocentem simulare potuissem, quod id negotium erat Chirurgicum non Medicum; tamen, quia mea interesse credidi ad livorem hostium conculcandum, veritatem tuendam, atque ad curationem abs me hactenus intentam omnino perficiendam, certitudinem ejusce facti percunctari, eo magis quod ad consultandum accitus fueram, petii ad D. De Ras quemadmodum fistula illa sua oriri potuisset? Excepit is, nympham illam abs me talem putatam fuisse veram escharam, quam deinde fistula secuta est. Ad hæc respondi 1. non fuisse putatam nympham, quæ ab egressu fœtus mortui extirpata, a Chirurgo Depujen Massiliensi extracta fuerat, cum febris jamdiu protenderet, ut supra innui; sed veram fuisse nympham, ut quæ pro tali haberi posset si ipse D. De Ras Anatomiam non ignoraret quippe vidisset illam in sinistro latere deficientem: verum ad hæc intulit non esse hoc attendendum, utpote quod ejusmodi pars ad ornatum mulieri concessa fuerit, commentum Deus bone!

Quod nemo sanus promat ab ore
Qui modo cognorit cordata & sana profari.

cum videlicet nemo Anatomiam vel mediocriter callens ignoret quid in Mulieribus nymphæ præstent. 2. Escharam esse e

contra non potuisse, quod nullum ibidem causticum admotum fuerat. Qua tamen opinione sua non obstante, imo potius, ut fistulam curaret, præscripsit injectiones vulnerarias (remedium mehercle ad fistulas, si sapis, præclarissimum) quo facto, belleque rem peregisse ratus ad sua se contulit. Interea porro rogabat Illustrissimus Conjux, ut injectiones operante Chirurgo quodam Rustico juxta præcepta a D. De Ras habita, quod reliquum erat ipse conficerem. Nec renui (& cum insuper de mei Consanguinei ægritudine ageretur) Sed quod mea, imo quod Medicum; febris omnino remiserat, appetentia satis indulgebat, verbo res bene se habebant: & cum postea ex alia parte Chirurgus instrumenta excogitasset, quibus Nobilissima D. erecta, ac stans quotidie videri posset, donec circa Festa D. N. Natalitia, hoc est diebus prope 30. ab adventu D. De Ras, Ecclesiam peteret, ibidem Sacrum auditura. Contigit tamen interea, ut dum canula (instrumentum scilicet, quod ne Urina in Vaginam deplueret adhibendum ipsi Chirurgo de Ras proposueram) optatis minus responderet ac tartarosa materia oppleta mictionis negotium continuo facesseret, demum semota sit; unde porro tartarum illud in laceras superioris Vulvæ, pene Clitoridem ac juxta Pubem existentes fibras se se intrusit, ibidemque cum altero pridem adfluxo atque conglomerato se se miscuit; quo glomus propterea factus est, qui & ascendere & descendere juxta diversam situationem ab Illustris. Ægra persentiebatur. Nec tamen hic omnino stetit illius materiæ iniquitas. Quandoquidem crescentibus cum Nymphæ præcitatæ, tum & Vulvæ fibris supradictis, objectoque dein tartareæ illius materiæ obice, ne accretio ejusmodi contingeret, dolor solito crudelior persentiri cæpit, cum aliquali desuper sanguinea mixtione, laceratis nempe eisdem fibris. Huic itaque impedimento sive symptomati totis viribus occurrendum erat, ut nimirum glomus tartari supradictus evelleretur; verum hoc a Chirurgis neglecto (quod videlicet fistula ipsi magis cordi esset) symptomata deinde recruduerunt cum intensissimo dolore. Ego autem vel pridem usum pulveris viperini ordinaveram ad cohibendam tartari prædicti generationem.

nem. Sed frustranea erat hæc intentio, quatenus lochiorum & fœtus mortui materia sic expurgabatur. Vana etiam erant opiata ad sedandum dolorem adhibita, cum nimirum ejusdem caussa diu perseveraret. Quod ita se habentibus deliberavit denique Illust. Patiens (quod Ego vel ante duos menses hortatus eram) Alexandriam petere, ut ibi peritissimi cujusdam Chirurgi, ex inde Taurinum curæ se committeret. Periit ergo illuc circa medietatem mensis Februarii. Num tamen ita me gesserim, hoc a quocumque Artis cultore facile judicari poterit. Quamobrem de his satis.

OBSERVATIO XXI.

Scroti ac Testiculorum Tumor & Stranguria.

NOn inepte Practici Stranguriam nuncupant Vescicæ Tenesmum. Inde namque Æger cum conatu maximo ac dolore aliquo in urethra urinam reddens paucam Tenesmo in ea parte laborare simulat. Verum ob tales conatus appulso liberaliter tam in Emulgentes, quam in alias Hypogastricas arterias sanguine, accidit nonnunquam, ut Testiculi, ac Scrotum inflammentur, id nimirum, quod in Viro circiter Stranguvio prope Montaldum hoc anno 1750. evenit &c.

OBSERVATIO XXII.

Angina Æpidemica.

ANno 1748. hyeme existente sicca ac temperata; Vere autem ventoso succedente, impluvio, ac sereno, Anginæ plurimæ spectatæ sunt, quarum pleræque instituta modica diæta sponte resolvebantur, item aliæ levi Cathartico propinato, aut unica V. S. instituta. Verum nonnullæ internæ Synanches appellatæ, nisi per eandem V. Sectionem illico, ante frigus, hoc est in exortu suo suffocarentur, facto intra paucas horas apostemate extinguebant. Proxime vero emorituri ajebant sentire se quidquam e Faucibus inferne descendens; unde porro

porro tumor, si qui exterius aderat, disparebat. Præterea angebantur, seque itidem agitabant motabantque ægroti: nonnihil pariter delirabant, festucas carpebant, floccos avellebant, ac demum oborto tertium levi frigore, paulo post strangulabantur.

OBSERVATIO XXIII.

Præsagia Vermium in Febre Putrida cum dolore Laterali.

MUlier juvenis Rusticana annorum 20. cathameniis irregulariter fluentibus correpta est Febre cum *Dolore Capitis*; *Dolore* item *dextri lateris* parumper lancinante, & tussi *non* continua, verum per intervalla repente, & *sicca*. Jussi itaque, ut ei saphena aperiretur in sinistro pede: ex quo mox, sequente die *Sitis* invaluit, accidentia præfata non remittebant, imo *Horror* quidam identidem illam deprehendebat, labia pellucebant, & *Cardialgia* denique sæpiuscule consequebatur. Quo stante suspicatus sum Vermes hanc Tragædiam ludere, atque adeo die immediate subsequens præscripsi eidem febrifugum nostrum corpori ægrotantis accomodatum (erat namque habitosa & sat pinguis, crassisque alimentis pro rusticorum more ampliter enutrita) ex quo porro Vermes turmatim ab ore ejecti sunt, febre cæterisque symptomatis extemplo dissolutis.

OBSERVATIO XXIV.

De iis, quæ observantur in Cadaveribus illorum qui convulsi pereunt.

AMisi observationes has olim abs me factas in Jenuensis Reipublicæ Nosocomio majori; memini tamen Convulsione correptos, flacidi plerumque Cerebri fuisse, sero in quibusvis ejusdem Ventriculis expanso; quotquot autem deliri occubuere, tensam ac maxime duram habuisse talis organi substantiam, ita ut ne vestigium quidem alicujuslibet serositatis in eodem Ventriculo reperiretur, pia imprimis Meninge ap-

ap-

parente cum vasis suis Sanguine multum referta. Denique lethargici illuvie illa Capitis continuo infestabantur; unde non inepte Hippoc. l. de Hom. Struct. n. 3. sic scribit. Lethargus est cerebri passio, fit quum cerebrum frigidis humoribus repletum fuerit.

OBSERVATIO XXV.

Effectus Ptisanæ Nephriticæ Foresti.

Illustrissimus Comes Deiparæ majori cum jam ferme a 6. annis laboraret Stranguria atque ab altero Medico esset pro Calculoso renuntiatus, petiit a me remedium, quo urinæ incontinentiæ molestissimoque inter mejendum ardori mederetur. Ego autem, quod eidem continuo non assiderem, quodque Medici prædicti auræ nihil deferre volebam, suasi ut insumeret decoctum Foresti, quod nempe hic ipse Author habet ad Nephritidem, præfata tamen diagnosi eundem ægrum haudquaquam calculo laborare. Is igitur Æger juxta monita bibit decoctum illud, quod pinguibus & mucillaginosis maxima ex parte constat; Cum vero plusquam octo diebus idem, vel per duos menses perseverasset in tali usu, essetque anni tempus hybernum, citra quamlibet causam raucedine correptus est; atque ex post etiam ventris tumore, adeo quod cingula caligarum atque indumenta alioqui satis laxa circumdando corpori non sufficerent. Postremo alvus sponte soluta est, & decoctum illud minime alteratum, sed ejusdem, quo pridem (nempe priusquam ingereretur) coloris & consistentiæ fere ad mensuram duarum sitularum erupit. Quo facto venter detumuit, & raucedo disperiit. Hisce peractis me iterum consuluit, eumque non aliena amplius, sed mea opera uti vellet, præscripsi Infirmo therebinthinam cypriam ad ℈. j. alternis diebus insumendam absque additione, intercallaribus vero addiectis rhabarb. pulv. ℈. ij. atque ab hoc remedio melius longe se habuit, quam ab ante præscriptis.

PRO-

OBSERVATIO XXVI.

Progressus Putridæ febris ad Mortem.

ADolescens 20. annorum edax obæsique corporis conquestus primo de tenesmo ac diarrhæa, postremo incidit in febrem pulsu tenui, profundo, nec multum a naturali discedente: ab hinc vero quadam nocte servientes objurgatus, quod decentia officia non præstarent, mane correptus est delirio ac febre ardente. Phrenitis porro hujusmodi triduana fuit; eamque mox lethargus excepit, potius dormitio ex defectu virium, potius quam ab alia causa contracta: Jam vero oculi exinde obfuscari cæperunt, æger nempe parum videbat, vox etiam raucescebat, mors adventabat.

OBSERVATIO XXVII.

Constitutio Æpidemica Anni 1747.

POst vernum Equinoctium effusis pluviis a die 23. Martii fere per totum Aprilem, Tertianæ febres innumeræ circa finem Maji obortæ sunt, quæ paulo serius curatæ in putridas degenerabant & in malignas. Quotquot vero Medicum adibant, vel unica V. Sectione, ad summum etiam Emetico, curabantur; sed in progressu, remediorum hujusmodi iteratione opus erat (quandiu scilicet ægri in principio Medicum non consuluissent) atque ab iis auxiliis vermes quamplurimos eminus cominusve dejectos fuisse animadversum est: horum autem longior ægritudo facile argumentabatur ex Ventriculi affectionibus majoribus; Nam quibus nausea, aut vomendi desiderium tantum accidebat, brevis; quibus vero vomitus aut vomendi conatus irrepsisset, prolixioris febris indicium erat. Porro hæc fastidia rigorem febrilem duntaxat initiabant aliquando bis, interdum pluries: nonnunquam etiam a potu aut a quacunque alia ingestione recurrebant. Dolor itaque Ventriculi ab omnibus initio morbi persentiebatur, quem Cephalalgia ac Vigiliæ

postea

poftea fequebantur: cum vero febris ingravefceret, atque in putridam converteretur, dolores articulos occupabant, febremque malignam augurabantur; lingua infuper paulatim nigricabat, fitifque quo vehementior in principio apparet, eo periculofiorem febrem ominabatur. Jam vero per V. Sectionem ifta omnia tollebantur præter linguæ nigredinem, cui nihilominus humiditas adjungebatur. Pulfus ab initio durus, progreffu temporis mollior & inæqualis, poftremo pænitus remittebat, ac veluti delaffabatur: refpiratio præterea difficilior fenfim reddebatur, cor nonnullis identidem palpitabat, ac paroxifmi fine lege recurrebant cum rigore aliquo, a quo calor & delirium poftea irrepebat. Enemata fuas partes implevere, quæ icciroco fæpius repetebantur.

Porro Æftas ficciffima exceſſerat, & fub finem Augufti, quum noctes refrigerari inciperent, febres illæ pænitus intermifere. Plus mille Infirmorum a nobis curatorum nemo (Deo fit laus) eft defideratus.

Sed hoc tempore Dyffenteriæ factæ funt, quibus præfertim matutino tempore per prata & pafcua rore madida excalceatis pedibus deambulare contigiffet.

Bruma vero incipiente Novembri luna, ideft circa finem hujufce menfis, ficcitate continuante ventifque perflantibus, tumores fiebant ad aures & collum, eryfipellata in facie.

OBSERVATIO XXVIII.

Conftitutio Epidemica Anni 1748.

VEre pluviofo exiftente, ingentique mox calore oborto, ultra folftitium Æftivum, hoc eft circa initium Menfis Julii Tertianæ febres plurimæ obortæ funt, quibus quotquot laborabant de Stomachi dolore conquærebantur in principio, deque ingenti Capitis dolore, ut ut nihilominus fiti aliifque fymptomatibus febrilibus expertes. Nos autem fanguinem ftatim educebamus colore vividum, at paulifper bullofum, quafi ebulliret;

postea vero ingruente novo paroxismo propinabamus illis infusum Crocimetallorum, a quo dein sudores & vomitus excitabantur, febre omnino cessante, nisi quod alius, vix tamen perceptibilis paroxismulus adhuc sequebatur, & qui ægritudinem claudebat. Sed qui scilicet, atque hac methodo non fuissent curati circa sextum aut septimum paroxismum in febrem incidebant continuam & malignam, a qua mox de medio tollebantur, magnum exinde me desumente prognoseos argumentum, ut qui hujusmodi ægrotantes tunc temporis renunciabam omnes, quibus nec mora dabatur, aut spatium æternitati consulendi, reliquis reclamante me cautioribus factis, qui iccirco vel prima a morbo die opem petitum veniebant. Porro autem febres illæ ineunte tempore citius malignabant. Nam mense Augusti quarto, ad summum quinto paroxismo tales fieri consueverant, item circa initium Septembris, donec ad Æquinoctium illico, nempe secundo aut tertio paroxismo tales evaderent. Cæterum ex emetico Vermes eminus educebantur ut plurimum, nec non etiam cominus, & qui subinde convalescebant, ob ventriculi patientiam, valetudinem in longum protrahebant, præsertim ubi in Diæta errare contigisset.

OBSERVATIO XXIX.

Constitutio Epidemica Anni 1749.

Ultra hyemale solstitium Anni præcedentis catharri innumeri enati sunt, maxime in Senibus, quorum plerique fuere suffocati. Febres deinde putridæ apparuerunt ac verminosæ, Pleuritidem speciem mentientes, oborto nimirum intensissimo frigore, quod per totum Januarium perseveravit. Sed hæ febres in universum superabantur ejectis Vermibus Emetici ope; quod adeo qui non assumebant, aut quotquot morbum neglexissent fatalem diem obibant, in quorum numero præcipue fuere Senes, item nonnulli eo remedii genere tardius usi. Jam vero ab Emetico, concesso croco ac stibio diaphoretico (quæ nempe sudores egregie procurabant) febres illæ finieban-

bantur. Hæc constitutio desiit sub finem Februarii, rediit circa finem Martii, quoties scilicet accidebant, ut frigus remitteret, subindeque intenderet.

OBSERVATIO XXX.

Effectus Erucarum Arbores depascentium.

NOn immerito Galenus Bruchos, qui in Stipitibus nascuntur, per πιτυοκάμπας propterea appellati, facultate cantharidum esse testatur l. 11. de Simp. Medic. Facult. Totis namque hisce 4. annis, quibus pestis illa viguit (anno etenim 1748. Deo dante pænitus extincta est), ejusmodi facultates notæ plurimæ spectatæ sunt, ut plurimum exitiosæ. Siquidem quisquis illos attigisset, aut folia in quibus nidulabantur, vessiculis illico scatebat in manibus rubicundis, adurentibus ac pruriginosis. Mulier insuper, quæ indusium ad ignem ex iis frondibus confectum excalefecerat, in quibus nidi ejusmodi prostabant, idque post marito superinduxerat, huic malignam febrem intulit, a qua is ægerrime evasit. Duo item juvenes maxime robusti, dum per nemus iter facerent, cujus quercus ab ejusmodi animalibus apprime arrosæ fuerant, in cephalalgiam inciderunt intolerabilem, ac paulo post in febrem ardentem, a qua alter interfectus est, alter non nisi cum magna difficultate sanari potuit. Talem igitur pestem arbitror primas habuisse in causa febrium malignarum, quæ in constitutionibus præcedentibus fuerunt observatæ, & quæ, cum pestis illa invaluisset adeo ut nulli arborum, nulli frugum parceret; Epidemiam invexerunt varia Pedemontium loca in Pago Claverani necnon ad Navillii ripas &c.

OBSERVATIO XXXI.

Abortus & Secundina retenta in Muliere Gallica lue infecta.

MUlier lepra obruta & gravida quinto geſtationis menſe puerum edidit, dumque ſecundinam expectaret, vehementiſſimis oppreſſa doloribus Chirurgum imploravit: qui porro manu oleo illita, eademque in Uterum inducta tetricum coagulatumque ſanguinem primo, ſubindeque ſecundinam ipſam magna ex parte laceram eruit, ſedatis ſic aliquantiſper torminibus. Quæ nihilominus poſt iterum exacerbata inter ejulatus maximos tragædiam clauſerunt, muliere fatis functa. Cadavere aperto comperi nigerrimum ac fætentiſſimum Uterum fruſtula Secundinæ habere ſibi adhærentia ita, ut iſtorum quotlibet fibrillæ totidem illius glandulis inſigerentur, forte quia fœtus nondum erat maturus.

OBSERVATIO XXXII.

Cauſa Suffocationis in Viro.

ADoleſcens annorum circiter 20. cum de Wlulæ relaxatione quæreretur, acceſſit, petiit Domum non longe diſtans a Civitate; ubi Veſpere ejuſdem diei, quo lecto decumbere juſſus eſt, non ſatis frugaliter paſtus, ſolito ægrius reſpirare cœpit, erectoque corpore ſpiritum trahere; tum vero ſibilo oborto & catharro, qui ſonitum edebat inſtar ranæ coaxantis, mors ad fores fuit. Ejus itaque diſſecto funere Wlulam primo exploravi; aſt hæc ſecus quam eſſet eroſa (uti nempe Chirurgus reputaverat) tantiſper duntaxat erat relaxata. Diſciſſa vero ex hinc per longum Trachea oſtendit ſe ſe in bronchiorum pulmonalium initiis quidam mucus ei ſimilis, quem excreamus; ac tandem apertis pulmonibus alius humor conſpectus eſt viſcidus, ac ſubalbus, qui fere omnes Veſciculas pneumoni-

cas

cas implebat. Pulmo ipse totus in molem solito majorem excreverat, Thorax eidem continendo impar erat, ac Pleura eidem Pulmoni ubique adhærescebat. Cæterum alia viscera bene se habebant, Ægerque vel absque febre decesserat.

OBSERVATIO XXXIII.

Alia secundinæ extractio lethalis.

NOsce, Lector, novuum Carnificinæ genus! In Pago nostro Mulier proba ac vegeta puerum debito tempore enixa est; cum vero secundina continuo biduo non egrederetur, quidam Pseudo-Chirurgus accersitus inventa forte inter palpandum ejusdem secundinæ parte funiculum ipsi alligavit; mox vero cum solus extrahere non posset Maritum illius advocavit, cujus adjuvante opera sic se præstitit, ut una cum secundina & Uterum & Animam tandem eduxerit.

OBSERVATIO XXXIV.

Calculi e Stomacho ejecti.

MAgnæ spei Adolescens, Nob. D. Æques Paschasius a Turri, erraticas quasdem febres patiebatur cum dolore in sinistro Hypocondrio, colore subpallido, appetitu tamen continuo vigente. Huic pharmaca propinata fuerant, quæ ad febrem conducere visa erant; sed nihil momenti ex iis percipiebatur. Traditi ergo sunt ad extremum pulveres ex sale Volat. urin. Sal. succin. & similibus elæo-saccharo anisato conditis; quorum profecto usu lapides duo totidem diebus per vomitum ejecti sunt albidi, fere minimo digito crassi, oblongi ac duriusculi ita saltem, ut gypseam materiam imitarentur, imo, ut & malei ictibus probe resisterent, adolescente sic a tabe ac febre imposterum servato.

OBSER-

OBSERVATIO XXXV.

A Lethargo Sudor, malum.

JUvenis quidam Rusticus in Suburbio Ipporediensi e cruris ulcere incidit in febrem malignam cum totali virium prostratione, præcordiorum angustia &c. Ad hæc Oculos in obvium quemque intendere cœpit pavidus, nulli alloquens, tantum quicquid ministri præciperent statim obiens. Porro ex Pharmaceuticis nihil omnino assumpsit, præter alterata aliquot jusculа ex cichorio & endivia. Interim crescente febre, quarta fere morbi die in somnum dilapsus est sat profundum: oculos apertos tenebat, vehementer respirabat, pulsu magno & celerrimo apparente. Cum vero is nullo pacto excitari posset, atque ubicunque collocaretur ibi diu consisteret, sudor quidam obortus est, cui accedente quotidie graviori respiratione Mors succedebat.

OBSERVATIO XXXVI.

Prognosis Ulcerum.

ADverti sæpe, nec me unquam fefellit, quotquot ulcere alicubi tenebantur, si sanguinem illinc effudissent, paulo post, sive intra paucos dies, esse morituros: item & quotquot diarhæa absque ulla alia causa deprehendebantur; quorum aliquos vel supra ipsam suppositam patellam animam cum stercore emisisse novi.

OBSERVATIO XXXVII.

Schirrus Penis in Infante.

PUer annorum 6. spurius ob Penis paralysim & duritiem clam ac furtive delatus in domo cujusdam Rustici receptus, & incognitus, vocatus ad invisendum tale munus gratui-

tuito factum, narrabat, quod cum Nutrici cuidam alendus fuisset traditus, mulier hæc prædictum membrum sibi identidem contrectabat, interdum molliter, aperto ore continebat, labiis & lingua fricabat (ducta libidinis æstu) plerumque vero tam acriter, ut sustinere non posset, atque ad lacrymas cogeretur; quo factum ut membrum illud primo dolorificum, mox vero indolens evaserit, ac pedetentim obduruerit. Cum igitur insensile & Schirosum, ut ut albescens conspiceretur idem psoleon, amputatum est a Chirurgo D. Marco Ravina. Secui vero ego illud statim, atque in exteriori parte, hoc est sub integumentis inveni ipsum ubique plenum lympha crassa & pene immobili, nulli ne per vestigium quidem apparentibus sanguineis vasis; interne vero nervosa corpora in carthilaginem coaluerant vix forcipe divisibilem, & quæ in os proculdubio concrescere potuisset.

OBSERVATIO XXXVIII.

Pulmonis noxa a Liene.

VIr annorum 45. ab ulcere Testiculorum incidit in vehementem febrem, in qua aucta quotidie magis respirandi difficultate, exortoque hinc quodam subdelirio, ad extremum post aliquot dies vel de improviso expiravit. Aperto per nos cadavere, vidimus cerebrum nihil mutatum fuisse, secus nempe, quam in deliriis fortibus, in quibus ejusdem substantia riget, ac siccescit; verum in inferiori ventre adspeximus Lienem ingentis magnitudinis, usque ad Ilia distentum, lividum crassoque sanguine confertum: in Thorace deinde Pulmonem flacidum, tuberculisque insignibus ex inspissata lympha obortis divitem præcipue qua in majores asperæ arteriæ diramationes iter erat. Ex quo facile fuit conjicere lympham hanc defectu debitæ in Liene tum fermentationis, tum & sui cum aliis cruoris principiis commixtionis valdopere incrassatam per Pulmones subinde non potuisse circulare.

OBSER-

OBSERVATIO XXXIX.

Anatome Cadaveris Ascitici.

VIrgo 15. annos nata & ulcere in crure detenta, cum in cachexiam paulatim incideret, atque adeo ulcus in pejus quotidie abiret, angebatur, quærebatur quotidie magis. Jam vero Ascitica tandem facta nihilominus, quam de ulcere sollicita erat. Accidit interea quadam die, ut dum reliquas mulieres in proximo degentes etiam infirmitatis causa visitarem, in ipsam impegerim tunc temporis cænantem, ciboſque avide, præter consuetudinem, devorantem; qua novitate percitus ipsius pulsum palpo, interrogo, eadem interim nihil plus, quam ingluviem curante. Ut vero eundem pulsum attigi, imo & cum nec pepercissem quidem ratus voracitatem illam mortis esse prænunciam (prout nempe & alias sæpe observaveram) sacrorum Ministros statim advocandos monui, & ut rem cito expedirent, videntibus ad hæc reliquis mulierculis magis petulcis. Dictum igitur factum, & misella illa vix a duabus horis occubuit. Cadavere ad abdomen exscisso, lymphæ primitus magnam copiam intra comunia integumenta offendi; majorem tamen abinde, Peritonæo scilicet perforato; tum enim idem serum clarum ac limpidum ex Abdomine tanquam e latice dissiliebat. Hoc exhantlato, Intestina perinde conspecta sunt, ac si extrinsece lota fuissent: tumescebant tamen non parum, & Ventriculus velut a flatibus distendebatur, nec mirum, cum utraque leviter perforata eosdem flatus emitterent, nec flacescerent tamen, sive conciderent. Porro autem intrinsece comperta sunt habere Peyerianas glandulas solito tumidiores, bene apparentes ac velut obstructas (fluidiori nempe lympha in Abdominis capacitatem expansa) ceterum Mesenterium nihil aliud oculis objiciebat, præter glandulas suas conglomeratas, lividas ac præter modum duras: lien item lividus, durus & oblongus cernebatur; hepatis major lobus subniger & obstructus, Pancreas denique schirosus compertus est. Secto deinde medio Ventre magnam subito seri quantitatem inveni, quæ & Thora-

cem

tem universum implebat. Pulmonis lobus dexter ita Pleuræ & costis adhærebat, ut abinde integer divelli minime posset. Erat præterea prægrandis ac valde durus, ac tuberculis circa bronchiorum initia plurimis scatebat; sinister vero longe tenuior iisdem tuberculis minus referciebatur, uterque tamen schirosus. Quibus inspectis causam me invenisse visus sum & repentinæ mortis & stertoris, seu sibili, quem audiveram ubi ad illam ultimo accessi.

OBSERVATIO XL.

Hydrops ex Uteri hæmorragia curatus.

DOmina Clara Francisca Uxor cujusdam Nobilis ætatis suæ anno circiter quadragesimo tertio postquam diu noctuque negotiosa, vigil, anxia, divitiis inhians, equitans, peditansque Æstatem traduxisset, circa Autumnum Uteri hæmorragiam pati cœpit liberalem, amplam, animi deliquiis cæterisque consuetis symptomatibus stipatam. Recruduit hæc deinde a paucis diebus, & posthac tàm crebro furere visa est, ut dubium fecerit, an mulier spiritalem una cum purpurea (ut ajunt) animas brevi esset emissura. Nihilosecius e tot sanguinis jacturis nihil de corporis habitu amisit ægra (erat enim eusarcha & succi plena) tantum colorem, qui in pallidum mutatus est; sed post quartum abinde annum, soliditate corporis in vanidam carnem mutata, vires omnino absumptæ sunt. Excepit dehinc Ægrotantem Tussicula quædam sicca, quæ adeo faciei ac reliqui corporis pallore ac intumescentia de Anasarca non mediocrem metum incussit. Interea tamen temporis omnia pene remedia assumpta fuerant, quæ ad sedandas ejusmodi hæmorragias adhiberi solent, & omnia tamen incassum. Quippe his non obstantibus Uterinus fluxus perseverabat, jungebaturque igitur proclivitas ad hydropem: & de facto circa quintum a morbo annum remisit hæmorragia præfata, subsequuta tamen mox respirandi difficultate præsertim nocturno tempore, ventris tumore, siti, artuum squallore &c.

adeo ut ægram animum Omnipotenti brevi reddituram omnes crediderant. Effluxerant autem jam fere septem menses, ex quibus ego in præfatum oppidum receptus istiusmodi ægrotanti una cum altero Medico D. Schlarano assidebam: cum vero eadem a quolibet remedio, more plerarumque mulierum, abhorreret, imo ex alia parte suo semper genio (quod victus rationem totque animi pathemata etiam periculosiora, ut ira) maxime indulgeret, factum est, ut plurima proponerentur remedia, nulla tamen constanter juxta præscriptum Medici assumerentur. Quamobrem pertæsis Medicis ejusmodi regiminis & ægre, tertio quodam Doctore in eundem met Locum a longinquo profecto consultum est, ut vinum Juniperinum biberet, viperinum pulverem quotidie assumeret, certasque pilularum doses ex rhabarbaro, gumm. ammoniaco, & quadam martis compositione. Verum Ægra hisce medelis statim ac de more abdicavit, nihil sibi convenire censens nisi quod ipsi magis arrideret. Ego nihilominus (utpote in quem fiduciam suam præ cæteris collocaverat Infirma) etsi lassus, verbo tamen & præce curabam aliquo remedio sibi prævideret, ac tandem oravi insumeret saltem continuis noctibus g. x. vel quindecim petrolei recentis ac genuini. Obtemperavit ergo mihi in hoc Ægrotans illa, utque vidit medicamen hoc sibi non esse fastidiosum, idem perpetuo assumpsit ex cochleari - vini rubri noctu hora somni. Quo factum ut paucis ab hinc diebus scabies parva extra cutem eruperit, tum diarrhæa subsecuta sit, & urinæ, quæ alias in pauca quantitate emittebantur, in justa copia diffluerent. Jam vero quoties febris ob errores in victu recrudescebat, rhabarbari pulverizati drachmam in olygophoro præbebam, sicque vel invitæ urgentioribus symptomatibus occurrebam, adeo ut ad extremum venter detumuerit, febris excesserit, uteri hemorragia sanata sit Anno Dominicæ Incarnationis 1750. &c.

OB-

OBSERVATIO XLI.

Calculus Vesicæ in Sue.

PRope Portum Salugiensem itineris causa quo nuperis diebus perexeram Taurinum, occurrit mihi Ad. Rever. D. Philippus Ant. Cassinellus Amicus meus plurimum colendus qui mihi ostendit calculum quendam, sive lapidem ovum columbinum magnitudine æmulantem, ut & figura, quamvis colore a vulgari lapide, qui in fluviis extat nihil differret. Splendebat enim variis in locis, perinde quasi arenulis lucidulis constaret. Hunc igitur calculum retulit Rev. D. in Sue fuisse repertum; sed cum ego dubium ei de hoc fidem præberem, una pereximus ad Villicum prope Palatium commorantem, qui illi talem lapidem consignaverat. Ostendit tum is Vescicam, ex qua eundem calculum extraxerat, adjecitque insuper Suem, cujus illa erat Vescica, mole quidem increvisse quotidie, ac quotidie tamen simul emarcuisse adeo ut intempestivius, quam ut alias fecisset, illum occidere coactus sit. Calculus ejusmodi nunc apud ipsum &c.

OBSERVATIO XLII.

Calculus Ventriculi.

NOb. D. Petrus Antonius Ernesius J. V. D. ætatis annorum 20. postquam in Cachexiam incidisset atque esurie nihilominus tentaretur, qua absurda etiam devorabat, dolorem in Epigastrio passus est, quem ipsius Parentes in Lienis obstructionem refundebant, Ego potius in Colon Intestini distensionem. Ei interim febricula adjuncta vocatus sum ut opitularer. Præscripsi ergo ipsi pilulas Martiales ex rabarbaro & croco ejusdem martis apertivo; quibus rite licet operantibus, febricula tamen illa, & Ventris inflatio tolli non poterant. Quamobrem ad comprimendam illam Ventriculi discrasiam, affectumque veluti Bulimum compescendum tradidi alia ex Sa-

le Volat. urinæ, ſuccini, & C. C. parata catapotia, ex quorum aſſumptione tertia die per vomitum ejecit calculum grandem, nempe uno fere digito oblongum eodemque paulo craſſiorem, album, radicibus inferne, tamquam pedibus donatum, quibus lacertum animal repit, denique tam durum, ut frangi ægre potuerit, perinde nimirum, quaſi ex gypſo arte cæmentaria maxime compacto fuiſſet compaginatus. Eo excluſo melius in diem ſe habere cœpit Juvenis Nob. febris exceſſit, cachexia remiſit, bulimus extinctus eſt.

OBSERVATIO XLIII.

Calculus Inteſtinalis.

DEtulit ad Me quidam Medicus Alicienſis (cur ipſius Nomen ſileam, ipſe ſcit) quum in Oppido Montiſacuti Medicinam faceret, aſſumpſiſſe curandum quendam Virum in altero Oppido proximo degentem, qui poſt plura pharmaca diutiſſime præbita ad extremum emiſit calculum per Inteſtina ſatis oblongum ac valde craſſum; quemque ubi Ulmario Medico celeberrimo oſtendiſſet, uti iſtius ſuaſu de eodem ſcripturus erat ad quandam prope Neapolim Academiam, ita non vacat ipſum heic deſcribamus.

OBSERVATIO XLIV.

Calculi Pulmonum.

DOm. Gaudentius . . . . Faber Stannarius annorum fere 30. elapſa hyeme in aura frigida obverſatus incidit in tuſſim ſiccam & in febrem; quæ ad extremum hecticam ſimulabat; ut vero tuſſis illa miteſcere cœpit atque humeſcere; expectorare viſus eſt lapillos quoſdam albos, duriſſimos, figuræ triquetræ, ita nempe ut parvas dentius radices ſimularent. Expuebat autem hujuſmodi calculos nunc binos, aliquando tres in diem, idque aſſiduo, donec propinatis decoctis ſudorificis

præ-

præsertim ex radice chinæ, jusculis item hoc balsamico alteratis viperino pulvere, & laudano opiato convenienter præparato tales calculos expuere desiit, tussis remisit, febricula excessit, ipso post Conjugium lætanter aggresso.

OBSERVATIO XLV.

Cautela in Variolis.

QUoniam complures adverti, qui Infantes Variolis decumbentes, atque a Servis, aut Matribus male in diæta contenti fato decesserunt, monere hic teneor Medicos, ut ejusmodi personas talis erroris, si quem commissuræ essent aperte redarguant. Committitur autem ut plurimum ille error, quando Variolis siccescentibus, post undecimam nempe diem, ægroti esurire incipiunt & cibum petere. Tunc enim grossiori oblato cibo, ut pane &c. febris iterum accendi incipit, diarhœa supervenit, Variolæ nigrescunt, & facta in sanguine gangræna misellì pueri e vivis excedunt. Mirati sunt parentes plurimorum, quod Variolis ad maturationem & suppurationem commodissime perductis, filii post, circa 18. diem, objerint, omnem in semet culpam porro refundentes, quod Medicum diætam severe imperantem, jocatum fuisse (ut ajebant) credidissent, joco tamen post, malo ipsorum testimonio in prophetiam converso.

OBSERVATIO XLVI.

Delirium Melancholicum.

QUædam Virgo rusticana prope Coloretum annorum 63. laudabilis temperamenti & eusarchi, ut ut ab ineunte ætate raro febricitasset, quoties tamen hoc contigit (quod nempe ephimeri spatio terminabatur) semper delirare assueta hæreditario veluti prosapiæ (alioqui boni ominis) malo; quandoquidem sive Pater, sive Mater, sive Fratres quotiescunque febre corriperentur deliri efficiebantur,

bantur, hoc anno 1750. tertiana febre deprehensa est circa Æquinoctium Autumni; a qua brevi juxta methodum nostram curata paulo post de ingenti Stomachi dolore conquærebatur. Obstitimus huic remediis anthypocondriacis præsertim nostro ex Croco martis & rhabarbaro; sed cum is non cederet ad infusum Antimonii deveniendum fuit: quo non obstante remissoque licet statim ab emesi ejusmodi dolore, contigit irasci in quendam domesticum, & tristitia angi coacta est, quamvis adhuc valetudinaria, ita paulo post febre denuo exarsit, qua mente abalienata est, remedia increpans, cibos respuens, furiosa, quasi maniaca. Idcirco V. Sectionem in pede statim instituendam volui, & sanguis magno cum impetu atque efflorescentia prodiit. Postridie advocato una mecum D. Physico Masino, statuebat hic febrem illam esse vere malignam; sed obstiti nullum aliud signum causatus præter delirium memoratum. Quippe facultates reliquæ sive naturales, sive vitales bene se habebant, ut & Lingua, Pulsus, Vires &c. Adverti interim Ægram istam parcissime mingere: quod quamvis deliris commune sit, quoniam tamen in hac Virgine accidere consueverat, ut etiamsi sana semel tantum de die utplurimum lotium redderet, idque guttatim, novam mihi delirii causam præstolandi ansam dedit. Verum duobus abinde diebus febre jam totaliter evacuata cum delirio non obstante quieta satis dormiret vomitu deprehendi cœpit, quo evacuata putridissima bile, fœtida & porracea, sudore item emisso naturaliter, & urina copiosissime reddita, Illustris Virgo suæ compos mentis pedetentim facta est.

OBSERVATIO XLVII.

Relaxatio Pylori, sive Orificii inferioris Ventriculi.

VIrgo altera decorosa annorum 48. dum Mater hydrope tentaretur, qua etiam mortua est, in lucem edita laboraverat maximis pathematibus usque quod transacta juventute cum se se pietatis muniis ex professo emancipasset, squallida, lan-

languida, verbo cacochyma in totum apparuit. Jam vero tribus ab hinc annis (nulla præcedente febre, angi cœpit, quibus tota Epigaſtrica regio, præcipue vero dextra, contrahi videbatur, ſuccedentibus inde vomitibus materiæ præſertim bilioſæ, hoc eſt flavæ, aut virideſcentis, cum maximo dextri hypocondrii cruciatu, urina cæteroquin bene, ac ſine impedimento defluente: ab his poſtea velut icterica cernebatur, facie, cute, oculis omnino flaveſcentibus, quæ profecto indicia erant dolorum remiſſionis. Convocatis propterea diverſis Medicis oblata ei fuerunt purgantia, ol. amygd. dulc., Caſſia, manna, & ſimilia; item lac, ſemicupia, fomenta &c. Ego vero ultimo loco accitus conjeci ſtatim talem Colicam non eſſe neque nephriticam, neque inteſtinalem, cum videlicet nihil adeſſet, quod utramque iſtam indicaret. Interea recrudeſcentibus ſæpe paroxiſmis, ſemper abſque febre, ſed cum vomitionibus aſſuetis, anorexia, languore, icteritia &c. in eam deveni ſententiam, ut relaxato ob præcedentes cauſas, potiſſimum vero propter affectum hypocondriacum, ſive ſtagnationem ſentinæ Ventriculi ejuſdem orificio inferiori, bilis, quæ deorſum vergere debuiſſet, ad ſuperiora tranſiret, comprobantibus hoc vel maxime vomitionibus citatis, anorexia, diſpepſia, fœtore oris velut inteſtinali, dolore in eodem hypocondrio dextro, & parciſſimis per imum ventrem dejectionibus, adeo nempe ut continuo triduo numquam, imò niſi irritata alvo ſemel aliquando deponeret. Factum nihilominus, ut præſcripto abs me levi bolo purgante ex rhabarb. & tart. vitriolato identidem repetendo priſtinam vitam Virgo ſpecioſa etiamnum traducat.

O B S E R V A T I O XLVIII.

Vertigo & Scotomia a nimia Tabaci Fumi-ſuctione.

REv. D. Felix Muſſanus Eccleſiæ cujuſdam Parrochialis prope Arcem Caſalenſem Parochus piiſſimus, cum ardente bello, quod eundem locum totamque viciniam Caſalenſem devaſtabat ſolus domi degeret ſuis, & Parrochianorum rebus invi-

vigilans, ut curas metumque falleret, somnum otiumque transigeret &c. tempore præsertim hyberno; Nicotianæ fumationi se devovit adeo ut quotidie sex, septem, aliquando etiam plures ejusdem fistulas hauriret, Vir alioqui gracilis, hypocondriacus, & temperamenti biliosi. Factum adeo inde a sex mensibus, ut Sacrum celebrans Capitis circumgyrationibus, seu Vertigine deprehensus sit, qua idem Sacrum imperfectum deserere coatus a Pastoris muniis per quadriennium deinceps abstinere debuerit. Comitabantur namque ejusmodi Vertigines Visus debilitas, Nictitationes palpebrarum veluti convulsivæ, Lypothimiæ, læsio Memoriæ, Impotentia ad motum, Cordis palpitationes, & similia plura. Jam vero accitis Medicis Sanguis sæpius detractus est, catharsis frequentissime instituta eventu nihilominus ita infausto, ut hæc omnia in deterius potius cessferint. Quapropter ipse post quadriennium, ut innui, conscius de mea professione ut habuit a quibusdam, accitus, in alterantibus totus fui, scilicet in incrassantibus & humectantibus, habito tamen semper respectu ad Ventriculi corroborationem. Quibus equidem ita profecimus, ut intra duos Menses Missam iterum celebrare, concionari, deambulare valuerit, atque etiamnum vitam satis commode degat. Arbitratus sum porro in hoc Viro tunc circiter quadragenario cerebri substantiam nimis emunctam fuisse per continuam excreationem a fumo tabacino inductam, imo aliquatenus etiam deperditam, qualis deperditionis substantiæ Cerebri ab eodem fumo causatam in duobus subjectis Exemplum habet Helvvigius &c.

OBSERVATIO XLIX.

Tinctura Cantharidum & Arsenicum Christallinum in Potu & Cibo Gravidæ Mulieri eodem tempore exhibita.

Conjux quidam litteratus odio in Uxorem valdopere exestuans hasce insidias eidem adstruxit: Noverat nempe illam aquævitæ potu summe delectari (delectabaturque, tanto magis eo tempore, quo propter graviditatem a Viro tamen, ut

ut retulit, ignoratam cardialgiis, ac nauseationibus obnoxia erat) quamobrem accepto ejusdem aquæ cyatho infudit in ipso cantharidum pulverizatorum non modicam quantitatem; hinc vero post aliquot dies decantata infusione, quæ ob Aquævitæ spirituositatem acerrima evaserat, ita ut summo linguæ apice degustata plane istam vessicare videretur. Vespere quodam phialam illam in loco patulo, quasi ad usus proprios reposuit. Uxor igitur talis liquoris appetens clam maritum, qui etiam de industria aliquantisper secesserat, arrepta phiala avide statim & citato ore magnum illius tincturæ haustum absorpsit. Interea Vir devoratis vix quinque bolis (erat enim cœnandi hora) negotia simulans circa focum obversabatur, & arrepta occasione, qua mulier stomachi ardorem jam maximum persentiscens tacita in cubiculum ad lamentandum secesserat, pultem lacteam, vulgo Ricotta, quæ eidem foco ad calefaciendum apposita fuerat, arsenico crystållino pulverizato conspersit, deindeque abiit, insinuans nolle se ulterius cœnare, quod negotia simul incumberent expedienda. Uxor autem rata, si cœnaret dolorem illum & morsus ventriculi fortasse cessaturos culinam denuo petiit, assumptaque Pulte, cujusmodi edulio satis læte vescebatur, ipsam haud lente devoravit Sacharo inspersam, quo etiam arsenici fraus obtegebatur, eoque magis impigre, quod ex Pulte illa Stomachi ardorem coerceri primis cochlearibus videbatur. Jam vero ab assumpta hac cœna medio circiter horæ spatio deficere, animo linquere, vomere incœpit atque ita angi, ut animam efflare videretur. Accurrit ad hæc porro nuncius ad Maritum, qui ne conscius facti conjiceceretur, mæstitiam simulans ad lares statim avolat; ubi protinus ad spectaculum præfatum misericordia motus, vel, ut probabilius arbitror, de Uxoris vita actum esse existimans, & ne incuriæ fortassis inculparetur, nisi remediis convenientibus manum porrexisset, ad me confugit, narravitque lacrymans confessusque est tragicum hujusmodi lusum. Quamobrem de hora & die invisendi certiorem feci, itaque una profectus ad Ægrotam, en! reperi eandem anxiam, viribus destitutam, facie cadaveracea, velut exanimem, nec tam de Cordis deliquio conquærentem, quam de dolore ad regionem Pubis, quasi

nempe, ajebat, omnia exinde essent abitura. Quibus auditis venam illico in brachio sinistro tundi jussi, & in larga quidem copia Sanguinem detrahi, sed interpolate, ne vires omnino deficerent. Hinc jusculis summe pinguibus confectis illam identidem saginari præcepi, etsi omnia passim evomerentur. Detractæ igitur fuere duæ circiter sanguinis libræ, imo fortasse duæ cum dimidia: ex quo porro vomitiones imminui & Pubis dolor sensim sedari incœpit, donec procurato somno libera omnino evasit; & crastina die brachium, in quo Vena secta est, nigrum in universum spectatum; qui color ultra 20.dies perduravit. Interim Mulier hæc puerum debito tempore parturiit, qui post tres menses ex tussi tunc temporis Epidemica in Autumno extinctus fuit; nec illa quidquam imposterum passa est, nisi pondus quoddam ad Pubis regionem præfatam, quamquam pluries deinceps ingravidata a pondere illo tandem libera evaserit.

OBSERVATIO L.

Podagra Cerebri.

VIr enim omni encomio dignus, perill. & adm. Rev. D. Jo. Baptista Camillus ætatis annorum 50. temperamenti sanguinei, constitutionis athleticæ, seu ad iracundiam pronus, propositi sui tenax, victui liberali deditus, ac vini amans jam a 15. annis podagra laborabat, qua intra septennium quater aut quinquies afflictus fuerat. Cum vero octo ab hinc annis quintum paroxismum perferret, consilio cujusdam Medici sanguis ei abundanter satis ex brachio extractus est, ter nimirum aut quater. A qua quidem evacuatione dolor capitis sensim irrepsit accedente tunc præterea fratris amantissimi Medic. Doctoris morte, quæ ipsum non tam diris cogitationibus molestavit, quam Cephalalgiam præterea cumulavit. Eapropter nedum finito Podagræ paroxismo Emplastrum quoddam Calvariæ fuit adhibitum; sed visum ei ex tali applicatione halitus quosdam ex scapulis & Dorso ad Cerebrum ascendisse. Quamobrem Podagra exinde nonnisi semel atque iterum, ac

tum

tum quidem leviter absque Pedis tumore correptus est; sed vicissim cephalea continua laboravit Vertiginibus adjuncta, quæ ipsi casum perpetuo minitantur impediuntque quo minus muneri alicui vacet, corporis extremitatibus, ac præsertim pedibus semper frigescentibus, stomacho flatibus abundante, Cordeque leipothymiis subjecto ex lympha sanguinis in Mæningibus indurata, unde Nervorum Ventriculo & cordi prospicientium tonus labascit &c. firmus in reliquum, rubicundæ faciei, hilaris, nec convenienti appetentia destitutus.

OBSERVATIO LI.

Passio hypocondriaca Scorbutica.

ADm. Rev. D. Emanuel Boverius Archipresbyter Castellazzii anno 1749. conquestus primo fuit de quadam gravedine ad sternum supra pectus cum aliquali anhelitus difficultate, Erat tum annorum 52. floridus, sed gracilis tenuisque corporis habitus, cumque ab ineunte ætate animi pathematibus gravioribus nondum fuisset assuetus, oborto tum cum potentiori quodam aliquali jurgio, de eodem maxime angebatur. Quamobrem accitus præscripseram eidem pilulas nostras cum rhabarbaro & croco martis aperitivo, a quorum usu melius se habere retulit. Anno sequenti suasu cujusdam familiaris, mense Augusti ad hauriendas aquas de S. Mauritio nuncupatas una cum illo invitatus, me licet acriter contradicente, post octiduanum ipsarum usum Barone illo Apoplectico facto & demortuo tortura oris deprehensus fuit, atque insuper graviori orthopnæa præfata cordis palpitatione, ac pulsus intermissione absque tamen aliqua febre denuo igitur evocatus repetendas esse duxi pilulas supradictas, indixique cordiales aquas tum intus cum extra usurpandas ad memoratum anhelitum & cordis palpitationem. Unde rursum melius se habuit, remisit contractura labiorum, Cor palpitare desiit, atque intra annum ipsa pariter pulsus intermissio, quæ ita crebra erat, ut fere intra vigesimam una, & quandoque etiam altera def-

ficeret. Nihilominus tabescere videbatur corpus, ejusdemque caro aliquatenus absumi. Hic adeo atque illic consultis Medicis, varia ab omnibus retulit remedia, quæ magnam partem etiam insumpsit. Verum anno sequenti circa initium Augusti diarhæa correptus est, cardialgiis ac fere syncopalibus accidentibus plurimis; a quibus tamen intra biduum liberatus egregie semper se habuit, viribus constantibus, & appetitu peroptime inserviente. Quo non obstante Medici, qui illi assidebant, Cassiam aliaque plura illi continuo propinabant, & sic Æger noster minime reficiebatur. Interim anno sequenti verno tempore cum sanguinolentus quidam excreatus apparuisset hirudines fuere applicitæ, imo sanguis etiam detractus, id quod etiam semel antea, seu præteritis annis fuerat celebratum. Ast sub initium Octobris sanguine illo per excreationem uberius affluente cum febre, ventris torminibus & agitatione maxima S. M. reiteranda fuit. Institutæ præterea crebræ purgationes, enemata frequenter imposita, aliaque remedia fuere ab illis Medicis celebrata, quæ ad meam cognitionem non pervenerunt. Donec circa vernum Solstitium anni 1751. anxietatibus cordis & virium languore deprehensus, Sacris se omnino abdicare coactus est. Visus interea dolor, qui Sternum occupaverat ad Hypocondria descendisse, nec non ad inferius abdomen; quod propterea nunc elevabatur, nunc detumescebat adeoquod Hydropis suspicionem non raro induxerit. Quibus observatis, de Scorbuti existentia certior factus præscripsi D. Ægrotanti aquam lactis destillatam, in qua nasturtium & similia Antiscorbutica ante fuerant macerata. Verum ab ipsius usu tam male se habuit, ut ab eadem in totum abstinere debuerit: Mox vero exorta iterum gravi orthopnæa ad hirudines denuo confugiendum fuit. Hinc, quamvis appetentia semper vigeret, dormiret, nec ullatenus unquam febricitaret, alvi nihilominus stipticitate perdurante ad crebras tum enematum, tum & purgantium exhibitiones deveniendum fuit. Jamque continuæ noctu diuque lamentationes, continuæ item abdominis superiora versus tensiones, vigiliæ & inquietudines se se exeruerunt. Tradita idcirco volatilia omnia, pulvis viperinus, juscula ex radice chinæ chinæ, item ex herbis aperitivis & antiscorbuticis, quæ

neque

neque ullatenus unquam profuisse visa sunt. Interim abdomen quandoque tumebat, ut Ascitem minaretur, quandoque vero idque eadem die ita decrescebat, ut nihil abscondere videretur. Narrabat præterea sensisse tunc temporis, id est circa initium Julii vaporem quendam ex infimo ventre ad medium juxta cor ascendisse; atque ab hinc ejusdem cordis palpitationes, quæ in principio morbi, ut diximus, recurrerunt, sed mitiores, minusque frequentes nec non absque præfata illa pulsus intermissione, de qua pridem. Jam vero quærimoniæ consuetæ continuo magis urgebant, quæque nonnisi a pastu sedebantur; noctes ducebantur insomnes delyriis semper interturbatæ, & quæ deliria post horæ dimidium (quod tempus illi a pastu ad dormiendum relictum erat) inchoarentur, post bihorium tamen desinebant, ægro nihilominus semper mox e lecto surgere, mox sedere, deambulare, colloqui, ac perpetuo lamentari coacto. Tradita idcirco fuere narcotica cujuscunque generis, neque aliud operabantur, nisi quod deliria reddebant fortiora, somno scilicet nunquam inducto, & quamvis Castoreum & reliqua nervina iisdem adjungerentur. Nihilominus Syrupus de papav. alb. melius contulisse visus est. Itaque vigiliis perseverantibus, tensioneque abdominis & oris tortura iterum observatis consultum fuit semicupium adhibere. A quo tamen tam male habuit, ut vel a tertia balneatione eidem abdicare coacti simus. Cætero cauterium in crure dextro jam a quodam tempore gestabat æger. Ego ipsum vel a morbi initio confici curaveram, sed dissuadentibus aliis intermissum fuerat, nec non nisi hoc anno duobus abhinc mensibus iterum apertum. Aderant etiam in utroque crure maculæ latæ, lividæ, plurimæ, quas R. D. jam a longo tempore perferre narrabat. Denique lamentationibus, vigiliis, deliriisque interpollatis perseverantibus febris illum circa 11. Sept. invasit cum aliquo horrore, recruduitque tribus quatuorve continuis diebus, quo tempore oborta etiam levissima tussicula sanguinem iterum expuit. Qua porro veluti crisi, sedata febre, æger per octiduum mediocriter sese habuit, donec ad extremum appetentia quæ eousque laudabilis exiterat jam jam languescente (quod indubitatum vicinæ mortis signum fore rescripseram) post 24. hor. ab intermissis deliriis & lamentationibus

spa-

ſpatium, placide ac pie Vir verus Dei ſervus in Domino obdormivit die 4. Octobris.

OBSERVATIO LII.

Quartana Hypocondriaca.

HOc anno bis hujuſmodi febrem obſervaſſe mihi contigit, hinc nempe in D. Plebano, inde vero in Rever. Præſbytero D. Joſepho Caniſtro, qui prope Vallicetum habitabat. Sed prior ex male curata Tertiana (quantum ſcilicet ex narratis cognoſcere licuit) quartanam iſtam contraxerat, poſterior ex triſtitia, quod nempe Illuſtriſsimus Comes, a quo conductus fuerat ipſum de inveſtitura ſua expuliſſet. Porro autem in utroque appetentia dejecta erat, identidem quaſi horripilationes ſeu infrigidationes recurrebant, & paroxiſmi certas periodos non ſervabant; quæ accidentia quartanam ejuſmodi ab omni alia diſtinguebant. Ambo vero ſpecifico antifebrili meo, ideſt antyhopocondriaca fuere cito liberati.

OBSERVATIO LIII.

Epileptici Curati.

SAnctimonialis Virgo in quodam Monaſterio S. Birgittæ nomine D. Cæcilia Margarita ætatis annorum circiter 25. corporis habitus ſatis firmi ac robuſti, quod propter canendi & organa pulſandi non aſpernendas dotes ibidem recepta, mox vero ab invidis velut Antigoniſtis odio habita diverſis larvis territa ſæpius fuerit, brevi inſultus epilepticos pati cœpit, & quos tamen ipſam vel diu priuſquam monaſticam vitam profeſſa eſſet pertuliſſe nonnulli ſancte aſſeverabant. Prægrediebatur autem tales inſultus oculorum quædam torvitas, adeo quod Sanctimoniales reliquæ vel quindecim integris diebus antequam paroxiſmus accederet a torvitate illa futurum inſultum divinarentur. Accedebant vero ejuſmodi paroxiſmi plerumque bis terve in annum, donec quinto, a quo religionem profeſſa eſt

tam

tam crebro recurrere consueverunt, ut non tam singulis mensibus; verum & bis & quandoque pluries in diem acciderent. Quin imo tandem ita frequenter recurrerunt, ut duodeviginti ordine recensitis dubitatum fuerit, num vespere ejusdem diei superstes foret habitura. Quamobrem totis nervis incumbendum fuit, ne fata instarent, adeoque, ad nervina quælibet deventum est. Quibus adeo morbi ferocia parumper edomata, mane sequenti bolum ipsi præscribere cœpi huic fere consimilem

♃. Mercur. dulc. ℈. ß. diagrid. g. viij. resin. jalap. Castor. a g. v. cum Electuar. diaphænic. ʒ. ij. f. C. C.

Secuta proinde hoc remedium insumere ita sensim convaluit, ut nunquam recruduerint paroxismi, jamque annus expletus est mensesque insuper quinque exacti ex quo hæc scribo, & eorum nemo hactenus rediit. Usum vero illius boli fere per tres menses continuavit alternis omnibus diebus, & appetitus antea dejectus optime restitutus est, carnes tunc odio habitæ, nunc summe placent, menses stato tempore fluunt, verbo desperata olim Ægra ad omnia munia rite se habet.

Eodem amuleto curavi etiam hoc anno virum fere quinquagenarium, quem dudum etiam ab Hæmopthysi liberaveram. Jo. vir jam a tribus annis in Epilepsiam inciderat, qui morbus circa singula novilunia se manifestare non omittebat; præterea surdus factus erat: verum ex usu mercurii dulcis ab utroque morbo ita convaluit, ut & auditus compos, & herculei morbi expers jam a sex mensibus lætissime vivat.

Anno igitur 1751. In Suburbio Claverani prope Iporediam Virginem quandam ex Montigliorum familia etiam curavi, quæ propter denegata a parentibus sibi sponsalia hunc morbum contraxit, lunares subsultus sæpius perpessa per annos varios, tandem bis aut ter in hebdomada, ego tamen Deo adjuvante profligavi. Erat enim habitosa, & Vino dedita, a quo postea interdicta &c.

O B-

OBSERVATIO LIV.

Anorexia Periodica.

PLurimorum Medicorum ingenia non parum torsit affectio cujusdam Virginis Rosæ Margaritæ Arpinæ itidem a plurimis observata. Ea quippe Virgo boni alias habitus ac sanguinei temperamenti, ætatisque annorum 52. jam a quatuor annis fere a singulo bimestri spatio appetitu privari incepit, adeo quod, nihil omnino deglutire valeat; identidem ac frequenter vomit aqueas sordes, bilemque vitream, imo & omnino viridem: non sitis, non febris, non pulsum a naturali mutatum habet. Tantum esculenta & potulenta omnia aversatur, & plerumque evomit, præter aliquando aquam. Durat nonnunquam is affectus usque ad tres menses, quo tempore artus contabescunt, præcipue vero brachium dextrum, & quos extollere ægre potest. Cæterum rite dormit, & suæ semper compos mentis existit, nec præter enarrata aliud patitur. Conquæsitum igitur fuit, quænam ea esset affectio, & undenam ventriculo existente vacuo tanta phlegmatis ac bilis copia proveniret, quanta subinde evomitur? Resp. esse anorexiam subortam a relaxatione membranæ interioris stomachi, necnon orificii ejusdem inferioris, & quæ relaxatio causa sit ejusmodi humorum ad dictum ventriculum proventus. Quærentibus vero cæteris Parentibus fore ut a tali paroxismo nunquam resipiscere posset respondebat, contrarium apparere ex variis aliis paroxismis, qui licet tandiu perdurassent, ad extremum tamen pœnitus evanuerant; sperandum itaque ventriculum tonum suum denique adepturum: id profecto, quod stato tempore idest circa finem tertii ab effectus initio mensis, ut dictum est, contingebat: & quamvis morbus ille remedia quælibet respueret quantumvis stomachica & cardiaca celebriora, adverti nihilominus Corticem peruvianum ægre summopere profuisse, item emplastrum ex tacamacca, opoponace, gumm. elemi, nuce moschata, garyophilis &c. ventriculo admotum, & quod excoriationes ut plurimum excitabat: hæc enim remedia morbum idest paroxismum multum abbre-

abbreviabat. Poterat etiam hæc affectio nominari, licet improprie *Podagra Ventriculi.*

OBSERVATIO LV.

Noxæ ab Usu purgantium in Tertianis.

PErilluſtris Med. Doct. D. Antonius Cerinus Tertiana laborabat ſimplici, legitima: mox a ſecundo paroxiſmo minorativum dictum pharmacum aſſumpſit, febriſque in continuam verſa eſt, maculis ſive petechiis decoloribus totam cutim aggreſsis. Acceritus igitur ad ipſum quinta morbi die cum viderem præterea caput invadi ex inſomniis, ſubdeliriis, pulſus, jactitationibus, & totius corporis agitatione frequenti, non dubitavi in ſubjecto 35. annorum vegeto, robuſto ac plethorico ſaphenam incidere, & præterea cum Æſtas maxime efferveſceret. Extractus igitur fuit ſanguis fere ultra uncias x. ſubſecutaque de more lypothimia (id enim ſibi contingere perpetuo affirmabat quotieſcunque ipſi ſanguis detraheretur) alvus etiam ter mota fuit (etenim & a purgatione prædicta diarhæa quædam ſed levis continuabat). Jam vero & ne hæc miſsio ſanguinis ad petechias noxia foret, veſpere ejuſdem diei cucurbitularum impoſitionem præſcripſi, nec non Diaphoreticum hoc ex theriaca, nimirum confect. alker. Stibio diaphor. C. C. phil. & caſtoreo paratum: ſudor igitur, quamvis levis, ſucceſſit tamen, & febris intermiſit, hoc eſt priſtinum tertianæ typum reſumpſit. Quamobrem ſub altero paroxiſmo propinato ſpecifico antifebrifugo noſtro curationem peregimus.

Sub eodem quoque tempore, Laurentius Derubeis Pharmacopola Tertiana correptus, altero interſebrili die catharticum bibit, a quo ſeptem ſedibus incitatis tertium paroxiſmum longiorem expertus eſt, atque ita longum, ut febris illa in continuam degeneraſſe prorſus viſa ſit. Novæ igitur exacerbationis exhibui ipſi antifebrifugum noſtrum, & paroxiſmus fuit abbreviatus, ita ut ad priſtinum octhorium receſſerit, adminiſtratoque protinus cortice ad 6. paroxiſmum omnino extincta eſt.

Non vacat hic certe referre obſervationes, quas habeo de

de purgantibus, quæ in hac febre male cessarunt, adeo quod experientia mihi author sit de catharticis in Tertiana nunquam exhibendis: sunt equidem levia cathartica, ut rhabarbarum, quod cortici admiscere soleo, terque in diem Infirmis exhibeo, ut dicetur alibi. Verum alia cathartica solitario, sine cortice, nunquam administrabo.

OBSERVATIO LVI.

Suspicio de Theriaca Gravidæ mulieri ac febre ardente vexata administrata.

MUlieri cuidam rusticanæ Utero gerenti cum dolore Ventriculi ex æsu absurdorum oborto, quem ardens febris consequebatur, postera die Theriacæ ℥. j. Stib. diaphoret. ℈. j. sal. absinth. ℈. ß. in forma boli vespere assumendi præscripsissem, factum est, ut 4. vel 5. horis ab illius assumptione mulier abortum fecerit, & sequenti die expirarit, manente jugiter suspicione num mala hæc vel a Theriaca, vel stibio, liberalius concesso (& quod tamen sudorem nullum exciverat) an denique ex morbi, seu veneni alicujus latentis malignitate promanarint.

OBSERVATIO LVII.

Maniæ Epidemicæ curatæ.

ALibi de constitutione hyemis sumus elocuti; hic sermonem habebimus de Vere, qui post frigora intensa & pluvias sat fervide exortus Maniæ in pluribus causa existit.

Quidam lignarius faber Vir robustus, pugil, juvenis, circa vernum solstitium furore illo correptus est absque febre, insemet iracundus, ut nempe sese canibus dilaniandum committere vellet palam ediceret; quamobrem & in altissimum puteum se projecerat; nullo modo sitiebat, neque ipsi lingua exsiccabatur, pulsumque demum, tardum quidem, sed fortem ostendebat. Jussi accitus venam illi in talo & brachio sæpe incidi, eme-

emeticum identidem exhiberi, ut & diaphoretica plura; sed omnia absque aliquo saltem notabili emolumento. Quid, quod neque ipsum laudanum proficere unquam potuit etiamsi liberaliori manu suppeditatum, neque a vigiliis tandem, furore, & mania illa rescipiscere potuit, nisi post fractas vires, hoc est, nisi quum de suo corpore quidquam superesse visum est, præter cadaver; inde etenim sensim ad se rediit.

Athleta item alius ruricola eodem tempore, quo ille eodemque morbo, idest mania tenebatur, verum iisdem remediis curatus breviter fuit.

Juvencula 25. annorum pietatis studio dedita, nondum nupta, imo & ad nuptias aversionem simulans, liberaliori victui assueta, robusta, ac desidiosa quinto ab hinc anno in maniam circa veris adventum prolapsa hoc eodem anno circa idem tempus ipsam illam affectionem pertulit; verum uti tunc sola venæ sectione in pede celebrata convaluit, hoc anno neque V. Sectionibus, nec potionibus emeticis, neque demum laudano audiens esse voluit, & paroxismus iste jam per tres menses perseverat.

Junior altera Virguncula eodem affectu laboravit, a quo nonnisi nupta rescipiscere potuit. Tunc enim, nonnihil in se reversa est, & aliquantisper a furore declinavit. Declinasset fortassis etiam omnino; si maritus, quem adhuc impuberem duxerat, ac infirmum, virium fuisset robustiorum. Et sane Viro adulto facto, virosoque, Ægra illa penitus restituta est.

Quæsitum igitur tandem super constitutione, aut anno ejusmodi maniam; neque alia causa ejus esse potuit, meo videri, præter nitrum aereum fixissimum a frigore, vel post hominum memoriam intensissimo, quod præsens Ver antecesserat. Quapropter a tali nitro sive per cutem aliosve porros, sive etiam per pulmones in sanguinem intromisso, rubellis istius globulis coarctatis, cum postea adveniens melior Æstas, ipsum in majorem motum egit, factum est, ut a prætereunte sanguine solito magis inflatis vasis, quæ tum piam meningem, tum & cerebrum ingrediuntur, tensionem in fibris nerveis excitaverint, cujus ratione delirium illud consequebatur.

OBSERVATIO LVIII.

Maniaca brevi sanata.

VIrago quædam Aliciensis, quæ elapsis annis in Hospitio Bartholomæi Colombani ancillabatur, bibere multum ac plethorica, circa solstitium æstivum anni 1753. opthalmiam patiebatur. Ei igitur mensibus ægre ac inordinate defluentibus Saphænam aperiri jussi, ac postridie alvus soluta. Hinc vero cum admonitus essem noctes ab illa traduci insomnes, loquaculam evasisse, ac ridicula agere & effari, venæ sectionem repetendam duxi ac sanguinem liberaliter extrahi. Nam præfata menstrua præterquam quod tunc inordinata & pauca sic etiam se habuisse toto vitæ suæ tempore didiceram. Verum furiosa esse cœpit, muribus obsitam se esse prædicabat, quos noctu diuque insectari volebat, at verbo denique in veram Maniam incidit. Ego porro ad hæc laudanum opiatum castoreo nuptum præscripsi, cujus grana mox ij. mox iij., interdum etiam iiij. idque nunc singulis quatuor horis, nunc vero singulis quinque aut sex exhibebam tanta cum instantia, ut intra triduum fere xxv. grana & ultra ejusdem laudani administrarim, sumptionem imperante Hero, qui etiamnum Magistri-Cursus, vulgo *Mastro di Posta* nuncupatur, & sic in somnum prolapsa brevi convaluit, neque exinde, viro postea nupta, tale quid amplius passa est Famula meliori sorte alioqui digna.

OBSERVATIO LIX.

Cancer exulceratus cito curatus.

MUlier quædam Cauponis filia, cujus ad ædes S. Georgius pro insigne erat, cancro tenebatur in fundo sinistræ naris, quo exulcerato, nasus in ea parte omnino decreverat, quasi fuisset exæsus; tandem D. Canestri item Chirurgus me in curæ socium exoravit. Accessi igitur, visoque ulcere

fordi-

sordidissimo & contumacissimo edixi Chirurgo, ut quidquid vellet, extra apponeret, me interim secretum quoddam remedium intus exhibituro. Afferebam ergo illi mercurium dulcificatum, quod granulatim augendo, ac minuendo ipse ponderabam, catharticum subinde per intervalla porrigendo, quod sub una eademque formula semper parabatur. Vix vero mensis elapsus erat, ex quo curationem hujusmodi inchoaveram, cum cancer omnino evasit. Jam vero valedicens præceperam, ut Autumno ingruente ad me rediret, idem præsidium quadantenus resumptura. Erat enim Mulier cachochyma coloris atri, ac temperamenti melancholici seu atrabilaris; quod tamen illa præstare haudquaquam voluit. Idcirco pustulam alteram persentire cœpit supra labium superius, quaque intra pauca vehementer dilatata, denique in verum cancrum degeneravit. Instituta igitur nova & qualis antea curatio, neque absimilem item exitum sortita est. Imposui exinde rursus, ut ad sanguinis emendationem semel saltem in annum ad me concurreret quid facto opus auditura, vel ad minimum catharticum prædictum aliquando insumeret. Sed quod mihi pro labore nihil fere unquam fuisset elargita ad me redire imposterum non ausa est, neque item purgans aliquod medicamentum assumere voluit. Quare audio ipsam fere post annum ejusdem morbi recidivam passam fuisse, & qui in pejus ruit chirurgicis auxiliis quibuscunque non obstantibus &c.

O B S E R V A T I O LX.

Taciturnitas Ægroto exitialis.

RECte *Ranchin.* de Consult. rat. cap. 4. Ut in Confessione peccatorum occultatio vitiorum animæ mors est, sic in corporearum affectionum relatione suppressio malorum vitæ & salutis ruina. Comprobavit enim hoc Illus. D. Comes Albina Vir morum probitate, vitæ moderatione, ac in Deum pietate omnibus commendabilis. Is igitur, hoc quem ferimus anno die 15. Martii post continuata quadragesimalia jejunia in duplicem tertianam incidit adeo vehementem, ut deliria in-

indueret, viresque omnino disjiceret; quæ nihilominus exhibitis a levi purgatione reiteratisque diaphoreticis ultra septimum diem non processit. At expulsa febre Erysipelas illum deprehendit in sinistro crure, in quo etiam idem malum sæpius pertulisse ajebat: quo explorato comperi supra inflammationis locum fonticulum adesse omnino arentem, & quem jamdiu sibi inuri curasse, referebat, ob hæmorroides, a quibus imposterum se præservatum noverat. Suasi igitur ipse ut crus spiritu vini camphorato humectaret, cætero aliis non opus esse. Interim egressus ab Infirmo obviam habui Rev. Patrem Congregat. S. Philippi Nepotem D. Alfonsi Doct. Med. qui dum viveret præfati D. Comitis sanitatis curam exercebat, & consanguineum alterius D. Alfonsi filii pariter Medic. Doct., sed qui in Patris locum apud eundem Com. non succefferat. Sciscitato itaque eidem Patri, quomodo nam Ill. D. se haberet, cum respondissem detineri ipsum Erysipellate in sinistro crure, & an ne (regessit) id provenire potuit ex cauterio ibidem sito. Annui egò, moxque ab illo discessi; qui porro statim ad Ægrum profectus, cum salutis suæ statum præstollaretur tulissetque illum Erysipellate laborare; bene, inquit, sed ejus causa cauterium est, quod ibidem geris. Ad quod obstupescens æger repoposcit, a quonam didicisset se se fonticulum in crure habere? Tunc bonus Pater, nescio an ut illum erga me diffidentem faceret, sicque Consanguineum suum in veterem Domum denuo obtruderet, an, quod sic respondere censuerit, aut &c. statim reposuit id se nuper a me didicisse, ac habuisse (& nosce imposterum Lector: idem me prius de ea re commonuerat edoctus fortasse pridem ab Avunculo D. Alfonso, qui talem fonticulum non ignoraverat, sed quicquid de his sit &c.) Ad hæc Æger magis, quam ut debuisset scrupulosus (erat enim alias imbecillis animi) adeuntem me stato tempore de more invisentem contenta fronte excipere frigidius alloqui cœpit, nec pedum subinde, ut ita dicam, ostendens. Cum interim Erysipellas brevi cessasset in amborum crurum, ac præcipue sinistri dolores lapsus erat, quos ipse unde ii essent se scire ajebat, nec crura amplius denudare voluit. Ego enim diffidentiam suspicatus, rogavi ministram illius fidam, an ab Hero

quid-

quidquam de me prolatum audivisset? Ad quod reposuit, exacto prius de hac re abs me constantissimo silentio, concessisse ad D. Comitem quendam Patrem (eum quippe nominare noluit; sed sciebam ego de cauterio cum nullo alio sermonem habuisse) a qua narrato, ut supra, negotio, adjecerat Ill. D. sibi ipsi, postquam Rev. P. jam discesserat, ecquid sibi videretur de Med. Cap., & quid, si alia reticenda illi revelassem? Verba igitur Patris diffidentiæ illius in causa esse. Hoc audito decreveram criminationis redarguere Rever. Dom. Sed renitente famula, ac demonstrante se se pariter eandem diffidentiam exinde incursuram, si promerem, satius esse duxi silere; & cum licet ipse id primus enunciassem Rev. Patri, in hoc tamen tanto mysterio non latebant ut revelata Medici confidentiam perderent, & præterea, quia nemo de cauterio fuisset scandalizatus, quod D. Comes jam sexagenarius existeret &c. Res itaque omnis naturæ commissa. Cum vero scire non possem quales forent dolores sinistrum Nobilissimi Viri crus tunc occupantes, eo duntaxat renunciante se se & alias intumescentia cruris molesta fuisse excruciatum, credebam morbum ejusmodi Podagræ nomine indigitandum esse, & quia Ill. Conjux illum etiam taliter appellabat. Quo in proposito manens nihil ipsi præscribebam, & cum præterea dubitarem meam operam suspectam fore. Enim vero podagra illa longius perseverante, quoniam sudationes nocturnæ plurimæ accesserant, quæ me determinabant ut crederem talem Podagram in specie esse frigidam, censebam pariter eandem brevi finituram (sudatio enim podagram frigidam plerumque solvit) ast res longe aliter se habebat. Siquidem sudoribus perseverantibus appetentia dejecta est, somni interrupti, vires enervatæ. Captum igitur abs illo consilium juscula insumendi ex anguibus parata, quorum subsidio alias bene se habuisse ajebat. Verum ab illorum usu tam anxiatus est, ut statim ea rejicere debuerit. Accepit etiam unam & alteram dosim pilularum quarundam de therebintina abs se magnarum virium deprædicatarum, sed omnia absque emolumento. Ego interim hujusce se se potionentis Viri spectator duntaxat evaseram, nec evadendi copia dabatur; Suasor nihilominus fui, ut rejectis quæ non proficiebantur remediis, aperientia uti vellet. Putabam enim

hæc meliora fore ad Podagræ frigidæ discussionem. Assumpsit igitur crocum martis cum rhabarbaro & syrup. de cich. in pilulas redactum, supra quod superbibebat mane jusculum culinarium. Nec res aliquo succesu destituta est. Quandoquidem rediit appetitus viresque ita fuere restauratæ, ut e lecto surgeret, sederetque inter amicorum confabulationes. Quo non obstante sudationes illæ nocturnæ nondum desinebant, etsi a pauco illo purgante moveretur alvus fæcesque fætidissimas recederet. Quamobrem id consilii abs me captum est; sciscitarer nimirum ea esset cum quo Medico Æger conversari consuevisset, neque de fide illius dubitaret; dumque hoc explorare pergo contigit audivisse commendantem summopere D. Garrissium Med. Doct. a quo narrabat; se jam alias fuisse curatum in aliis infirmitatibus; Hoc audito author fui, ut de prægressis infirmitatibus excriberetur ad eundem D. Doctorem, quem etiam gnarum arbitrabar eorum quæ in D. Ægrotante præextitissent, utpote qui hujus Medicus antea fuerat, me interim non aliter, quamquam ejus dictaminum administrum imposterum præstiturus. Rescripsit igitur D. Garrissius, & commendavit nec non specificas quasdam pilulas Taurino missas. Verum ab his prostrata penitus appetentia est, alvus sollicitata, nec tamen sudor, crurumque dolor abjerunt. Itaque cum videm omnia nihil proficere, decrevi illuc adire Doctorem auditurus: perexi, nihilque novi ab eo, præter receptas reportavi. Cum enim de latente quodam morbi fomite dubitarem, credebam illum, utpote omnium prægressorum gnarum, mihi quidpiam revelaturum, sed opinione mea frustratus redii. Reducem excepit Ill. Patiens fronte hilarissima, petiitque quidnam pro salute sua mandaret D. Garrissius. Respondi exigere hunc, ut Dominatio sua fere per octiduum & ultra insumeret corticem peruvianum una cum extracto gentianæ & sale absynthii in pilulas redactum, idque ter de die; hoc peracto aquam lacteam cum herbis antiscorbuticis ebibiturum &c. Assumptæ igitur pilulæ fuerunt, nec res pejus quam antea habebant. Octiduo finito, aquam illam parari voluit, & quia adhuc perseverandum esse suadebam in assumptione pilularum, minatus est Ill. Dom. palamque edixit nolle se meo lubito committere, sed quod præscripserat D. Garrissius velle am-

amplecti. Parata itaque fuit aqua lactis; verum a primo & altero haustu tales passus est stomachi anxietates, ut se moriturum crederet. Quamobrem conveniente mecum D. Doctore Alphonso stabilitum fuit hypecaquanam ægro esse exhibendam. Porro ab hoc remedio is se alleviatum sensit, ac propterea alios Medicos accersiri jussit (D Garrissio minus arridente) ut de appropriato sibi aliquo remedio ineretur. Convenimus igitur una ipse & prædict. D. Alphonsus & D. Grassis, nec non D. Fabritius die 23. Maji, fuitque dictum, ut stante febre, quæ quotidie circa horam diei vigesimam recurrebat, pilulæ conficerentur ex cortice peruviano & rhabarbaro 19. hora vel matutino tempore devorandæ. Hinc datæ pilulæ, sed febris nihilominus perdurabat, alvus enormiter movebatur, sudores persistebant. Quod dolores crurum, ii etiam sensim augebantur, sed eos haud sibi curæ esse reponebat D. Æger, constareque sibi eosdem aquæ benedictæ aspersione maxime mitigari. Pilulis igitur illis parum conferentibus cortex simpliciter administratus est, idque bis in diem; at prædictis symptomatis non remittentibus, imo & doloribus ita molestantibus, ut jam jam perferri non possent, quæsitum equid hoc rei esset. Susurrant tum ad aures Amici & Cognati ejus, Ill. Comitem ab ineunte ætate Lue venerea infectum fuisse, cujus curationis ergo & Lutetiam perrexerat. Ad hæc in proposito meo confirmatus adesse nimirum aliquod reconditum, quod ejusmodi tragædiam luderet, tot nempe dolores, sudationes, febrium errores, vigilias, noctes dolorificas, alvi dejectiones, urinarum copiam, artuum lassitudines, eorundemque tabescentiam &c. parabam latentis anguis in herba, vel ex ipsomet Ægro nosse quidditatem. Verum monuere omnes ejus rei cum illo ne verbum quidem facerent: contigisse namque ubi cum lecta Conjuge nuptias fecit, eandemque paulo post lue venerea inquinaverat (adeo quod hæc salivatione mercuriali postea curanda fuerit atque etiamnum palati osse cum ulula e parte dextræ superioris mandibulæ ablatis ore deformis existat) ut exoratus ab Amicis se quoque illi curæ committeret, ne uxorem iterum citata labe inficeret, asseverare perpetuo non dubitavit, se nunquam nil tale passum fuisse, & si Conjux morbo aliquo venereo tene-

imaginari non poteram ita sibi exosum, ut silentio sibi præjudicio esse affectaret. Verum ad restim res reducta ut ajunt, erat. Data itaque duntaxat juscula ex radice chinæ, in quorum usu mensis præfatus transactus est, donec die 14. Julii Ill. Dom. moriebatur maraidus, tabidus, membris inter se deformibus altero nempe instar baculi emaciato, altero maxime tumido &c. docuitque, ut scribit Jo. Bohonius, verum esse quod in proverbium abiit de lue venerea contaminatis, scilicet nullum eorum non sanari', nisi pauperes, hoc est sumptibus necessariis impendendis impares, una cum stolidis, qui malum suum ignorari, quam fateri malunt. De Offic. Medici cap. 6. pag. mihi 131.

O B S E R V A T I O LXI.

Febris Tertiana duplex cum Passione Hysterica.

ANno 1750. 4. Junii D.Guastalda Uxor D. Laurentii Guastaldi circa horam 4. matutinam, cardialgia correpta est, a qua post horam alvum bis egessit, iterumque horam bis evomuit, sequentibus inde frigore febrili, variisque affectibus syncopalibus: Habitosa erat ea mulier, florida, præpinguis, ætatis annorum 45. quæ diu somnum potrahere assueta, serico deinde negotio, vulgo *Filatura* tunc temporis inchoato huic ita se mancipaverat; ut de nihilo alio fere cogitaret. Ad eam itaque accersitus, comperi inter illas Ventriculi anxietates abdomen alioqui plenum concrescere, Intestina submurmurare, ructus flatusque assidue emitti, usque quod denique febrili frigore excusso (quod tribus circiter horis perduraverat) calor subinde consequutus ea omnia, ceu nubila, dissipavit. Porro in eo calore nec sitis ulla, nec cephalalgia aderant, quin imo ipse idem calor tactu vix percipiebatur, adeo quod Ægra se propemodum recte valere palam pronunciaret. His ita se habentibus, nil aliud præscribendum duxi, quam aquæ cinamomi ℥.j. bollumque ex Theriaca ʒ.j. quorum illam ante cibum, hoc hora post ipsum susciperet. Jamque mane sequentis diei febrillem calorem auctum adinveni, unde & venam in pede aperiri jussi. Erat enim plethorica, sive sanguinea,

coloris subrufi, mensesque sibi irregulariter fluere referebat, altero ab hinc anno puellum enixa (qua occasione adnoto, hanc fuisse ex illis mulieribus, quibus gestationis tempore usque ad sextum mensem menstrua effluere observaveram; cæterum stato tempore paucos bene sanos riteque conformatos semper enixa) enim vero pertusa etiam retro vena illa & a Chirurgo Phlebtoomiæ peritissimo ne guttam quidem sanguinis largiri voluit; quare destitum; expectatus inde, sum reversus ad Infirmam, comperi ipsam novo paroxismo febrili deprehensam, quia hora ejusdem diei quinta pomeridiana inchoaverat absque horrore tamen & frigore aliquo, nec non absque illis accidentibus, quæ pridiani paroxismi initium comitaverant. Hinc carminativus Clyster impositus, præscriptaque fuit Emulsio alexipharmaca noctu ebibenda. Porro ea nocte mediocriter habuit usquequod sub auroram sequentis diei, quæ erat tertia morbi; lypothimiæ, borborigmi, & reliqua accidentia prioris paroxismi supervenere cum frigore febrili mox mitiori, mox vero fortiori, scilicet inæquali, & quod quinque horarum spatio perduravit. Calore autem subsecuto cum sex horæ circiter elapsæ forent, priusquam ei aliquod esculentum porrigeretur propinavi Ægrotæ seq. pulv.

℞. Tartar. stibiat. g. viij., occul. cancr. pp. Corn. C. phil. pp. a ℈. ß., stib. diaphoret. ℈. j. M. C. in juscul. calid. h. 20. Italica.

Ab hoc remedio ter vomuit, & quater dejecit ægra. Vespere bene se habuit. Sedata nimirum febre sumpsitque iterum hora somni confect. hyacinth. & theriac. a ℥. ß. Die quarta omni febre expertem inveni; sed eo interim cum rumor increbuisset de transitu quorundam militum quosdam fures eo ducentium, ægra timore perculsa e lecto prosiliit pedibus nuda, parumque tecta tempore ventoso, atque ita per tres continuas horas serico suo filo ac domesticæ suppellectili alio adsportando vacavit ita quod porro ob timorem partim, partim etiam ex labore seminuda ex sudore appareret. Nihilominus tota die bene habuit; die quinta hora febris consueta, nempe sub auroram hæc iterum rediit cardialgiis tamen levioribus minusque frequentibus quam alias stipata; at frigore tamen quanquam brevissimo, magis tamen intenso. Postera die maculis quibusdam menstrualibus spectatis saphæna aperta est, & sanguis liberrime effluxit, ac septima tandem die nonnisi borborigmi aliquot in ventre

&

& ructus quidam apparuerunt cum leni calore haudquaquam tamen febrili. Quamobrem sequenti die hæ pilulæ fuere præscriptæ.

♃. Rhab. elect. pulver. ℈. ij. croc. mart. aperit. ℈. ß. sal. absinth. castor. ac Jalap. pulv. a g. v. cum s. q. Syrup. de Cich. comp. f. Pil. &c.

Et sic pluribus consecutis sedibus vermiumque multitudo dejecta Nob. Ægrotans brevi convaluit atque etiamnum athletice vivit.

OBSERVATIO LXII.

Pariendi difficultas V. Sectione sublata.

UXor Petriantonii Gravini, vegeta ac robusta firmique habitus ætatis annorum 28. primum paritura ferme triginta horas transegerat in eo actu, doloribus nimirum continuo urgentibus, absque quod tamen infantis caput internum uteri orificium superare posset. Adstiterant Obstetrices plures ac Chirurgi, unusquisque peragens quod alias profecisse experti erant; convenerant & Matronæ illius loci omnes, at neque ex his, neque ex illis auxilii quidquam allatum est. Accersor itaque tandem & ipse, qui de situ fœtus naturali ab Obstetricibus certior factus, cum viderem interea mulierem facie lividam, pulsu valido, vasis turgescentem, Venæ sectionem ex brachio statim impero. Stupescunt Matronæ, regeruntque acquid mihi visum fuisset fœmina illa existente pene mortua, viribus prostratis, atque ob virium defectum pariendi conatibus jam plane destituta. Reposui, & ex Operatione illâ mulieris vitam pendere, ut & vitam fœtus. Non itaque ulterius obstitum, ac propterea sanguine ex brachio sinistro emisso ad proportionatam mensuram, Uxor illa mox mox fœtus exitum persensit, & sine magno labore puellum statim emisit prægrandi capite & livescente ob moram diu in angustiis protracta, corpore etiam præcrasso, & qui postera die obiit, matre interea incolumi purgationes suas largiter celebrante, atque intra quatriduum virosissima facta, adeo quod phlebotomia illa nonnisi Pudendorum tensionem plethora inductam abstulerit.

O B-

OBSERVATIO LXIII.

Cura Pleuritidis cum Aquavitæ.

MOlendinarius quidam prope Turrim Albianam quinquagenario anno dolore lateris acuto deprehensus me invocavit; quem propterea invisens cum audivissem ab eo quatinus Pleuritidi obnoxius eadem sæpius correptus fuerat; interim vero pulsum invenissem non, qualis esse solet in Pleuritide, durum ac tardum, sed mollem ac fræquentem, insuper tussim non valde molestam, ac febrim denique haud valde urgentem, jussi ut poculum aquavitæ plenum hauriret, ratus ejusmodi dolorem a lympha juxta pleuram accescente, morosaque sanguinis constitutione pendere. Nec opinionem fefellit eventus, quandoquidem ex tali haustu motu sanguinis sollicitato, ac lympha in suas vias reducta, dolor paucis abinde horis evanuit, ægerque repetito postridie poculo, de remedio contentus curam laudavit.

Senex alter sexagenarius eidem morbo subjectus cum febre paulo intensiore, aliisque signis veram Pleuritidem comitantibus detineretur, semel atque iterum phlebotomatus est, atque exhinc epota aquavitæ brevi convaluit.

Non dissimilem ita me gessissem in juvenibus, & in legitimo laterali morbo, utpote quorum cura alibi videri potest; sed in Senibus dumtaxat tali morbo obnoxiis, quorum febris mitior erat, & in principio morbi talia præstabam.

OBSERVATIO LXIV.

Quartana cito curata.

LAborabat jam a duobus mensibus hac febre R. D. Denigris Præsbyter amicissimus, inque ejus causam varia assumpserat ab alio Medico præscripta; quibus in cassum assumptis, imo Ægro quotidie pejus se habente, rogavit me Perillustris illius Ægroti Avus ut curam susciperem. Porro ad eum profectus, inveni præterquamquod quartana, correptum etiam febre hecti-

hectica, sive lenta, ac propterea tabidum, colore pallidum, viribus prostratis, appetitus expertem &c. Quibus exploratis, ut Ægri fiduciam mihi conciliarem, pollicitus sum ipsum non plus quam duos febriles paroxismos toleraturum, deinceps autem bene se habiturum. Hoc nuncio lætatus promisit vicissim illa omnia pro meo consilio peracturum; atque adeo die 22. Octobris præsentis anni cœpit mane insumere seq. pil.

℞. Rhab. elect. pulv. ℈. j. Cortic. peruvian. simil. pulv. ℈. ij. c. s. q. Syrup. de cich. comp. f. Pil.

quæ vespere etiam repetebantur h. 1. ante cœnam. Sequenti die febris illa hectica remisit fere in totum, & usus pilularum continuatus est cum additione haustuli vini, in quo infusa fuerant absinthium, centaurea minor, flores camomillæ, & Card. benedict. Die deinde 24. assumptis summo mane pilulis, iisdemque h. 1. ante paroxismum repetitis, febris Ægrum apprehendit cum frigore intenso ac longo, ut & calore maximo consequente. Nihilominus triduo immediate sequenti nihil innovatum est, tantum in usu prædictarum pilularum Æger continuavit, donec stata die 27. præscripsi seq. pulverem

℞. Tartar. emetic. g. v. Stib. diaph. ℈. ß. Occul. cancr. pp. g. viij. M. C. ex cochl. cum jusc. h. 1. ante paroxismum.

Verum bonus Religiosus maluit frigus suo more validum exspectare, quæ causa fuit, cur idem pulvis actionem suam non exererit, quoad elapsis ferme quinque horis enormiter vomere ac sudare incœpit, unde & paroxismus valde fuit abbreviatus. Porro 28. sequens Electuarium fuit præscriptum:

℞. Cortic. peruvian. ℥. j. rhabarb. elect. ʒ. iij. Jalap. ʒ. j. herb. absinth., centaur. min. & card. bened. a M. j. camomil. Mp. ij. Contundantur simul, & pulver. Syrup. add. de absinth. q. s. ad Electuar. consistent. de quo Cap. ad Castan. magn. m. & vesper. h. 1. ant. pastum.

Effectus hujus remedii, ut & pilularum supra descriptarum fuit, ut alvum crebro dejiceret, interim 30. qua die febris expectabatur, ejus nihil inventum est, Ægro potius hilari cum Fratre D. Filippo Antonio cujusdam societatis Thesaurario, qui eadem die Fratrem hunc invisum venerat e Taurino conversante ac pro-

promiſſa mea laudante reperto. Enim vero promittendi mihi anſam dederant curationes quartanarum eodem, vel ſimili modo peractæ, adeo quod jam falſum appareat tritum illud, Hydrops & Quartana Medicorum ludibria plana.

OBSERVATIO LXV.

Gravida inter quantumvis ſæpe repetita Purgantia incolumis.

INtumuerat Uxori D. Simonis Ravini Chirurgi prope Candiam, fœminæ videlicet ætatis annorum ſupra 35. gracili ac tenui habitu, quam propterea maritus Artis Medicæ licet gnarus, quique illam in conjugium duxerat hydropicam reputans centum fere remediis purgantibus tantum non mactavit, ſcammoneatis nimirum, elleboratis, ſennatis &c. quæ tametſi ſemper alvum vehementer expurgaſſent, nihilominus non detumeſcente abdomine, imo potius in diem magis increſcente placuit marito me in hujus caſus obſervationem advocare. Pergo itaque una ſecum, invenioque miſeram in lecto detentam (quod nempe ob virium defectum ſe erigere non poſſe) languidam, excarnem, pallidam, quaſi animam mox mox eſſet exhalatura. Interim, cum nullum hydropis ſignum, ſive ex pulſu, ſive ex urinis, colore &c colligerem, peto mihi ut abdomen oſtenderetur. Oſtendit autem ipſa recollectum, tumidum, & verſus umbilicum acuminatum; mammas item palpo tumidulas, utut prætenues, verbo omnia gravidationem indicantia. Quare hujus rei dato nuncio annuit mulier, repoſuitque id jamdiu ſibi ſuſpectum fuiſſe, quicquid regere & maritus ex menſtruis, ſimilibuſve inania garriens. Hic vero tandem in ſe reverſus, & carnificinam ſuam execratus id tandem in excuſationem adduxit; nempe quod nunquam uxoratus cum fuiſſet, ſeque jam ſenem ad generandum minus idoneum cenſens errores ejuſmodi commiſiſſe: quibus non obſtantibus refecta mulier puellum etiamnum pancratice viventem ſtato tempore enixa eſt, qualem ſcilicet maſculum, ab illa naſciturum tum edixi ea experientia fretus, qua nempe adnotavi mulieres ex vomitoriis, catharticiſque pharmacis non abortientes maſculos fœtus geſtare.

Cæte-

Cæterum seximestris erat illa prægnatio, quo magis miror fœminam embryonis motus non persensisse; sed existimo hoc factum fuisse ex eo, quod alimentum fœtui subtractum fuerat, ne vigeret, minus vero exultaret, nihilominus natus boni erat habitus & eusarchi.

OBSERVATIO LXVI.

Enormes Affectus in Gravida.

Uxor cujusdam Protophysici, ac Medicine Doctoris Præclarissimi, nomine Martha Magdalena a quatuor mensibus cathameniis expers 15. Aprilis anni 1750. tam immodico eorundem fluxu correpta est, ut Medicus, me absente, advocatus narravit se non credidisse suffecturam. Cesserunt nihilominus convenientibus adhibitis remediis ea menstrua vel octoris spatio: quo tempore per nuncium domum advocatus inveni ipsam languidam ac tantum non pene emortuam; suppresso igitur illo fluxu, cardialgiisque ac cæteris affectibus sincopalibus per cardiaca sedatis virium ægra restitutioni vacavit; quæ nihilominus tam lente accesserunt, ut vix intra tres septimanas se recoligere ægra potuerit, domoque exire. Nihilominus intantum restituta fuit, ut undecimo Maii iterum atque idonee se menstruaverit, atque inde prægnans facta identidem febrire inceperit. Quæ causa fuit, ut non comparentibus stato tempore menstruis creditum sit, conjugem prædictum fluxum denuo toleraturam neutro de imprægnatione quidpiam ne per somnum quidem cogitante. Rapimur interea ad 5. Augusti, qua die circa vesperam ingenti horrore deprehensa est; cardialgiis ac lypothimiis frequentibus, nauseis, vomitibus, copiosisque per inferiora dejectionibus, una cum maculis rubris latiusculisque ac elatis totum ferme corpus occupantibus & quæ post bihorium ad caloris febrilis adventum penitus disparuerunt. Jamque tum de dolore circa hypogastria conquerebatur, tensaque hæc ambo erant, præcipue sinistrum, dextro nonnisi versus Inguen durescente. In his ambagibus nihil aliud agendum duxi, quam ut

eadem singulis trihoriis, ad summum quadrihoriis jusculo carnis nutriretur, nec non identidem aliquo sorbilium ovorum pari. Erat enim alias mulier nimirum edax, vegeta, trigesimum fere annum agens, ac viraginosa. Jamque febrili illa excandescentia mitigata, postera die febris quasi lenta sequebatur, & postridie rursum hora dicta horror ægram invasit, typum quasi duplicis tertianæ servans, adeoque & hic alter mitior, etsi nihilominus elata dicta purpura iterum emersisset cum vomitibus, cardialgiis & dejectionibus consuetis. Petiit propterea illa ut sanguis sibi detraheretur, quod non permisi: tantum in vehementia paroxismi ad compescenda illa symptomata ex tot. citr. cinamomi & therical. frigida usus. Sequenti vero die aquam manæ] dictam, idest hujusce dissolutionem clarificatam ac aromatizatam cum aquis cordialibus exhibere volui, ex quo pharmaco dejecit cum στηρθρεια'. Sed interim dolor ad hypogastrium præfatus vehementer urgebat; horrores etiam febriles passim recurrebant una cum Lipothymiis consuetis, adeo quod metuerem, ne uterus ob retenta menstrua inflammaretur, vel apostemate periclitaretur. Applicui idcirco illi linteamina decocto herbarum emollientium imbuta; sed ex his mulier pejus se habebat; applicitus igitur duntaxat fotus ex vino calido generoso, quem eadem summe proficuum experta est. Interim D. Lemerius, idest ejus Medici, quem cathameniorum profluvio præfuisse retuli; impellebar ut ipse menses-moventia Mulieri præstarem, ac præcipue pulv. testium equinorum &c. quæ ego tamen non probabam, incertus an sub illa hypogastrii tensione conceptus forte lateret; quamobrem præter unum atque alterum castorei granulum in confect. hyacinth. & de alckerm. ratione prius malignitatis proserpentis, quam mensium retentionis exhibere nolui. Sub his ambagibus vigore febrili passim recurrente & res adacta erat, ut apparentibus pulsus jecticationibus ac tremore convulsivo, jam de ægrotæ vita desperaretur. Quibus non obstantibus a cardiacorum & nutriendi consueto usu dessistere nunquam volui: at tum plane retulit Uxor persensisse sese quidquam in utero motum, ac sese probabiliter gravidam existimasse. Hinc adeo ad fœtus corroborationem in usu fomenti ex vino perseveratum, donec 13. morbi die vehemens expectoratio subiit absque

que tussi, mirumque fuit vidisse purulentiam albam licet, nec foetentem, quæ excreatione illa ejiciebatur. Nihilominus diarrhæa præfata non remittebat, imo si quando intermisisset, quoniam inde pessime foetebat ægra, necessum erat ad purgantia confugere; ac tum ego tabellas diarhodon abbat. duplic. rhabarb. exhibebam, quas summe laudabat. Perdurarunt autem excreationes ejusmodi & diarheæ fere per 40. dies, quo tempore symptomata illa penitus evanuerunt, remanente tantummodo tensione sinistri hypogastrii, in regione ovarii, quod ego arbitror fuisse inflammatum ac suppuratum, pure post os atque intestina eliminato. Cæterum utraque hujusmodi dejectio usque ad partum continuavit, urgente nihilominus semper foetu, qui tandem tempore debito sanus ac vegetus exclusus est, isque foeminei sexus etiamnum ita robustus, ut in eo nihil magis, quod sanitatem, desiderari queat. Mater autem tum lochia uberrime ejecit & puerperium sanissime tulit.

O B S E R V A T I O LXVII.

Apoplexia tantisper compressa.

ANno 1755. D. Joseph Antonius Liverius post nefriticos dolores & ischuriam (de quibus etiam supra) diu toleratos, tandem annum agens circiter *66.* die 4. Januarii cum prandio ad mensam cum filiis & uxore accumberet, conquæstus est de brachii dextri repentina stupiditate, mox vero implorato auxilio, paucisque verbis adhuc prolatis de voto, quem semper voverat, ne forte Apoplexia corriperetur, in paralysin totius dextræ partis lapsus est, egreque ab adstantibus contineri potuit, ne corrueret; sensus hinc & motus in ea parte nullus, in sinistra vero sensus pariter abolitus, aliquali motu adhuc superstite; loquella amissa, deglutio læsa, auditus deperditus; verbo Apoplecticus Æger factus est. Lecto compositum inungere advocatus fui oleis nervinis, aqua Reginæ Unghariæ, aliisque spirituosis, cum interim allato Emetico ad ℥. ij. tamdiu elaboratum est, usque dum visum est hoc vinum illi maximam partem propinatum: cucurbitulæ deinde cum ardentiori flamma appositæ partibus inferio-

ribus, caput prædictis spirituosis illotum, epithemata fuerunt applicata. Interim vomitiones binæ aut ternæ, sed leviusculæ successerunt; quibus non obstantibus æger magis magisve deficiebat, functiones cum naturales, tum imprimis animales abolebantur. Inter illas autem deglutitio sic imminuerat, ut nihil absumere posset æger præter duntaxat vini malvatici cochlearia aliquot, quæ etiam vix ac nisi dimidiatim, ut sic dicam, ingeri conspiciebantur. Neglecti interim non fuere clysteres ex fortissimis irritantibus remediis concinnati. Verum cum res in pejus semper corruerent, ejusque interim filii id imprimis in votis semper haberent, ne ita, ut ajebant, insensate Pater moreretur, absque scilicet aliqua in Deum conversione sensibusque Christianis, applicari jussi plantis pedum cataplasmata ex allio crudo & contuso, sinapi, euforbio, cantharidibus aliisque vescicantibus cum fermento panis & aceto acerrimo subactis; quorum usu factum est ut de illorum dolore conquæri cœperit, ipsosque pedes contrahere atque hinc inde dimovere, æger præterea signa contritionis per nutus & contactum Sacerdotibus quibusvis se offerentibus ediderit, imo Christi crucifixi imaginem sponte ac per se comprehensam sæpius ori admoverit veluti deosculaturus, nec non alia complura pietatis christianæ continuo ediderit magna adstantium præcipue filiorum consolatione, donec tandem decima ab invasione die catharro suffocativo oborto, qui duabus duntaxat horis perseveravit, extinctus est, & cum brodii aliquid aut cardiacorum præsidiorum minimam copiam (vino illo tantum excepto) insumere non valuerit, vescicatorio nucæ apposito nihil proficiente, maxime vero quę pedibus ac vel usque ad exulcerationem & cum sanie plurima.

O B S E R V A T I O LXVIII.

Epiplesia cum diris symptomatibus.

VOcabar sub initium mensis Martii currentis anni 1749. ad Gasparem Amedeum Castrinum Juris-consultum: Erat is puer duodecim annorum circiter futilis ac vanidi temperamenti, affectibus verminosis alias subjectus. Ejus igitur asse-

fectione sciscitata respondebat, gramphium pati se se brachii sinistri, talemque contractionem, ut nisi cum maxima difficultate ipsum movere posset. Præscripsi igitur eidem catharticum satis validum alteraque die rursus aliud catharticum minus potens ex rhabarb. ʒ. ß. sem. contra verm. g. vij. & pulv. radic. Jalap. g. iiij. hoc intendens, ut sanguinem ab exuberante sero, quod cachexiam quandam induxisse cognoveram, liberarem, itidem ut & affectui verminoso ægellum sæpe, ut dictum fuit, infestanti obviam irem. Hic interea Æger, cum ea die sese a brachii illius torpore dolorifico ipsius motum etiam impediente melius habere cognosceret, sciscitabatur eccur sibi copia non daretur gymnasium non adeundi? Febris enim aliaque quæcumque incomoda continuo aberant. Ast ejusmodi diei vespere aliquatenus incaluisse visus est; circa mediam vero noctem delirus factus nihil adversum, ut ajunt, unquam neque fecit, neque dixit, donec antelucanis horis diei sequentis totus contremiscere, brachiis, ore, oculis, pedibusque convelli cœpit. Accitus propterea ipse, adverto spumam circa os copiose erumpentem etiam sanguinolentam ex morsu linguæ, quam forte dentibus intercæperat, carpum calentem, pulsum celerem at depressum, convulsionesque dictas oppido perseverantes. Jussi igitur ne moveretur, neve ægroto aliquid in os affunderetur, cætero insultum illum ut ut jam a duobus horis continuantem cito intermissurum. Nec frustravit exitus prædictionem; siquidem media horula vix elapsa, sedari cœperunt dictæ convulsiones, ægerque liberius respirare, balbutire, conqueri, requiescere. Propinatæ igitur tum ipsi fuere vin. emet. clar. ʒ. ij. a quibus non nihil vomuit, alvumque ter quaterve deposuit. Quo interim loquella paulatim recuperata doluit se nihil videre. Unde Vespere injectum enema satis forte, dataque fuit emulsio appropriata. Sequenti die præter cæcitatem, tussi etiam valida correptus est cum sanguinis sputo; ego vero, qui jam bolum præscripseram ex hellebor. mercurio dulci, similibusque confectum usque ab anteced. vespera, ut mane exhibitum comperi nihil innovavi, donec tertia a paroxismo die iisdem symptomatibus persistentibus oleum amygdalar. dulcis præscripsi

in juscul. insumendum, a quo alvo leniter mota, Vesp. nihilominus Clysterem injiciendum curavi, jussique emulsionem iterum assumendam prævio bolo narcotico. Jam vero consuleret me absente quidam Medicus, ut ad cæcitatem illam vescicatorium apponeretur nuchæ seu in postica colli parte; quod ego renui cerebelli serum incusans, quod opticos nervos obrueret, non quod ab externis carotidibus proveniret; jamque die quarta tussis melius habebat, & cæcitas tantisper remitti visa est; quamobrem nihil innovatum. Die quinta licet aliquid caligaret æger, nec tussi ita eaque antea molestaretur, stranguria nihilominus deprehensus est; unde non nisi guttas aliquot cruentas eminxit. Datæ itaque fuerunt emulsiones diluentes una cum laud. liquid. inunctiones factæ cum ol. scorpionum, enemata injecta ex mucilaginosis, & ex urina. Sexta die talia symptomata remittebant, præter stranguriam; nihilosecius respectu tussis propinatum fuit leve catharticum ex manna calabr., sal. prunell. &c. Febris interim, quæ a paroxismo semper continuavit, septima die fere in totum desiit, cum qua cæcitas etiam continuo minor evadebat, ut & tussis, & mingendi difficultas. Octava die conquærebatur æger de dolore in membris omnibus; quo circa universalis quædam inunctio instituta fuit cum spiritu vini camphorato & ol. castor. parv. quantitate. Pectori etiam applicitum fuit unguentum althææ cum oleo succini subactum. Die nona leve catharticum rursus propinatum fuit, cum interim emulsiones præfatæ nunquam intermitterentur. Denique die decima raso capillitio, factaque inunctione cum ol. nervinis & aq. reg. hung. inspersus fuit capiti pulvis in tali casu a Lotichio comendatus, & sic porro visu recuperato, ejecta tussi, mingendi difficultate, reliquisque accidentibus sublatis, æger sibi redditus est.

O B S E R V A T I O LXIX.

De Crisi Febrium Tertianarum Autumnalium.

HOc ergo in gratiam Lectoris addo, quod ab initio Octobris mensis ad novembrem provenientes Tertianæ febres, non

non sudores aliquando erumpant iidemque nocturni, & copiosi, atque licet febrifugum nostrum ex chinachinæ & rhabarbaro adhibueritis, & ipecacuannæ radicem, & ipsummet etiam præstantissimum febrifugum antimoniale emeticum diaphoreticum, nunquam tamen superari possunt.

OBSERVATIO LXX.

Passio Iliaca.

CUravi hoc anno prope Albianum Rusticum quendam 45. annorum legentem rure; qui primo attrocissimis torminibus conflictatus variis Clysteribus ac bolis purgantibus, quibus etiam opiata identidem commiscebantur adjutus est, ac postremo etiam infuso croci metallorum; verum cum ex ancillæ relatione constaret ipsum egre, itemque parum, aut nihil per inferiora dejicere, indigitabam de febre, quam intermissam nunciabat, sed tormina illa nihilominus perseverare. Instituta itaque fuerunt semicupia, imo ipsa balnea, ægro tamen ad ea imbecilliore facto, alvoque magisque constipata. Refert propterea eadem ancillula herum suum viribus omnino exhaustum esse, animo linquere, nihil excernere, cardialgiis creberrimis, vomitionibus fœtidis, & singultu continuo vexari. Ad hæc, quemadmodum exoraverat, dictum, factum, eo ad invisendum ægrum. Jam vero tormina illa invenio propemodum remisisse, nisi quod per intervalla recurrebant, quoties nimirum ipse in latus vergeret, ad quod abdomen, alioqui satis tumidum, quemadmodum in molam gestantibus totum se inclinabat; observo etiam reliqua ante recensita symptomata, nec porro hærendum adhuc censui, quin talis ægritudo vera esset affectio, quam vocant Iliacam. Venam igitur statim secandam impero, iterumque quatuor ab inde horis aperiendam, tum mercurii vivi ℥. v. propinandas præscribo & enema forte paulo post talem ingestionem injiciendum; omnia ad nutum administrata sunt, & injecto Clismate intestina cum fragore maximo soluta sunt, æger peroptime excrevit, convaluit.

PRO-

OBSERVATIO LXXI.

De Suffusione in Oculo cæco.

NObilissima Virgo fere quinquagenaria, cum a teneris annis ob Variolas visum in dextro oculo amisisset, elapso anno observata est lentem ejusdem oculi crystallinam ipsi sensim incanduisse, adeout propter deformitatem, quæ ex comparatione alterius oculi pronascebatur, exoratus sum illi opem ferre. Erat Virgo illa plurimum cachectica, unde & identidem febriculas quasdam lentas, doloresque in hypocondriis scorbuticos patiebatur. Curam itaque aggressus sum primo per interna, interque maritalia primum locum obtinebant; mox ubi ad topica ventum est, præscripsi eidem tincturam veneris cum spiritu salis ammoniaci paratam, cujus aliquot guttas in aqua aliqua opthalmica permiscebat. Hujus quotidiano usu factum est, ut lens crystallina pręfata pelluciditatem suam denique recuperaverit, eandemque jam nunc servet proportionem & statum cum lente oculi sinistri alias sani. Quæ certe ratio eo me adegit, ut existimem plerasque Suffusionum ocularium sedem suam habere in Sacculo alioqui tenuissimo lentem crystallinam continente, unde & humor profluit ejusdem lentis nutritioni dicatus, sicuti & hoc alias observasse mihi concessum fuit. Cætero nec prima hæc est, quæ suffusionis cura abs me præstita est cum illiusmodi tinctura, similibusque auxiliis. Memini curasse me jam plus viginti juvenes, senesque tali morbo laborantes, adeo ut pluribus opthalmiacos audiam.

OBSERVATIO LXXII.

De Noxis Laudani opiati.

COmpertum abs me fuit tum alias, tum præsertim hoc anno 1752. in quodam Ecclesiastico mihi amicissimo D. Peqrino; cui ob orthopnæam vigiliis maximis anxietatibusque conjunctam, laudani opiati g. ij. aliis pectoralibus remediis adjuncta

junĉta quotidie exhibere coactus sum, visum eidem plurimum fuisse hebetatum, appetitum, qui alias dum idem Domi recte valebat voracitati propior erat, fuisse omnino dejectum, nauseam adjectam, vomitumque ad conspectum, sed aliorum identidem ex generosi remedii abusu procuratum.

OBSERVATIO LXXIII.

Prognosis ex inspectione Sanguinis hypocondriacorum.

ADnotatum abs me fuit persæpe in hisce affectibus subjectis hypocondriacis, quibus venam secare ob dolorem, febrim aut alium hujusmodi casum necesse habebam, detractum sanguinem cum superficiem ostenderet flavam rubroque circulo in patella præditam præsentaneam mortem infallibiliter commonstrasse. Istius quidem fasciæ fuit qui Fratri meo Joann. Bap. Jur. Utriusque Doct. annum ætatis 50. agenti. Dom. Jo: Henrico Franchisio Ludimagistro annorum 38. nec non aliis plurimis intra & extra septa Nosocomii ægrotis hypocondriaci temperamenti missus est.

OBSERVATIO LXXIV.

Sphacelus repentinus ex dolore ante viginti quatuor horas obortus in Crure alias sano.

IDem, cujus modo memini, Ludimagister vulnerato transversim sinistri pollicis, dum scriptorium calamum incideret, articulo compressoque mediantibus aranearum telis sanguinis fluxu in tumorem totius manus incidit, atque in febrem. Chirurgus accersitus tumorem ac dolorem tollit inunctionibus & emplastris, remanente tamen febre, seu ejusdem continuo ardore. Quamobrem vocatus ipse, cum viderem hominem alias hypocondriacum de ventris tensione, flatibus & vomendi desiderio percitum, præmissa pridiana V. S. ad ardorem supradictum compescendum, postera die hipecaquannæ ℈. ij. ß. in jusculo illi tradidi. Ex quo secuta leni sursum, deorum evacuatio-

tione ita melius se habere cœpit æger, ut duobus sequentibus diebus scholæ continuo vacaverit. Sed mox summo mane vocor ad illum, quem postea comperi, maxime de dolore cruris sinistri lateris præfati quæritantem, atque ita anxium, ut ne in spasmum incideret pertimesceret. Præcesserant etiam hunc dolorem vehementes vomituritiones, flatus, ac ventris tormina. His inspectis præscripsi eidem laudani opiati gr. ij. nervinis optimis maritatum. Atqui hinc porro facilius tolerare visus est, sed febris increbuerat, crus nec rubebat, neque intumuerat, pollex prædictæ manus sursum inflatus erat. Iccirco Venam iterum secandam jussi ex brachio lateris oppositi; bolumque narcoticum iterari sequenti nocte. Enim vero crastina die explorato per Chirurgum crure, quod non amplius doleret, inventum est a principio suræ usque Tarsum insigniter nigrum præcipue antrorsum, sive tibiam versus. Quamobrem adhibitis scarificationibus, quas nullatenus Æger sensit, tentatum est sphacelum avertere, sed incassum, nam quacunque opera non obstante, idest spirituosis, diaphoreticis, ac cardiacis omnibus interne, externe vero euphorbio, ung. egyptiaco, spiritu vini, innumerisque cataplasmatis, idem Rev. Dom. sequenti nocte diem clausit extremum &c.

OBSERVATIO LXXV.

Stultitia Medicastri Sanguinarii.

Attende Lector ex Viro, nomine, *Medico* carnificinam. Laborabat elapso mense (Julio 1750.) uxor Typographi Joannis Baptistæ Beltrandi, mulier ætatis quinquaginta quinque annorum, habitosa, pinguis, atque alias passionibus hystericis obnoxia febre tertiana legitima. Secundo paroxismo ad eam accersitus nil innovandum duxi, expectandumque tertium, ut in accessione ejusdem more meo vomitorium propinarem; cumque jam finis ingrueret alterius, præscripto bolo ex theriaca simplici discessi. Die sequenti prope meridiem consueta passione hysterica aprehensa fuit, qua

ut

ut mihi relatum eſt, genæ rubebant, collum inflabatur, venter ſubmurmurabat cum loquelæ, viſus, nec non pulſus amiſſione. Vocatus tum forte per vicinia tranſiens Medicaſter miſſionem ſanguinis indixit in pede, paruit Chirurgus, ſanguis ex inciſa vena vehementer proſilivit. Jamque is x. circiter unciis extractis præſtolatus Medicum tempus ne adeſſet vulnus colligandi, negavit hic, fluxitque ſanguis ultra ℔. ij. ac ne tum quidem concedente Medico inciſionis colligationem Chirurgus alia prætexta cauſa diſceſſit. In qua ſeceſſione Medicus obtenta prius a Chirurgo lanceola, aliam aperturam fecit in crure, ita demum ut effluxus ſanguis linteaminibus & ſtragulis penetratis in terram copioſe diſcurreret. Retulerunt adſtantes quatinus quo plus ſanguinis detraheretur ægra continuo magis albida fieret, atque ita hæc Senecæ mortem ultimo nacta ſit.

OBSERVATIO LXXVI.

Curatio Febrium Catharralium.

Catharrales voco febres, quotquot ex lymphæ condenſatione a frigore poſt aliqualem rarefactionem corporis ſpiracula conſtipante, ortum ducunt, ita tamen ne pleuritis, neve alia alicujus partis inflammatio nempe ac venæ ſectio omittenda ſemper eſſe comperi, ac tantummodo blanda diaphoretica uſurpanda. Hinc ego vel aquæ ſimplicis ac ſacharatæ largos calices, vel decoctum ex floribus papaveris erratici calide exhibitum, in aliis utique decoctum ſolior. Thè calide ſurbilandum præbui, intentioni meæ continuo ſatisfeciſſe novi, adeo ut fruſtraneum cenſeam peculiares caſus adnotare, in quibus mea hæc praxis ægris continuo feliciſſime ceſſit.

OBSERVATIO LXXVII.

Prognosis ex pulsu intermittente.

PUlsum intermittentem in pluribus naturalem aliquando notatum Practici nonnulli retulerunt. Quod mea sancte asseverare possum, me ejusmodi pulsus, ut sic dicam, naturalitatem nunquam deprehendisse; sed quotiescunque talem se proderet, subjectum illud, vel cachexia aliqua hypocondriaca, hysterica, aut scorbutica, vel inappetentia &c. afflictum fuisse, ex qua citius, segnius moriebatur. Hoc anno D. Hieronymus Messanus intermissionem ejusmodi præstabat absque febre functiones suas naturales obiens; & quia inappetentia pariter tenebatur aliquali cachexiæ conjuncta, prædixi illum brevi moriturum, quod intra quindecim dies ultro evenit. D. Anna Maria Balduina mulier quinquagenaria, alias integre valens & sana, quod pari pulsu frueretur in pectoris hydropem lapsa abs me pro mortua renunciata est. Adverti etiam in affectibus syncopalibus quo magis pulsus lentesceret, eo citius mortem adstare. Sic in Rev. Patre Clerici Concionatore eximio pulsationem alteram ab altera valde distantem subitaneæ morti (ex golypo cordis, quo vir alias juvenis tenebatur) prælusisse compertum est.

OBSERVATIO LXXVIII.

Virgunculæ Epilepticæ Curatio & Recidiva.

FIlia cujusdam Ill. Comitis, annum agens decimum tertium cum a quadriennio epilepsiam pateretur, qua raris primum insultibus affecta pedetentim ita lacessita est, ut ad extremum quindecim, interdum etiam plures ejusmodi paroxismos in diem tolleraret, hoc anno (1752.) meæ curæ velut ad ultimum desperationis refugium (a parentibus utpote qui non tam Taurinensium, quam & alienigenorum Medicorum fortunam hic illic tentaverant) confugientibus demum con-

consignata est, Matri primum indicanti, ac ultimo Puellæ inhibenti, ut vino parcius & sobrie indulgeret, quærebat ipsa horas amicas, & furtive in Cella Vinaria se refocillabat, sæpissime ad regurgitationem. Indixi præterea statim a quocunque paroxismo propinarent eidem aquæ benedictæ Rulandi drachmas nunc sex, nunc 7. 8. interdum etiam x. cum aquæ cerasorum nigror. ℥. i. cum dimid. vel ℥. ij., ac porro in hoc remedio a mense Februario usque ad initium Maij perseveratum est; quo tempore jussi appenderetur collo ejusdem ægræ cinabaris nativi ℥. j. in petia ligata. Jamque continuato rursus præfato medicamento, atque adventante Autumno mercurialia tradere destinabam, quibus cura juxta meam methodum absolveretur; cum Parentes advocato quodam Exorcista, eodemque tempore sedato morbo, retulerunt morbum illum divini quid involvisse, meaque adeo cura jam non amplius opus esse. Irrisi ipse tam ingratam ne grates redderent, circulationem assuetus alias pro nostro prætextus ejusmodi referre ac sustinere. Nihilominus post annum, & eos qui elapsi sunt menses, pulcherrima ac decora puella iterum epileptica facta, teterrimos insultus patiendo docuit in tali morbo non tam Exorcismos, quam summa antiherculea præsidia invocanda esse &c.

O B S E R V A T I O LXXIX.

Mulieribus histericæ passioni subjectis cum Tertiana laborant Narcotica in vel ante paroxismum exhibita eandem passionem provocant.

QUid forte attulerit theriacæ Tertianariæ data ex suprascripta Observatione 56. colligi potest. Curabam vero hoc anno 1751. Mulierem Nobilem ejusdem cum præfata Tertianaria ætatis ac temperamenti; cui, cum in quodam vico quatuor ab hoc Conventu milliariis dissito ægrotaret, Chirurgus quidam Emulsionem præscripsit, in qua fere ultra 20. guttas laudani liquidi solutum est, inque principio paroxismi pro-

propinavit, unde evenit ut tota nocte pro mortua haberetur. Quamobrem die sequenti ad illam accersitus exploratoque pulsu, qui integre valebat, febre jam prætergressa, de laudano statim suspicatus sum, id quod postea allata ad nos recepta confirmavit. Cæterum ægra veluti comate somnolento oppressa videbatur; bibit adhuc dum mane ejusdem diei, ac ferculum jurulentum assumpsit; verum procedente tempore nihil deglutire poterat, ac de suffocatione sive strangulatione in faucibus quærebatur: post 24. tamen horas omnino in se reversa est ac pristinæ sanitati restituta. Num etiam quocumque tempore in Hystericis cavendum sit a narcoticis, non credo. Quippe eidem fœminæ præscripseram jam ipse parem ferme Emulsionem quæ tamen propinata nocte paroxismum præcedente ob vigilias jam a longo tempore obductas nihil mali, immo plurimum levaminis attulit; post paroxismum autem quiescere sponte soliti Tertianarii laudano non opus habent.

OBSERVATIO LXXX.

Post faucium strangulationem febris cum dolore dextri lateris, atque inde nata Hæmoptboe tussi ferina, ejusmodique symptomatibus stipata.

Reversus in Urbem die 14. Februarii hujus anni, die subsequenti, 15. ejusdem, contuli me ad domum Generosissimi Viri D. Bonifacii Cormiani, cum quo ob diu præstitam sibi ac suis abs me operam jugi amicitia; gavisa tum ultra modum ipsius Nob. Uxor de meo reditu, retulit paulo post, quemadmodum jam a mense colica hypocondriaca, & catharro ad fauces deprehensa fuerat, quoque etiamnum detinebatur; sed quod a colica remediis abs me præscribi solitis atque a Pharmacopæo præstitis sublevata fuisset, de præsente catharro una cum raucedine minime angeretur. Quamobrem ipso eodem Vespere ad locum choræis destinatum profecta, nihil de valetudinario suo statu sollicita, ac post cœnam lectum ingressa de magna deglutiendi difficultate conqueri cœpit. Ego mane sequente (die 16. hujus) ad ipsam vocatus cum vidissem, ne

co-

cochlear quidem potulenti cujuslibet ab illa deglutiri posse, & interim tamen ingentem lymphæ viscidæ seu mucosæ quantitatem extussiri quodammodo, atque ab ipsius ore continuo fluere una cum vocis imo & respirationis interceptione, ratus tantam mucci metastasin frænandam esse, ut ut absente febre (pulsu tamen interim existente parvo ac celeri, & qui nihilominus ipsi fere naturalis erat) gr. XIV. gialap. pulv. in lacte tepido exhibeo: quo nullas sedes adjuvante (erat mulier alioqui catharticis vel levissimis obtemperans, temperamenti hypocondriaci, de viro fere octuagenario continue anxia eo ut vel si suspirantem, aut tussientem audivisset, protinus animam agere videretur, ætatis annorum circiter 54. nec victui lautiori dedita, verum in prandio, & cœna solum interdum acetario contenta, nunquam enixa &c.) vespertino tempore Enema laudavi; at cum de hoc quidquam audire nollet repetito pulvere purgante (ut quem, ceu in parva dosi, facilius assumere poterat) quid crastina luna veheret expectandum duxi. Mane igitur 17. rursum alvi segnitie comperta, perseverantibusque deglutiendi difficultate maxima, tussi ad laryngem continua, & materiæ pituitosæ ex faucibus fluore perpetuo, jalap. pulverem præfatum a. ℈. I. tertio repeto, neque ut antea in lacte tepido, verum cum suf. q. ol. amygdal. dulc. propino. Veruntamen catharsi non succedente auctor fui, ut clysterem admitteret; quo tandem imposito, scybalisque multis ejectis pharynx ita liberata est, ut eo ipso vespere Nob. Ægra probe nutriri potuerit. Die 18. re in melius semper conversa Clysma iterum fuit injectum, nobilisque Dom. e lecto ad mensam cænatum cum conjuge se conferre me tamen inscio voluit: 19. deglutitione quamvis rite se habente paulo profundius tamen ex trachæa, atque ex pulmonibus tussire mihi visa est imprimis circa vesperam, postquam scilicet quamplurimas matronas tota die secum confabulatum admisisset: atque hinc porro longis horripilationibus (gallice frissons) deprehensa, a 3. pomeridiana usque ad horam septimam, febrire jam in totum visa est. Addidit angi sese præterea dolore quodam punctorio sub dextra mammilla, & quem vagi aliis dolores ad pectus hinc inde sequebantur cum tussi profunda, sanguine atro,

ac

ac parum craſſo ſubinde rejecto. Igitur eo veſpere præſcribendam duxi dumtaxat Emulſionem cum laud. liquid. gut. xv. Sach. ſaturn. ſcr. dimid. aliiſque ad hunc ſcopum (ideſt ad narcoſim inducendam, cruoriſque fervorem temperandum) ordinari ſolitis adjunctis. Mane ſequente, 20. cum vidiſſem ſanguinem nigerrimum tota nocte, at tamen abſque ingenti expiratione excreatum, culpa omni in vitriolicum prædominium refuſa (nam præterquam quod Nob. Ægra ejus erat temperamenti, quem retulimus, referebat inſuper cruentam illam expuitionem acidum ſapere, & quod os deinde ac labia protinus exulceravit) mentis acie ad ejuſmodi diathæſim evertendam penitus directa decoctum præſcripſi ex lign. ſaſſafras, guajac. ſantal., paſſul., radic. liquirit. ſimilibuſque paratum tepide identidem hauriendum; veſpere interim Emulſione (de qua nuper) iterata. 21. ſanguine magis florido apparente, cum his tamen jugiter abſque difficultate excrearetur nihil innovandum fuit, quemadmodum neque die 22. in qua diaphoreris tamdiu expectata jamjam inchoare viſa eſt, quamvis matutino tempore ad anachatarſim promovenda Ol. amygd. dulc. ℥. iiij. propinatæ fuiſſent. Hinc 23. die alvus ſepties ad minimum ſerviit, & ſudor copioſus univerſaliſque, cruribus ac pedibus dumtaxat exceptis, e corpore provenit. Ego interea ad craſin ſanguineam magis magiſque emendandam bolum præſcribo ex ſuccino, myrrha camphora, ſulphure cum ſ.q. conf. hyac. paratum, quem ſingulis 4. horis reiterare jubeo; cumque pulſus ut ut naturaliter parvus tunc vero miurus, inæqualis, intermittens factus Medicis omnibus qui ad obſervandum duntaxat acciti erant, de vicina morte metum imponeret, tacite ego potius evacuationem ſyndrome mecum agitando contemplabar. Itaque ſuccedente continuo leni diaphoreſi, ac alvi fluxu blando, ex quo neque expuitio cruenta impediebatur, die 24. in præſcriptis perſiſtebam. Adjeci die 25. præfato bolo Sang. hircin. ſcrpul. dimid. neque in reliquis, ideſt quoad potum ordinarium, & quoad ſomnum conciliandum a laudato apozemate calide ebibendo, atque ab Emulſione enarrata recedebam. Nimirum quater in diem, aut etiam quinquies, ſive quoties juſculum propinandum erat, toties bolus præmittebatur; dein-

deinde haustulus ex decocto lignorum quotiescunque sitit, quæ non infrequens erat, ingruebat, ac tandem Emulsio hora somni administrabatur. Pro eclegmate imperaveram jampridem Syrupum papav. erratici cochleatim exhibendum ut & aquam ex toto citro, cum qua prædictus bolus solvebatur. Jamque noctes cœperunt esse pacatiores, ut altera post mediam scilicet noctem, hora febris intendi videretur, istamque subdeliria quædam sequerentur. In gratiam deinde alterius Medici, qui præsertim noctu assistendum Nob. Ægrotanti rogatus fuerat, die 27. aliquot grana spermat. cæti prædicto bolo commiscui, in reliquum nihil immutatum est; die 28. sudores iterum emerserunt, secessusque alvini perseverarunt: hinc prima Martii sputum minus cruentum, imo subalbidum fluidumque apparuit, imo adhuc magis die 2. ejusdem, ac postremo die 3. pulsus ad se rediisse visus est, febrisque pænitus remisit. Remansit adhuc tussicula catharrosa, quæ pariter sensim deliquit, ut & surditas in subjecto præcipue naturaliter Surdastro, & quæ tandem quotidie minorabatur.

OBSERVATIO LXXXI.

Febris stomachica hypocondriaca in Pene.

EOdem plane tempore quo Illust. Mulier præfata impensius laborabat, Generosissimus D. Bonifacius Cormianus ejus Conjux annos natus 77. de Vita dulcissimæ uxoris anxius cum nec quiescere posset, nec cibum capere, ut vel ad quamlibet illius extussionem suspiriosus, tremulus, gemebundus, tracto etiam animo in diversas partes; hinc a Civibus, præcipue nobilioribus aliis Venæ S. aliis varia secreta, ut vocant, in Subsidium Nob. Ægræ confertim comendantibus (& quibus tamen ipse nunquam auscultare volui satius esse ratus ut, quod ad Ægritudinis cognitionem appositamque methodum curandi pertineret, me unquam effugeret) inde vero ad rerum domesticarum curam horrore deprehensus est, quo post duas horas exhantlato calore angi cœpit cum respirandi angustia, dolore in sinistra scapula, & valido vomendi desiderio. Pulsus erat inæqualis,

ferratus, atque ut plurimum intermittens, fitis molefta, & capitis dolor tenaciffimus. Cum alias ad eum modum affectus jam fuiffet, volui tum pariter ipfi ac dudum confulere, propinato fcilicet bolo ex rhabarbaro extract. g. xiij. croci g. v. (& quem in aq. tot. citr. folvendum jufferam. Sed eo affumpto vomuit) nec non croci mart. aper. gr. x. confect. hyacinth. q. f. obductis vomuit æger bis, aut ter modicam lymphæ vifcidæ ac albentis copiam, cæterum ne jufculi quidem cochlearia aliquot deglutire potis, naufeabundus, quærulus, faftidiofus. Creditum eft a Famliaribus, & Amicis de tam male præffo Sene protinus actum iri; quamobrem & ne de hoc quidquam Conjux ejus amantiffima refcifceret, fummo ftudio cavebatur. Interim hora fommi præfcribo ipfi electuar diafcord. ʒ. j., ex qua noctu fpiritibus paccatis, fomno mediocri inducto, ac leni fudore, mane cephalagiam una cum febre pariter defeciffe compertum eft. Impero nihilominus ipfi die 28. fyrup. de Cichor. comp. ʒ. ij. ß. in hauftul. aq. gramin., ex quo alvus fepties foluta eft cum euphoria. Hac die, & hora circiter 1. pomeridiana febris recruduit, fed abfque horrore, naufea ad Cibum jugiter continuante. Datus igitur potus Coffe, noctuque iterum diafcordium adminiftratum. Sequente die 1. Martii, nocte fatis commode tranfacta, refumpfit Æger femihorio ante prandium Jalap. pulver. g. iij. rhabarb. extract. g. xv. croc. g. v. alteriufque ex marte aperitiv. ℈. ß. in bolum cum hyacinth. confectione redacta, atque hinc febris mitior acceffit ftato tempore adeo ut ille fub Vefperam cum requifitis præcautionibus fefe amantiffimæ conjugi oftendere potuerit. Sub lecti ingreffum confuetum Electuarium iterum exhibitum eft, & ea nocte D. Æger folito melius quievit. Die fcilic. equa. 2. Martii, loco jufculi, a quo etiamnum valdopere abhorrebat, ciocolatæ hauftulus conceffus eft, repetito inde ante prandium bolo, & vefpere toties laudato bolo, id quod pariter 3. Martii effectum eft cum eo infuper, quod non refpondente alvo Enema injici debuit hora 3. pomeridiana. Jamque dejectis fcybalis, fudore leni obtento, nulla ad minimum parva, febrilis acceffio facta eft, quamobrem nihil de confuetis remediis immutatum. Die 4. præter Medicorum officii caufa ad Nob. Ægrum confluentium opinio-

nionem; pulſum ad ſe rediiſse compertum fuit, donec ampliſſimo Dei O. M. munere factum eſt, ut dolore ad ſcapulam omnimode ſedato, reverſaque appetentia Nobiliſſimus Dominus mei amantiſſimus priſtinam valetudinem recuperaverit.

OBSERVATIO LXXXII.

Nota Fœcunditatis.

OBſervavi mulieres, quarum manus, & brachia fere uſque ad cubitum ſcabræ ad tactum, ruvidæ, ac ſquammoſæ, veluti videbantur, omnes fuiſse fœcundiſſimas &c.

OBSERVATIO LXXXIII.

Altera ejuſdem Fœcunditatis Nota.

ET quæ præterea pleniore voce, ſive iſtius organo magis ſonoro loqui, canere audiebantur, ac tum præſertim, quando aliquem exclamando interpellabant: item quæ magis edaces.

OBSERVATIO LXXXIV.

Sympathia ex Oculis.

NEc felicius matrimonium, neque durabiliorem ſocietatem augurarer, quam eorum, qui conſimilis coloris oculis habent: hinc plurimi circa talia negotia ſolliciti, me interprete uſi reſponſum eventui ferme par retulerunt, ac cum neſcirent undenam tale oraculum accepiſsem nonnunquam me magum etiam, ac prophetam deprædicati ſunt, ignari quid omnia illa ex oculorum inter duos, vel plures, uniformitate deduxeram. Plura hic circa ſympathiam in oculis manifeſtam tum quoad cauſas, modum &c. texere poſsem, niſi forte eadem ſaperent pluſquam Medicum &c.

OBSERVATIO LXXXV.

Monstrum Vitulinum.

ANno 1749. Mense Julio in quodam vico, vulgo (Cantarino) itineris causa, atque in Arca (sic enim Nostrates vocant Domum Rusticis negotiis destinatam) prope Montem D. Felicis Tichioni, sese visendum obtulit Vitulus biceps cujus nimirum bina capita & colla omnibus numeris absoluta coibant in Thoracem, in quo nihilominus adhuc bifida Dorsi spina conspiciebatur usque ad lumbos, ubi post quatuor fere digitorum transversalium coitionem, rursus separabatur, inque binas caudas desinebat. Erant igitur illi bina terga, dextrum masculinum, lævum autem fœmininum sexum ostendentia, pedesque anteriores quatuor, totidemque posteriores, omnia tam affabre concinnata, ut nihil deesse videretur, nisi quod pars ejusdem monstri, quæ fœminam repræsentabat minus crassior videbatur altera, quæ masculum. Optaveram interiora ipsius perscrutari; sed quia ut extraheretur a juvenca, quæ illum præcedente nocte enitebatur, necessum fuerat abdomen ejus exscindere, viscera illa observari minime potuerunt.

OBSERVATIO LXXXVI.

Mulier Sedigita.

HAbitabat ista ad portam Urbis vulgo dictam Augustanam, præstabatque uno digito plus cæteris in utraque manu; hic vero digitus prope auricularem situs quemadmodum numeris omnibus absolutus cernebatur, atque ad metacarpum suum, etsi ultimum locum obtinuerat. Relatum fuit eundem digitorum numerum in pedibus itidem adfuisse. Sed eosdem adspiciendi minime curiosus fui &c.

OB-

OBSERVATIO LXXXVII.

Ascitis non ordinaria causa.

CUraveram elapso anno 1750. D. D. Peyrinum juvenem annorum fere 25. habitus corporis gracilis, temperamenti cachectici, & qui, vel a primis annis lienosus factus fuerat, vindicaveramque ipsum a febre hectica, & in quam inciderat cum dolore ejusdem lienis. Is vero postquam annum fere incolumis transegisset, Martio mense proxime præterito rheuma universale contraxit: quod per diaphoresin tollere satageret, evenit, ut ad parentem prope moriturum advocatus, sudorem jamiam fluere incipientem cohibere debuerit, nec semel quidem, sed etiam bis, aut ter. Quamobrem sudoris materia intus retropulsa, in qua splenem forte restagnante dolores non tantum ipsius splenis, sed & universi abdominis procreare incępit, qui nunquam furere desierunt, nisi postquam nostro auxilio invocato mediante electuario diascordii mitigari incęperunt, ventre interim jam immaniter tumefacto, nec nonnisi in minima quantitate lotium emittente. Exhibuimus ergo eidem pilulas ex radic. jalap. pulverizata, rhabarb. & croco martis aperitivo, quibus nimirum illum a lienis infarctu antea liberaveramus, vespere autem ʒ. j. dicti Electuarij, quo per octiduum facto venter detumuit, dolores sedati sunt (aquis nempe per secessum largiter eductis) urinæ rite defluere cęperunt cum spe certa ipsum brevi integre valiturum.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Circa prognosim Catharorum in Senibus.

DIe 16. Aprilis currentis anni vocatus sum ad D. Santorinum fere septuagenarium, qui invitatus ut quemadmodum se haberet, nihil aliud se pati significavit quam levem quandam tussiculam pari febri conjunctam, quam causam in hesternas totius corporis incalescentias exercitio contractas refundebat. Aberant ex alia parte sitis, dolor, inquietudines, pulsus

erat celer & parvus, cutis humida, urinæ in debita quantitate emittebantur. Nil aliud propterea movendum visum prçter sudorem: in quem finem præscripsimus decoctum foliorum papaveris erratici calide exhibendum; sed nec eo die, neque postridie sudor apparuit, tertia nocte oblato laud. opiat. g. ß. cum stibio diaphoretico, & mitridato, mador quidam subsequutus est. Die 4. 5. 6. febris quandoque aderat, quandoque deerat, neque ullum gravius symptoma ingruebat. Nocte diei septimæ anacatharsis valida incessit cum magna catharri bene maturi expuitione. Quamobrem ad hanc materiæ metastasim refrçnandam die 8. præscripsi ℥. ij. ß. Syrup. aurei rос. solut. in aq. hordei propinandas: dejecit bis terve cum euphoria, interim refertur a Domesticis Ægrotum hunc tota prægressa hyeme se male habuisse, utpote qui tussi humidæ semper obnoxius fuerit ac serosæ cuidam diarrhææ. Conjicio ex his morbum quo idem infestabatur esse summum Tabis gradum, ipsamque febriculam marasmodem, a qua resurgere non dabatur. Dum conjecturam hanc meam gerendi, & aperire meditor fratri amantissimo, noctu idem Æger etiamnum mentis compos atque inter loquendum e vivis sublatus est. Censeo etiam nobilem ægrotum tota hyeme illa febricula fuisse divexatum, uti e pluribus accidentibus colligere licet, quamobrem eundem hecticum tabe consumptum, seu marasmo affectum obiisse &c.

O B S E R V A T I O LXXXIX.

Affectus Catharralis Pulmonum in Juvene.

JUvenis quidam progrediente Autumno ex Sudore retropulso tussi correptus cum viscido extreatu, quem aliquando, & vix emittere poterat, febri levi correptus, cum gravi capitis dolore, ac in summo epigastrio, (Vocatus itaque ad mçnia Civitatis in quibus habitabat) in quo elevatum hepar tangebatur; bis phlebotomatus ac s. q. mannæ postmodum purgatus, pro potu, decoct. pectoral. sumebat; ex quibus nil pene tussis cedere visa est, aquoso excreatu permanente, globulari viscido, & albicante, dolore in lumbis pungente, oculi quodammodo lucidi; caput

caput dolens, pulſus parvus, febris, iterum phlebotomatus, ex quo melius ſe habuit, tuſſi tamen perſeverante, in uſu decoct. pectoral. & ol. amygd. dulc. imperatur, liber a dictis doloribus, licet uberius non exereet; reiterat. tandem præſcripto bolo ex Conſ. roſ. Flor. ſulph. & croc. orient. cum op. g. j. liber vaſit &c.

OBSERVATIO XC.

Ex grumorum ſalis communis in ore detentione, ſalivæque picantis deglutitione in Gravida peſſimi effectus pro ipſa, ut & Mors, Fœtuum & Alumnorum ſecuta.

Acceſſit ad me 7. Julii 1751. Angela Margarita Uxor cujuſdam Cauponarii in Suburbio commorantis, annorum fere 30. mulier nempe grandioris ſtaturæ, pridem habitoſa, & euſarcha, verum ad præſens tempus cachetica & extenuata, referens uti quotidie febricula tenebatur cum Tuſſi & corporis contabeſcentia, ulceribus oris, & difficultate deglutiendi ex ptyaliſmo mercuriali, quem autumno elapſo ſuſtinuerat. Interrogata quæ cauſa fuiſſet ut ſalivatio ejuſmodi ſibi procurata fuerit, reſpondit ſe faucium excoriationibus jamdiu vexatam, in ſtomachi languorem incidiſſe, quem marcor inſecutus eſt; adventaſſe propterea Chirurgos, qui ſymptomatibus expenſis talem operationem inſtituere decreverunt. Anne forte ulceribus in mammis aut pudendi aliquando laboraſſet ex lactatione alicujus infantis nothi vel extranei? repoſuit ſe nunquam in dictis partibus labem vel minimam perſenſiſſe, neque lac præbuiſſe infantibus alienis, unam ſi demerem filiolam D. Marini Procuratoris (cujus parentes certo ſcio venereo affectu alicui nunquam fuiſſe obnoxios) denatam inde a ſex menſibus poſtquam ipſam lactandam ſuſceperat. Ego quoniam interrogationes proſequendo novi hanc puellulam deceſsiſſe maraſmo conſumptam, filium etiam ipſius mulieris proprium (quo mortuo lac præbuit dictæ filiæ) e vivis ereptum ex eadem macie, & cujus corpus livore aſperſum conſpectum fuerat; cum præterea intellexiſſem Ægram hanc tempore geſtationis iſtius infantuli ſe male habere cepiſſe, & quod denique alter filius biennio ab hinc editus parili morbo infectus interierat,

petii

petii anne in gestatione illa errorem aliquem quoad victum commisisset? Renunciavit Ægra nihil tum egisse, quod non etiam in præcedentibus gravidationibus peregisset, excepto quod in præfata (a qua scilicet male se habere cępit) consueverat grumos salis communis quotidie mandere, aut in ore volutare. Hoc audito causam syndromes morborum me tenere credidi, videlicet ex tali manducatione salsæque salivæ deglutitione factum fuisse, ut dicta fœmina excoriationes tunc non modo in ore, verum & in æsophago & ad superius ventriculi orificium pati cęperit, cujus postremi mali ratione, morsus ad eundem stomachum tam feroces sensit, ut collum ei interdum obriguerit; insuper ex chylo salso evenisse, quod filium tenuem admodum pepererit, & qui postea tabidus ac livescens mortuus sit; Rursus quod Puella ad lactandum suscepta eodem pacto consumpta interierit; & quarto, quod ab insequenti post hujus obitum impragnatione editus alter infans, similiter emaciatus fatis cesserit. Quinto quod ipsamet mulier non obstante nova atque ultima ingravidatione sensim in pejus ruerit: ac postremo quod memorata ulcuscula sive excoriationes, marcor, atrophia, lumborum dolor & similia, ansam dederint Chirurgo imprudentissimo, ut ei frictiones mercuriales ministraverit. Jam vero satis superque demiratus vim salis communis quo non tam ab hinc quadriennio, quo priorem præfatorum liberorum gestabat, sed & imposterum ac sæpissime abusa fuerat nostra Infirma, expensoque præsentaneo ejusdem statu quo deglutiendi difficultas, oris ulcera, salivatio perpetua (proculdubio item a ptyalysmo aucta) oris ventriculi morsus, febricula, pulsus tenuis, dorsi e regione stomachi dolor, cachexia, ac tabes adhuc dum perdurabant, imo potius invalescebant cum appetentia totaliter dejecta, & diarrhea, quæ jam a duobus mensibus inchoaverat, præscripsi eidem serum lactis mane quotidie hauriendum, alternisque diebus bolum ex cortice peruviano croco martis, & pauco rhabarbaro confectum, & semihorio ante eundem haustum deglutiendum, a quibus in Balneum aquæ dulcis descendere deberet servatis servandis &c. vespere etiam dierum imparium assumeret electuar. diascord. ℥. j. nec amplius immorari potui; an diem ultimum clauserit, expecto: faxit Deus.

F I N I S.

INDEX
OBSERVATIONUM

Quæ in hoc Libro continentur.

OB-

OB-

INDEX.

FINIS.